14
7 G
18

14-6-I-17

Digitized by Google

~~A 11 c 25~~

~~14.38.6.36~~

Digitized by Google

Digitized by Google

PSEVDOMANTIA
VETERVM, ET RECENTIORVM
EXPLOSA,

SIVE

DE FIDE DIVINATIONIBVS ADHIBENDA.

TRACTATVS ABSOLVTISSIMVS

Philoſophicus, Aſtrologicus, Theologicus.

Digitized by Google



Digitized by Google

PSEVDOMANTIA
VETERVM, ET RECENTIORVM
EXPLOSA,
SIVE
DE FIDE DIVINATIONIBVS ADHIBENDA
TRACTATVS ABSOLVTISSIMVS
Ad abolendam falſæ Diuinationis Superſtitionem.

Cum Animaduerſionibus

PHILOSOPHICIS, ASTROLOGICIS, ET THEOLOGICIS,

Quibus acceſſere etiam Diuinationes damnatæ ex ſacra Scriptura, ex ſacris Canonibus, Concilijs, Bullis Pontificijs, & ex ſanctis Patribus.

AVTHORE

D. IOSEPHO MARIA MARAVIGLIA

CLERICO REGVLARI,

IN GYMNASIO PATAVINO

MORALIS PHILOSOPHIÆ PVBLICO PROFESSORE.



VENETIIS, Apud Valuaſenſem, M.DC.LXII.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIO.

Digitized by Google

[illegible]
[illegible] Conventus
[illegible]

Digitized by Google

Illuſtriſsimo, atque Excellentiſsimo Domino

PETRO BASADONNA

EQVITI PRÆCLARISSIMO, SENATORI AMPLISSIMO, ORATORI MERITISSIMO.

A. S. A.

HOC opus, quod prodit in lucem (Senator Ampliſsime) vt vaticinijs fidem demat, in ipſo ſui veſtibulo iam vaticinijs fidem facit; dum ſibimet ipſi prænunciat, non modicum ex tanto nomine decus adfuturum, non planè inanem ex tanto patrocinio capeſsendam fortunam. Sic benè ex Numinibus ominata, votis ad-

Digitized by Google

ſpirantes, certos portendunt euentus; quemadmodum benè ex tuarum virtutum cunabulis ingens, ac certum Venetæ Reipublicæ beneficium cælitùs elaboratum fuit fas præſagire. Erupiſti ex ipſis vagitibùs, ſapientiæ, integritatis, ac pietatis apex; & ideò benè ex tanto Nato, quem diù optauit Reſpublic. vt felix haberetur, prædictum eſt, omnem animi leuitatem in ciuibus eſſe tua prudentia corrigendam, maieſtatem tua humanitate temperandam, temeritatem tuis conſilijs regendam; eo tibi vſque à teneris vnguiculis indito diuinitùs ingenij acumine, vt agnoſceres primam Reipublicam imminere ruinam, vbi in præpotioribus, tanquam in regni arce deficeret virtus, omnis regni propugnaculum; vixque adoleſcens ijs cogitationibus detinebaris, quibus, & tibi ipſi meliùs, quàm alijs imperare, & Reipublicę potiùs fortunam, quam propriam tueri vbique ſapientiſsimè poſses; quibus etiam non in anguſtis ſolummodo Italiæ finibus, ſed in longinquis quoque regionibus nitorem tuum effunderes, atque per omnem ætatis, fortunæ, & dignitatis curſum ad ipſa ſepulchri oſtia conſtantiſsimè deduceres: rari namque omnino ſunt, quos & dignitas, & fortuna, & ætas, & libertas in omni vitę periodo ſeruet incorrùptos, & ex æquo laudabiles, & admirandos; vnde

tibi

tibi longè melius, quam Catoni Romano ea laus adiuncta eſt, ſingulas ſingulorum hominum virtutes in te vnum exornandum conſpiraſſe; & cum in pleriſque laudetur humanitas, taceatur ignauia; in alijs continentia extollatur, reticeatur auaritia; in alijs grata prædicetur liberalitas, ſed luxus accuſetur, te ſanè nemo vnquam rectè laudare poteſt, niſi in te vno commendet omnia: Quin tanta eſt tuarum virtutum præſtantia, vt eas certatim ſibi partiti ſint, & beneuoli Diuini Numinis afflatus, & præclara tui ipſius merita, vt ex te, & haberent Superi, quod ſibi vendicarent, & haberes ipſe de tuo, quo cęteris omnibus præfulgeres: Tu ſiquidem Parentum tuorum, Auorum, Atauorum gloriam longo ſuperans interuallo, tot inter tuę Illuſtriſs. Familię ſidera clariſsimum ueluti *Solis lumen* eminere diſpiceris, heroum hęres prędariſsimus; imo Heros ipſe omnium maximus, tuę Reipublicæ ſubleuandæ nouus Atlas feliciter deſtinatus; cuius tantò inſignioribus titulis fama propagatur, ornatur vita, quantò plurium cumulata virtus ſolitarię vnius virtuti haud cenſeri ſolet anteferenda. Inde tibi ſumma ſemper felicitas parta eſt in conſequendis honoribus, nec tantę felicitati ac fortunę defuere, quę matura virtus etiam acerba pręmia conferret; vix enim pubertatem ingreſsus, ęquè ad ſu-

prema

prema Reipublica regimina poſtulatus es, & admotus, ætatem ipſam regno idoneam merito præueniente, quo, & dignitatis pondus, & Reipublicæ ſalus in te vno tutiùs collocaretur. Nec tu eodem, quo alij fauore, non pollicitationibus operosè coemptis, non precibus pretio comparatis, non armata conſanguineorum, & amicorum potentia faſces rapere veriùs, quam impetrare adnitebaris gnarus Reipubl. adminiſtratores, qui alio, quàm virtutum pretio purpuram emerent, eamdem non raro turpibus vitiorum ſordibus inficere, ac maiori plerumque ignominia deponere, quàm gloria aſſumpſiſſent. Inde etiam factum eſt, vt ſumma cum geſtientis populi lætitiâ in tuis præturis, ac legationibus ſemper exceptus fueris, accedentibus vbique tuæ egregiæ virtuti populorum accurſibus, ciuium acclamationibus, procerum iubilis, Principum, ac Regum exultationibus, ſibi metipſis de tanto viro iure gratulantibus. Sic dum ad obeundas primarias legationes vnus in magna ciuium æmulatorum concertatione deligeris, vnus ipſe videris ex generis ſplendore, ex prudentiæ præſtantia, ex morum integritate, qui præſentiorem malis Reipubl. opem ſis allaturus; eòque honoris aliorum potiùs voluntate, quam propria perductus, beneficium, non tam acceptare, quam dare tuis ciuibus viſus

ſus

ſus es; quò,nimirum,non tam amor dignitatis, quàm Patrię, non tam cupiditas propria, quam vtilitas publica pertraxit inuitum; nec tibi ſummis hiſce muneribus perfungenti defuit vnquam prudentia par, par conſilium, & ingenium, quo ita præpolles, vt nihil inconſulta præcipitatione, aut temerario auſu aggrediaris; & tanta in rebus benè gerendis ſolertia pręſtas, vt exquiſitè eas ſemper diſponas, & extricatis difficultatibus improuiſa quadam neceſsitate exurgentibus, opportunè ſemper expedias, conſentaneo in omnibus lato iudicio. Aggerant hęc ad tuę gloriæ perennitatem Hiſpania & Roma,vbi præclarum Legatorum exemplar adhuc affulges, vbi tibi ſemper concors virtus tuos pręcinit triumphos. Hæc quoque tollit ad ſidera Brixiana Vrbs nobiliſsima,vbi iam clauo aſsidebas, quæ te optimum adhuc prętorem, & laudatiſsimum pręſidem veneratur; ex eo potiſsimùm, quod leges, & decreta ſimul ſubditis dares, & à Superis acciperes; quod non aliter imperares,quam viueres, in tuis iudicijs ſola regnante integritate, in foſo tuo ſola iuſtitia perorante; nec tamen ex his Gothica fronte ſuperbiens, aut truculentus vlli apparebas, ſed cunctis humaniſsimus, æquè corporis maieſtate, animi candore, oris ſuauitate, eloquij dulcedine diligendus: idque præ cęteris tibi decantatur ad-

huc

huc in Brixiana Vrbe miraculum, quod ferocientium ſuapte natura animorum gratia in te vnum collecta, ſimultates, odia, ſeditiones ſponte cogeret exulare, in obſequio contentis ipſis quoque Proceribus, ac præpotentibus, amoris magis, quam carcerum vinculis iugiter obſtrictis. Ex tanta igitur tuarum laudum ſegete, quam nec tota Veneta Reſpublica, nec Hiſpania, nec Roma ſatis eſt excipere, optimo iure potuit hoc opus, qualecumque ſit, ſibi aliquid laudis te auſpicante certò ominari, tametſi alijs ominibus, ac diuinationibus fidem deroget. Vt valeas in æuum, precatur.

Tibi deuinctiſſimus Seruus

D. Ioſeph Maria Marauiglia Clericus Regularis.

LECTORI

LECTORI
BENEVOLO

Expoſitum Operis Intentum .

PROTEVS Ethicopoliticus à te humaniſſimè exceptus (Amice Lector) mihi in cauſa fuit, vt alterum Proteum Diuinatorem tuis oculis ſubijcerem, illum nimirum de quo dictum eſt à Virgil. 4. Georg.

------- nouit namque omnia Vates
Quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.

refert namque Antigonus Caryſtius in ſuo Dictionario Proteum fuiſſe apud Veteres virum quemdam ſapientiſſimum, qui præſertim arte diuinatoria ſapientes cæteros præcellebat, ventura omnia, vel ex contemplatione naturæ & elementorum prænuncians, vel ex animantium & ſiderum obſeruatione. Eò verò præſertim in huiuſce operis inſtitutione mea vota collimarunt, vt, & agnoſceres verſatile ingenium meum non in ſola moralis philoſophiæ materia iugiter commorari, & etiam vt Veterum, ac Recentiorum ſuperſtitionem diuinatiuam penè abolitam haberes; licet enim plerique fuerint, qui de diuinationibus, ac vaticinijs ſcripſerint, neminem tamen vidi, qui ex profeſſo ſingula diuinationum genera eo conſilio ad examen reuocauerit, vt examine ipſo dilucidaretur, quænam fides eſſet Diuinationibus adhibenda. Hanc Prouinciam mihi ſuſcipiendam præſcripſi, vt ad extremum operis concluderem, nihil eſſe magis ineptum, nihiluè viro ratiocinante magis indignum, quam cum Diuinatoribus inſanire; cum ſingularis ſit, ac ſoli Deo connata laus, futura præſcire, & occulta rimari. Quod ſi dicatur non omnem vaticinandi rationem eſse ſoli Deo congenitam, neque eſſe hominibus diuinitùs inditam, cum poſſint homines ipſi ex naturalibus cauſis, ac ſignis multa in natura præſcire, neceſsariò tamen fatendum eſt, certas omnino etiam in naturalibus prædictiones ferre ſemper difficillimum fuiſse, ac propè ad Deitatem acceſſiſſe, cum ex arcano ipſius ſupremi Conditoris conſilio inuſitati atq. inopinati progignantur effectus, qui tamen dicuntur à natura prodire: & ideo Philoſophi illi vete-

res,

res, qui myſteria quædam in ſinu naturæ latentia quodam diuinationis artificio prouocabant ad lucem, non ſolum Diuini appellabantur, ſed etiam Deorum numero adſcribebantur; atque ad eos, velut ad Numina quædam terreſtria aduentabant populi, & nationes; quod fecere præſertim Athenienſes ad Thaletem, Samij ad Pherecidem, & Theſsali ad Hippocratem, ab illis futurorum oracula importuna interrogatione extorquentes; quo honore etiam proſequuti ſunt Diuinatores ſuos Perſæ, Ægyptij, & Chaldæi, eos putantes ſupra mortalium genus euectos, qui neglecta rerum terrenarum cura cogitationes ſuas in ſiderum contemplationem, vt plurimum transferrent, atque in ſublimibus illis domicilijs collocati, omnia nobis euentura à longè proſpectarent; qua ratione perhibentur Orpheus,& Perſeus; Caſtor, & Pollux; Orion, & Chiron inter ſidera regnum accepiſse. Ad auertendos igitur eiuſmodi ſuperſtitioſos hominum cultus, atque ad extinguendam in leuiorum animis nimiam credulitatem hoc opus expoſui De Fide Diuinationibus adhibenda; quod ſi non imparem alijs editis operibus ſortietur fortunam, alia quam citò vocabit ad lucem ingenio tuo, ac fauore non indigniora. Vale.

NOI

NOI REFORMATORI

Dello Studio di Padoa.

HAuendo oſseruato per Fede del P. Inquiſitore non eſſerui nel Libro intitolato *De Fide ad abolendam Veterum, & Recentiorum ſuperſtitionem*, del P. D. Ioſeffo Maria Marauiglia C.R. de Carte 220. coſa contro la Santa Fede, e parimente per atteſtato del Segretario noſtro niente contro Prencipi, ò buoni coſtumi, concedemo licenza, che poſſi eſsere Stampato douendo oſseruarſi gl'ordini, & eſserne preſentate due Copie per le publiche Librarie di Padoa, e di queſta Città.

Dato dal Magiſtrato Noſtro li 30. Luglio 1661.

(Andrea Piſani Procur. Reform.
(Battiſta Nani Cau. Procur. Reform.

Alemante Angelo Donini Secr.

D. AVGVSTINVS BOZOMVS

Præpoſitus Generalis Congr. Cler. Reg.

HOc opus inſcriptum *Tractatus de Fide Diuinationibus adhibenda cùm Animaduerſionibus Theologicis*, à P. D. Ioſepho Marauiglia noſtræ Congregationis Theologo, & Viſitatore compoſitum, & iuxta præfixam aſsertionem Patrum quibus id commiſimus approbatum, vt Typis mandetur quoad nos ſpectat facultatem concedimus. In quorum fidem præſentes literas manu propria ſubſcripſimus, & ſolito noſtro Sigillo firmauimus.

Romæ die 28. Maij 1661.

D. Auguſtinus Bozomus Præpoſitus Generalis Cler. Reg.

D. Antonius Maria Riuanus Cler. Reg. Secr.

IN

IN Opere, cui Titulus (*De Fide Diuinationibus adhibenda*) nihil inuenimus, quod cenſuram pati queat, nobis à P. Generali demandatam: propterea velut opus ſatis conſonum noſtræ Fidei, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac ſaniori Sanctorum Patrum Doctrinæ, dignum typis cenſemus nos infraſcripti.

D. Franciſcus Maria Pencinus S. Theol. profeſſor.

D. Bernardinus Bentius S. Theol. profeſſor.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO I.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus vniuersè.

INTER diuinæ prouidentiæ teſtimonia non minimum il- 1
lud eſt, connata animantibus futurorum præſenſio, quæ, vel ratione, vel arte progrediens, obſeruatis, ac notatis ſignis, cauſiſque in natura poſitis, futuras res colligit, & obnunciat; ſi enim retinuiſset genus humanum inditos ab initio diuinæ ſapientiæ radios, quos in omnium animos de ſua æterna luce Deus ipſe profuderat, ſanè multorum euentuum cauſas, quos nunc coniecturis tantum proſequimur, certiùs, & explicatiùs inſpiceremus; ſignaque ad retruſos indicandos fines expoſita, faciliùs intelligeremus. At poſtquam lapſu primorum parentum infuſcatum eſt lumen, & ſuffuſa menti caligo eſt, tot tenebræ irrepſere, vt neque Solis faciem ſine nebulis datum ſit contueri; indeque hebetata mentis acies, licet ad ventura ſemper anhelet, neque de præſentibus ritè ratiocinatur; iugiterque inter ſperanda, ac metuenda, ceu procellis agitata nauis, certiſſimo errore inter incerta, & ignota diuagatur; & nihil non facit, non credit, non ſuſcipit, quo ſe à fluctibus expediat, atque, ſi non præſentem, ſaltem futuram ſibi aucupetur felicitatem; ſicque vota prænoſcendi futura tantoperè vbique locorum, & gentium inualuere.

Quo autem errore, qua noxa, ac pernicie eiuſmodi præſcientiæ libido ho- 2
mines ſemper exercuerit, inde ſatis coniectare licet, quod ex contracta ſenſuum, & intellectus imbecillitate à vera naturæ, ac diuinorum operum penetratione abducti, cæperunt (vt in ijs, quæ ignorabant, ineptè potiùs inſanirent, quam diuinarent) exta, fumos, ignes, aſtra, oracula, & id genus alia obſeruare, ex quibus futurorum euentuum notitias caperent; cum tamen ex ijs, vt plurimum certos ſubirent interitus; cogebantur ſiquidem Thebani Tireſiæ vaticinijs quotannis victimas humanas mactare, vt ab inhumana ſæuitia victorias, & triumphos expectarent. Diuinabat Calchas de excidio Troiæ, &

fauſtos Græcis pollicebatur euentus, at diuinatio illa ex volucrum volatu accepta filiæ Agamemnonis necem, & immolationem portendebat. Ionibus Delphicum Oraculum conſulentibus, quid futurum eſſet de ſæuiſſima lue, quæ in tota vicinia graſſabatur, reſponſum eſt, non deſituram luem, niſi Dianæ Tricleriæ litaretur Menalippus cum Comethone, quam in Dianæ templo ipſe ſtuprauerat, & niſi annuatim eodem tempore pro Menalippo elegantiſſimus iuuenis, & pro Comethone puella venuſtiſſima ad aram Dianæ mactaretur. Horribilia ſunt immania omnia ſuperſtitionum portenta, teterrima flagitia, excidia abominanda, quæ à Diuinatoribus, ipſiſque diuinandi votis, ac futurorum præſciendorum excitata ſunt in hominum cædes, ac illuſiones; vt propterea benè dixerit ſapiens ille Græcorum Antiſtes hominem inter incerta felicitatem diſquirentem certiſſimam experiri miſeriam.

3 Non eſſe tamen omne omnino prædictionis genus promiſcuè reijciendum apud omnes etiam catholicę doctrinæ, & veritatis aſſertores exploratiſſimũ eſt; ſiquidem ſcelus eſſet, & impietas in Deum ſummoperè contumelioſa ob eas præſtigias, fraudes, ac deceptiones, quas aſperſit operibus diuinis diabolus, errorque vulgaris velle fidem derogare propheticis teſtimonijs, atq. ſanctiſſimi Spiritus oraculis, & vaticinijs per diſſenſum, & incredulitatem reluctari; quẽadmodum etiã turpis eſſet ignorantiæ nota, eos effectus non præſcire, quę certas, ac manifeſtas habent in natura cauſas, ita à Deo conditas, vt futura præſagiãt, ſintque rerum ignotarum, & futurarum ſigna; quæ tamen eo ſemper ordine, ac lege iudicandæ ſunt, vt ſiue diuina ſint, ſiue naturalia, piè ac prudenter à ſuperſtitioſis ſecernantur, atque ab inordinatis authore, ac patre diabolo natis; probandus enim ab vnoquoq. eſt *ille rerum* creatarum vſus, qui in finem à conditore ſuo deſtinatus eſt; quo præſertim de aſtris dictũ eſt ab ipſo Deo, erunt vobis in ſigna, menſes, & annos; ſicque vt diſcernatur legitimus rerũ vſus à ſuperſtitioſo, & impio abuſu, credendum quidem eſt aues conditas eſſe ad volatum, alaſq. dextras, & ſiniſtras additas eſse, vt earũ velut remigio ex vno ſe loco trãſferant in aliũ, nõ vt volatu dextro, ſiniſtrouè, dextra nobis, aut ſiniſtra portẽdãt; cũ Deus ità opera ſua cõdiderit, vt naturis ſingulis, & actiones cõgruẽtes, & vires actionũ effectrices indiderit, terrenaq. cęleſtib' ea ſerie, ac lege copularit, vt nedũ conſenſus, ſed etiã cognatio quædã inferiorũ cũ ſuperioribus ſit admirãda.

4 Quod ſi de primo, ac præcipuo prædicationũ genere, quod diuinum, & ſpiritale vocatur, vtpotè Dei, ac Spiritus ſancti afflatu ſpecialiter illatũ, ſit ſermo inſtituendus, nemo dubitare poteſt in veteri, ac nouo Teſtamento plura vaticinia extitiſſe pluribus euentibus, atq. experimentis confirmata, vel confirmanda; ſiquidem plura vaticinatus eſt Daniel de quatuor mundi Monarchijs, atque earumdem ordine, interitu, inſtauratione, & rebus in quolibet imperio gerendis; plura vaticinati ſunt Eſaias, & Hieremias de mutationibus, ruinis, & colliſionibus regnorum, ſed pręſertim de regno Iudaico, Aſſyrio, Perſico, Ægyptio, idq. genus alijs; fuere etenim ſẽper in illo populo Prophetæ, qui à Deo ſolo excitati, inſtructiq. donis Spiritus S. peculiaribus, nõ ſolius doctrinę curã agebãt,

nec

nec doctorum tantum fungebantur munere; verum etiam in regimine politico Regibus ipſis præſtò erant, eorum conſilia regentes, ipſiſque imminentia mala, clades, & calamitates prædicentes. Quo referuntur etiam omnia vaticinia noui Teſtamenti in Euangelijs edita de Antichriſti aduentu, de ſignis nouiſſimum diem præceſſuris, de æterna, & beata electorum vita, & de id genus alijs, quibus abſque vlla hæſitatione fides eſt adhibenda; dummodo eiuſmodi diuinis oraculis, prædictionibus, & vaticinijs diabolicæ non permiſceantur diuinationes, quæ ſæpè ex ſolis coniecturis argutiſſimè deductæ, vel fraudibus & illuſionibus conſtructę homines facili negotio in errorem, ac mentis halucinationem perducũt: Quarum diuinationum diſcrimen illud præſertim eſt, quod ſint ſemper ænygmatibus, amphibologijs, & perplexis orationibus inuoluta, vt nedum credulos homines ludificent, ſed luſionibus circumuentos, eos, quò velint, pro libito contorqueant; ſpe, ſcilicet, felicium ſucceſſuũ fraudolenter excitata, metuque triſtium euentorum potenter iniecto. Hinc non ſolum ex cęleſtibus ſignis, quę ipſi optimè norunt, fatales imperiorum conuerſiones vaticinantur, ſed cũ ipſi Dęmones ſint magna pars eorum, quæ in imperijs geruntur, Deo ſæpiùs annuente, plura prædicere conſueſcunt, vt moueant, turbent, miſceant, & collidant inter ſe regna mundi, rectè conſtitutos diſſipẽt cętus, leges omnes, & diſciplinam conculcent; qua etiam ratione Dęmones ipſi portenta animis inſtillata, ſi poſſunt, ſæpè ſuis viribus perficiunt, homines concitãtes ad ſtudium rerum nouandarum, eorum excitata dominãdi cupiditate. Cum itaq. multa imperiorum negotia moliantur, gerant, & exequãtur Dęmones, ea præſertim, quæ mutationes, interitus, clades, atq. calamitates inſignes afferunt, vt hac occaſione plurimos perdant, publicis, ac cõmunibus malis inuolutos, eoſq. Deus, vt dictum eſt, iuſtis de cauſis in genus humanum ſæpè graſſari ſinat, edere etiã de talibus vaticinia poſſunt, quibus tamen ſuſpecta ſemper fides eſt adhibenda, cum eò nullo admiſſo fraudis interuallo contendant, vt homines infauſtè deſipiant; & idcircò omnia reſponſa, quæ antiquitùs reddidere Dæmonum oracula ſemper ænygmatibus fuere inuoluta, quale illud ad Cræſum

Cræſus Halyn penetrans magnam peruertet
opum vim.

Quale illud ad Annibalem

Lybia corpus Annibal teget tuum.

Quale illud ad Alexandrum

Pandoſia, ingentem es populum extinctura triuertex.

Cum verò inter reliqua prædictionũ genera, quarum pars, vt habet Tullius de diuinat. arte, pars verò natura confici ſolet, quædam numerentur, quibus 5.
fides omnino deroganda eſt, quædam, quibus præſtãda, idcirco operæ pretium eſt earum omnium diſcrimina hac diſſertatione proferre, vt clariore methodo in ſingulis deſcribendis deinceps procedamus; illudque in primis animaduertendum eſt, nullam vnquam fuiſſe gentem, aut nationem, ſiue humanam, ac doctam, ſiue immanem, ac barbaram, quæ arte, vel natura præſignificari

quoquomodo, atque prædici poſſe futura non ſit arbitrata; primi ſiquidem Aſſyrij propter planitiem, magnitudinemque regionum, quas incolebant, cũ cælum ex omni parte patens, atque apertum intuerentur, traiectiones, motuſque Stellarum obſeruarunt, quibus notatis, quid cuique ſignificaretur, memoriæ prodiderunt; qua in natione Chaldæi, non ex artis, ſed ex gentis vocabulo nominati, diuturna obſeruatione ſiderum ſcientiam putantur effeciſſe, vt prædici poſſet, quid cuique euenturum, & quo quiſque fato natus eſſet; eamdemque artẽ cæteris decurrentibus ſæculis putantur Ægyptij à Chaldæis conſecuti. Nec vnum fuit diuinationis genus apud omnes gentes celebratum, nam Cilices & Pitidarum gens, & his finitima Pamphylia auium volatibus, & cantibus, vt certiſſimis quibuſdam ſignis res futuras declarari voluerunt. Græcis ſolemne fuit Pythium, Dodonæum, atque Ammonium oraculum conſulere ad futura prænoſcenda. Romani non ſolum auſpicato vrbem ſuam condidere, teſte Romulo, qui optimus fuit augur, ſed etiam augurijs in cæteris vſi ſunt, & exactis regibus nihil publicè ſine auſpicijs, nec domi, nec militiæ gerebant; & ne genus vllum diuinationis ab ipſis neglectum videretur, ex omnibus gentibus artes eiuſmodi diuinatorias prouocabant, furoris diuinationes Sybillinis maximè verſibus adſcribentes, quorum decem interpretes ex ciuitate delectos eſſe voluerunt; alias verò diuinationes per ſomnia non negligentes; quemadmodum memoria noſtra proditum eſt templum Iunonis Soſpitæ à L. Iulio, qui cum P. Rutilio Conſul fuit, de Senatus ſententia refectum eſſe ex Cæciliæ Balearici filiæ ſomnio.

6 At quemadmodum non vnum fuit apud omnes gentes diuinationum genus, ſic non vno eodemque modo apud omnes probatæ ſunt diuinatoriæ artes; Xenophanes namque Colophonius omnem funditus diuinationem ſuſtulit, cum tamen Deos, & diuina conceſſerit, cui fortaſſis etiam Epicurus adhæſit. Socrates, omneſque Socratici, Zeno & ij, qui à Zenone profecti ſunt, ipſi conſentientibus etiam Pythagora, Platone, & Ariſtotele prædictiones ex aſtris non obliterarunt. Dicæarchus ex furentibus, & ſomniantibus vaticinia collegit. Chryſippus oracula prædicentia veneratus præſertim perhibetur. Tullius denique genus omne diuinationum ea ratione probaſſe videtur, quod licet cauſas euentorum ignoremus, quædam tamen ex ipſis euentis ars colligatur, quæ obſeruatis longo tempore ſignificationibus, diuino aliquo afflatu comitante, futura prænuntiare queat; quemadmodum etiam ex ſola obſeruatione quædam futurorum præſenſiones, & prognoſtica habentur in mari iuxta illud

Atque etiam ventos præmonſtrat ſæpè futuros:
Inflatum mare, cum ſubitò penitùſque tumeſcit
Saxaque caua ſalis niueo ſpumata liquore
Triſtificas certant Neptuno reddere voces:
Aut denſus ſtridor, cum celſo è vertice montis
Ortus adaugeſcit ſcopulorum ſæpè repulſu.

Opinati

Opinati ſunt enim Veteres ferè omnes Philoſophi, & Sapientes à ſupremo rerum molitore ſigna quædam, & notas condita eſſe in natura, ex quorum examine, & inſpectione ſecuturi euentus, aut ex ſe ipſis innoteſcerent, aut ipſa obſeruatione demonſtrarentur; quorum ſignorum eam etiam diſtinctionem atuliſſe, quod quædam ſint veluti certæ, & perpetuæ rei ſignificandæ notæ, quædam verò incertæ, & tantum probabiles; quemadmodum etiam cognitiones noſtræ ex varijs obiectis modo dicuntur certæ, modo verò tantum probabiles, quæ tot ſubeunt differentias, quot obiectorum diſcrimina ipſa rerum natura continet; Idcirco in numero ſignorum futura prænotantium quædam dici ſolent omnino ambigua, & obſcura, quibus plerumque non reſpondent euentus, quædam verò communia, ideſt vniuersè accepta, ac ferè infallibilia, quæ nunquam præſignato deſtituuntur effectu, de quorum genere ſunt illa apud Virgilium, quæ etiam dicuntur tempeſtatum prognoſtica.

Luna reuertentes, cum primùm colligit ignes
Si primum obſcuro comprenderit aera cornu
Maximus Agricolis, pelagoque parabitur imber.
At ſi Virgineum ſuffuderit ore ruborem
Ventus erit: vento ſemper rubet aurea Phæbe.
Sin ortu in quarto (namque is certiſſimus autor)
Pura, nec obtuſis per cælum cornibus ibit,
Totus & ille dies, et qui naſcentur ab illo
Exactum ad menſem, pluuia, ventiſque carebunt,
Votaque ſeruati ſoluent in littore Nautæ.
Sol quoque et exoriens, et cum ſe condet in vndas.
Signa dabit, Solem certiſſima ſigna ſequentur,
Et quæ mane refert, et quæ ſurgentibus aſtris.
Ille vbi naſcentem maculis variauerit ortum
Conditus in nubem medioque refugerit orbe
Suſpecti tibi ſint imbres, namque vrget ab alto
Arboribuſque ſatiſque Notus pecorique ſiniſter.
Aut vbi ſub lucem denſa inter nubila ſeſe
Diuerſi erumpent radij, aut vbi pallida ſurget
Tithoni croceum linquens Aurora cubile
Heu malè tùm vites defendet pampinus vuas.
Tam multa in tectis crepitans ſalit horrida grando.
Hoc etiam emenſo tam iam decedet Olympo
Profuerit meminiſſe magis: nam ſapè videmus
Ipſius in vultu varios errare colores.
Cæruleus pluuiam denunciat, Igneus Euros:
Sin maculæ incipient rutilo immiſcerier igni
Omnia tum pariter vento, nimbiſque videbis
Feruere: non illa quiſquam me nocte per altum

Ire,

Ire, neque à terra moneat conuellere funem.
At ſi cum referetque diem, condetque relatum
Lucidus orbis erit, fruſtra terrebere nimbis.

Eiuſmodi ſignis vtpotè certas habentibus in natura conſtitutiones, alijs his ſimilibus omni æuo fides adhibita eſt; reliquis verò incerta ſolum, atque ambigua ſignificatione futura præmonſtrantibus anceps conſenſio ab hominibus tributa eſt, ſiue in aſtris fuerint obſeruata, ſiue in plantis, ſiue in animalibus, ſiue in ſomnijs, & cæteris eiuſmodi pluribus. Quod etiam deprehenſum eſt in alijs rerum præſenſionibus, quæ in caſu, vel fortuna poſita ſunt; nulla etenim certa eorum præſenſio, aut prædictio eſſe poteſt, eorum, quæ nihil habent in natura, nihil in arte, aut in ratione; ſi enim & medicus morbum ingraueſcentem ratione prouidens, & inſidias Imperator, & tempeſtates gubernator ſæpè falluntur, cum tamen aliqua ſaltem probabili ratione opinētur; quid erit de eorum coniectura exiſtimandum, qui extis, aut auibus, aut oſtentis, aut oraculis, aut ſomnijs futura præſentiunt, atque prædicunt? Neque enim prouideri poteſt quidquam futurum eſſe, quod neque cauſam habet vllam, neque notam, & ſignum, quo iudicetur id certò futurum eſſe.

7 Cum itaque ex his liqueat ſatis inter diuinationum, ſeu prædictionum genera, quæ arte, & natura definiuntur, plura eſſe omnino anilia, ac ſuperſtitioſa, plura incerta, ambigua, ac perobſcura, plura quoque, quorum vſus interdicendus eſt, prudenti, ac religioſa quadam mentis indagine diſquirendum cuique eſt, quænam ea ſint, quibus fides adhiberi poſſit; quænam verò, quibus fides ipſa inhiberi debeat, *ne in re* tanti ponderis palmari aliquo decipiamur errore, vel inanes vmbras perſequentes, vel ſuperſtitioſa, ac omnino flagitioſa amplexantes; eritque noſtri conſilij meta potiſſima prauas, & interdictas diuinandi artes in ſequentibus diſſertationibus euertere, ac, quoad fieri poterit, prorſus abolere; præſertim cum plura diuinandi genera authore Dæmone ex ſignis quibuſdam colligantur, quæ verè ſigna non ſunt, licet ab Ethnicis fuerint in ſigna recepta, qualia illa, quæ ab ipſis capiebantur ex auium volatu, ex quadrupedibus, ex igne, extis, diris, offenſione pedum, abruptione corrigiæ, ſternutamentis, aurium tinnitu, ſalis effuſione in conuiuijs, dierum obſeruatione in operibus, vel itineribus ſuſcipiendis, & id genus alijs, quæ ad præſignandos euentus fingebat Antiquitas ignara, quæ etiam vera, & phyſica ſigna condita ad rerum naturas, vires, effectiones, conditiones, ac conſtitutiones velut pingendas oculis, detorquebat ad ſuperſtitiones, eaque interpretabatur alijs ſignificationibus longè à qualibet arte, ac re naturali aberrantibus; quapropter diuinationes eiuſmodi vt potè patre diabolo natę omninò reijciēdę ſunt, licet nō rarò accepta à talibus ſignis vaticinia euentu rata fecerit Diabolus ipſe ad homines illudendos, atque erroribus perdendos.

DISSERTATIO II.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus popularibus.

EAS voco vulgares, ſeu populares prædictiones, quæ apud populos etiam imperitos vſu haberi ſolent, qui nimirum non inquiſitis ſollicitè cauſis euentuum in natura, nec conſiderato ſignorum cum rebus ſignificatis conſenſu, ex ijs ſolum, quæ vt plurimùm eodem modo euenire, ijſdem antegreſſis ſignis animaduerterunt, ac notarunt, artem quamdam effecerunt, & regulas canonicas, ex quibus de multiplicibus euentibus, de tempeſtatum, cælique conuerſionibus, ac commutationibus, de fructuum, ac frugum prouentu, de vbertate, vel charitate annonæ, de aeris ſalubritate, vel infectionibus, de externorum hoſtium incurſionibus, ſæpè ſatis feliciter diuinant, cuius generis præſertim illa ſunt vulgatis carminibus prædicta 8

Clara dies Pauli bona tempora denotat anni
Si fuerint venti, deſignant prælia genti
Si fuerint nebulæ, pereunt animalia quæque
Si nix, ſi pluuiæ deſignant tempora cara.

Eiuſmodi enim diuinationibus, quæ aliquas poſſunt in natura habere cauſas, & conſtitutiones ad prædictos euentus elemēta ipſa perapprantes, fidem quandoque adhibendam eſſe non inficior, cum ſint diuinationum genera, quæ omni ſuperſtitione vacant, & experimentis ipſis ſanciuntur; nataque ſint ex conſentientibus inter ſe plurimorum annorum euentibus, quos cauſæ phyſicæ pepererunt; neque enim ſtatis temporibus recurrerent, neque vno modo, vt maximè antecedentibus ſignis reſponderent, niſi à certis, & ordinatis cauſis gignerētur, & gubernarentur; quæ quamuis non in conſpectu ſint omnibus, nec cum peruestigatæ ſunt, à quouis intelligantur, neque effectus ſimiles quouis anno procreent, tamen à vi cauſarum in natura dependent, vel à ſiderum virtute,

tute, efficacia, atque conſenſu; cuius generis plura adnotauit Plinius ex veterum obſeruationibus.

9 Quod ſi ætas omnis retroacta inſpicienda recurrat, ex ipſa quoque patebit certos ſemper fuiſſe quoſdam decretorios dies indices futurarum anni tempeſtatum, & fæcunditatis, aut ſterilitatis, non temerè, aut fortuitò, aut ſuperſtitioſè inuenti, ſed quod congruè ventura præſignarent, etſi cauſæ ab omnibus non intelligerentur, quas tamen conſtabat è cælo deriuari; Ita ex aeris conſtitutione, quæ ſtatis incidit diebus de tota meſſis tempeſtate, ac de vindemia coniecturas faciebant, quæ etſi non exactè ſemper cum euentu congruerent, rarò tamen aberrabant. Sic apud pleroſq. populorum ſemper fuit vſitatum de numero hybernarum niuium coniectare ex numero dierum, qui à prima niue ad proximum ſupereſſent nouilunium, idque ex vetuſtis, ac ſæpè comprobatis venatorum annotationibus; quemadmodum etiam nunc mos eſt colonis tot tempeſtates, ac pluuias æſtate oborituras, quot dierum in Martio nebuloſa fuerit conſtitutio; totque Paſcha conſecuturas pruinas, & Auguſto menſe effumaturas nebulas quot noctibus Martius irrorarit. Regula denique ſemper vulgaris fuit, quod ſi in globulis gallarum reperiantur vermiculi, quod vbertatem fructuum promittant, ſi muſcæ, quod portendant bella, ſi aranei, quod peſtem minitentur, quarum prædictionum cauſæ obſcuræ non ſunt, nam vermiculi ex putrefactione nati argumentum ſunt, & indicium conſtitutionis cæli calidæ, & humidæ, quæ terram fæcundat, & rebus naſcentibus ſuppeditat vigorem; Muſcæ verò vrentem ſiccitatem cæli arguunt, qua inflammantur corpora, & velut vſtulata implentur feruidis, & acribus humoribus; Aranei denique ex venenata, contagioſa, atque impura putredine naſcuntur, quæ cum corripit, & inficit corpora humana, in peſtilentes exardeſcit febres, hæ putredine augeſcente erumpunt in bubones peſtilentes, & anthraces. Quorum omnium vis, & efficacia habetur à conſtitutione cæli, à Solis, & Lunæ congreſſibus, & à cæterorum planetarum varijs ad ſuprema Luminaria configurationibus; hicque nimis longum eſſet omnium cauſas prætexere, quas ij, qui Cæli tractus inſpiciunt, optimè norunt, quas animaduertere neque ſuperſtitioſum eſt, neque ſuperuacaneum, cum ſint potius non obſcurum diuinæ prouidentiæ argumentum, noſque de conſenſu motuum cæleſtium, & effectionum luculenter admoneant.

10 Vacant etiam omni ſuperſtitione, fidemque noſtram meritò promerentur prædictiones illæ, quæ fiunt ex rebus naturalibus cæteris animantibus inditis; vulgò ſiquidem obſeruatum eſt vulpes aure ad glaciem appoſita craſſitudinem gelu coniectare; Herinaceos condentes ſe in cubile mutationem Aquilonis in Auſtrum præſagire; Apes ſe tectis continentes, ventos, imbreſque prædiuinare; Aues paludum, & maris ſæpè in aquam ſe mergentes, procellam notare; Cornicem in littore caput tingentem aquis, aut totam natantem, & nocte vehementius crocitantem ſignare imbres; domeſticas gallinas frequentiùs puluere ſe aſpergentes turbines denuntiare; Muſcas frequentiùs mor-

Digitized by Google

mordentes, Canes copioſiùs latrantes, Grues celeriùs aduolantes, Lupos domos audaciùs ventitantes, Boues vngulas lambentes, imbres, procellas, aeriſque commotiones prænotare; ſicque de reliquis animantibus, quæ commemorat Seruius ad illa carmina

Tunc liceat Pelagi volucres, tardæque paludis
Cernere inexpleto ſtudio certare lauandi,
Et velut inſolitum pennis infundere rorem
Aut arguta lacus circumuolitauit hirundo
Et bos ſuſcipiens cælum mirabile viſu
Naribus aerium patulis decerpſit odorem
Nec tenuis formica cauis non educat oua.

Quæ animātum pręſignificationes ſuas habent cauſas in natura,in Sole præſertim,Luna,ac Stellis; quemadmodum etiam aliæ rerū præſenſiones,quæ etiam in inanimis vulgo animaduertuntur;ſic ſi poſt meſſem ante occaſum Pleiadum pluuia fuerit,pręmaturus prędicitur annus;ſi ſub occaſum Pleiadū imber fuerit medius erit,nec tardior, nec tempeſtiuior annus; ſi poſt occaſum Pleiadū tardior erit; adduntq. pleriq. non vulgares coniectatores talem eſſe expectādam hyemem, qualis fuerit feſta dies, quæ Romanis Brumalia dicta eſt, ſcilicet, vt Apuleius interpretatur, qualis fuerit vigeſima quarta dies Menſis Decembris. Quin tantā fidem ſibi vendicant prędictiones eiuſmodi,vt affirmet Plin.*li.* 18. *c.*35. omni æuo fuiſſe pluribus experimētis comprobatas,adhibito Democriti teſtimonio, qui fratre metente ſub ardentiſſimo æſtu fertur oraſſe, vt reliquæ meſſi parceret, raperetque citò deſecta ſub tectum, atq; paucis poſt horis ſæuo imbre vaticinationē fuiſſe impleta:& nemo ignorat Anaxagorā in Olympia,cū nulla *pluuię ſuſpicio eſſet* pelliccā veſtem indutū proceſſiſſe,nec ita multò poſt ingentem pluuiā ſecutam;& domum omniū firmiſſimā,cum breui caſurā prędixiſſet,corruiſſe;& cum diem in noctē verſum iri præuidiſſet,vera pronuntiaſse, quemadmodum teſtatur Philoſtrat.*lib.*1. *de vita Apollonij cap.*2.

Nautæ quoq. ſua habent vulgaria procellarū ſigna,morborū, medici tēpeſtatū Agricolæ, quibus experientia ducti,plura antequam eueniant, non ignorant; quæ etiam cauſis naturalibus adſcribenda ſunt; docet namq. Ptolemæus ab æтherea natura vim quamdā accipere hęc inferiora,qua velut fatidico quodam nutu ſibi ipſis ventura prænunciant; tempeſtatum enim,procellarum, atq. morborū quaſdam eſse fortuitas cauſas, & adhuc incōpertæ rationis omnibus compertū eſt,ſed earumdem quoq. ſtatas eſse cauſas in natura, quilibet fateri debet;nec meantiū modo ſiderum hæc vis eſt, ſed multorū etiā cælo adhærentiū, quoties errantium acceſsu impulſa, aut coniectu radiorum extimulata cernuntur, qualiter præſertim in Suculis ſentimus accidere,quas Græci ob id pluuio nomine Hyadas appellant. Sic Arcturi ſidus non ſine procelloſa grandine emergit; Caniculæ exortu accenduntur Solis vapores, cuius ſideris effectus ampliſſimi præſentiuntur; feruent enim maria ipſo exoriente, fluctuant in cellis vina, mouentur ſtagna. Afflantur alij alio ſidere, alij commouentur

aluo, neruis, capite, mente. Ægrotis quibuſdam ſtatis horis, ac diebus melior indicitur, ac prædicitur valetudo; & ipſa medicamenta Lunæ incrementa, aut decrementa ſequuntur, & minus, magiſque pro habitu Lunæ pollent; quibus obſeruationibus, ac prædictionibus ex ipſa natura erutis non incongruum ducimus fidem adhibere; ſunt namque ex eo diuinationum ordine, quo vſus eſt Anaximander Phyſicus, cum Lacedæmonios præmonuit, vt vrbem, & tecta relinquerent, armatique in agro excubarent, quod Terræmotus inſtaret, tunc cum vrbs tota corruit, & ex Monte Taygeto extrema montis, quaſi puppis auulſa eſt; quo itidem vſus perhibetur Pherecydes, qui cum vidiſset hauſtam aquam de iugi puteo, terræmotus dixit inſtare, quod nimirum tanta immutatio in puteo fieri non poſset, niſi imminentibus flatibus inteſtinis, ac ſubterraneis, qui exitum ſibi per terræ commotionem quærerent; Prædictiones enim huius generis omnes vtpotè ratione nitentes, atque ex cauſis naturalibus deductæ non vſquequaque improbandæ ſunt. Adduntur his quædam etiam in plantis, & arboribus diuinandi notæ indicantes initia, fineſuè, aut conditiones quatuor vniuerſalium anni temporum, nam ægrè de arboribus defluentia folia, & exciſa fagis fruſta lignea, ſi madeant, aſperam hyemem, & intenſam præſagiunt, nimirum quod occulto ſenſu ſequuturi frigoris, tanquam de futuro cogitantes, ſeque neceſſarijs inſtruentes, priuſquam terra gelu conſtringatur, & duretur, abundantiùs ſuccos attrahunt. Roſas etiam, & Violas, ſi ſub Autumnum ſecundò floreant, peſtilitatem adferre compertum; non enim iterum prodeunt, niſi conſtitutio aeris præcedat auſtrina, & ſqualida, quæ longo duret tempore. Trifolium denique inhorreſcere, & folia contra tempeſtatem ſubrigere certum eſt; Sic montium ſonitus, nemorumque mugitus, & ſine aura, quæ ſentiatur, ludentia folia, lanugo populi, ſpinæque volitantes, & aquis innatantes plumæ prænuncia tempeſtatum obſeruata ſunt: Deſino recitare omnium eiuſmodi rerum exempla, ex quibus certa quædam popularia eruuntur præſagia, ne totam percurram, aut exhauriam rerum naturam. Hæc tetigiſse ſatis.

DIS-

DISSERTATIO III.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex Caſibus fortuitis.

EX mirandis rerum humanarum vicibus, ex mira volubilita- 12
te, atque inconſtantia fortunæ, qua multa præter ſpem, &
opinionem contingunt in hominum vita ducunt nonnulli
quaſdam euentuum prædictiones, quæ, quia rerum fortui-
tarum ſunt, ſeu caſu, vel fortuna contingentium, fortuitæ
nominantur; & quanta ſit eiuſmodi prædictionum certitu-
do, qualiſuè fides ipſis adhibenda, erit in hac diſſertatione inquirendum; vi-
detur namque in rebus admodum incertis nihil certi poſse conſtitui, cum ex-
perimentis omnium temporum excurſu comprobatis ſatis teſtatum ſit, multa
à nobis ſapienter præcogitata, cautè, ac prouidè cæpta infeliciùs vt plurimum
cadere, quam exiſtimamus; alia è diuersò ſtolidè, atque incogitanter mota,
negligenter etiam adminiſtrata, varijs denique incurſionibus inhibita, vel
impedita, feliciter tamen procedere, & exitus optatos aſsequi; quemadmo-
dum etiam ſæpè, quæ pro deſperatis, ac perditis contemnuntur, ſubitò reflan-
te fortuna, rurſus ſe erigere, & augeſcere; quæ verò florent, & ad eum fulta,
ac ſtabilita modum putantur, vt nulla vi conuelli queant, leui momento ve-
lut repentino flatu diſiecta corruere; tumque vel maximè cum fortuna ſuauiſ-
ſimè adblanditur; Ex qua rerum humanarum viciſſitudine non ſolum Poetę
occaſionem arripuere, vt rotundum fortunę, quo iugiter volutaretur, adſcri-
berent globum, ſed etiam vates cęteri, atque diuinatores, vt ſuas de rebus for-
tuitò contingentibus prædictiones afferrent.

Quam verò partem habeat fortuna in rebus humanis ex eo coniectari po- 13
teſt, quod ſiue bona contingant, ſiue mala, omnia fortunæ adiudicãtur; & inde
etiam priſcis temporibus templa illa erecta, & conſtituta fortunæ bonæ, malę,
blãdę, Auerruncę, Caluę, Equeſtri, & ſimilibus; quin ſcribit Simplicius 2. *phyſ.* tãtã

fuiſſe apud Delphos fortunæ venerationem, vt vna cum Apolline ad petenda bona, atque ad mala auuertenda inuocaretur; & licet dicat Lactantius lib. 3. homines, cum nomen Dæmonis peruerſi ignorarent, fortunæ vocabulum inane induxiſſe iuxta illud Euripidis.

Falsò putantes eſſe Dæmonum genus
Fortunam & ipſis prouidere ſingula.

Plurimi tamen Fortunam veram euentuum humanorum cauſam dixere, & nonnulli etiam diuinam, cum & vulgus apud Epicurum, & apud Iuuenalem eam pro Dea habuerit

Te facimus Fortuna Deam Cæloque locamus.

Quamuis difficile ſit philoſophos inuenire, qui diuinitatem fortunę tribuerint, cum nihil tam contrarium ſit rationi, prudentiæ, & conſtantiæ, quam fortuna; quæ verò inſtabiliter, atque inordinatè fiunt, longiſſimè aberrant à Deo. Cęterum fortunam verè eſſe rerum contingentium cauſam, eo nomine, quo quidam cauſarum ordo intelligitur relatus in Deum, nemo eſt qui ambigat; non enim ex fortuita, & fictitia atomorum Epicuri colliſione, & coalitu hoc mundi domicilium cum rebus ſuis dicitur confluxiſſe, ſed ex ſerie quadam cauſarum concinna, quam Deus effectibus, atque euentibus ordinatis adaptauit, quamque vocat Lactantius accidentium rerum inopinatum ordinem; nomine enim fortunæ apud Sapientiores omnes nihil aliud intelligitur, quam concurſus variarum cauſarum abſque conſilio factus, adeò vt ita ſequatur euentus, qui fortuitus dicitur, vt ipſum vel omnes, vel aliquæ, vel is ſaltem, cui contingit, minimè intenderint; qua ratione, cùm ad inuentionem theſauri fortuitam requiratur, nō modo qui fodiat, ſed etiam qui priùs occultet, perſpicuum videtur fortunam, ſeu cauſam talis inuentionis eſſe ipſum occultationis, & effoſſionis eo loci concurſum, abſque tamen mutuo conſilio, & præter agentium intentionem. Sic non omnino fortuitum reſpectu Nitocridis fuit, quod circa ſepulchri violationem contigit, quatenus præſumpſit non defore aliquẽ Regem, qui ſepulchrum aperiret ea inſcriptione pellectus (ſi cui Regum Babylonis fuerit pecuniæ penuria; aperto ſepulchro ſumito quantumcumque pecuniæ libuerit) qua inſcriptione Darius deceptus eſt, teſte Herodoto, qui loco pecuniæ illud ſcriptum inuenit in ſepulchro. (Niſi eſſes pecuniæ inexplebilis, & turpis lucri cupidus, defunctorum ſepulchra non aperuiſſes.) Sic, tametſi Democritus, vt ex Eudemo refert Simplicius, referre ad fortunam noluerit, quod Eſchylo teſtudinis caſu confractum caput fuerit; ipſam enim eius caluitiem cauſam fuiſſe Aquilæ, cur opinata lapidem eſſe, teſtudinem eò dimiſerit, fortuna nihilominus fuit, quod is euentus fuerit; non modo præter Eſchyli mentem, qui talem caſum non prouiderat; ſed etiam reſpectu Aquilę, ſi ipſi mentem dederis; vtpotè quæ teſtudinem alio fine dimiſerit, quam vt Poetæ, de quo nulla ipſi cogitatio erat, caput confringeret.

14 At cum non ſine diſcrimine caſus, & fortunæ nomina vagentur, antequam ex vtriſque ferendas prædictiones attingamus, in quo differant, explorandum eſt;

eſt; communiſque doctrina eſt in eo differre caſum, & fortunam, quod fortuna ſit ſolum in cauſis liberè agentibus, caſus verò ſit etiam in inanimis, atque in ijs omnibus, quæ ſine delectu agunt, vnde cum Ariſtotele docent etiam Plutarchus, & Chalcidius, omnem quidem fortunam caſum eſſe, ſed non è contra omnem caſum fortunam, licet vtrumque ſit ex contingentium genere: quia verò contingentia, ſeu euentus ambigui ex eo redduntur, quod vel libertas interueniat, ob quam res alioquin futura non eueniat, aut non alioquin futura fiat; vel cauſa alia, quæ præter ſui deſtinationem, aliarumque rerum non præmeditatum concurſum præſtet, vt quidpiam non alioquin euenturum eueniat, aut euenturum non eueniat, conſtat hoc poſterius contingentiæ genus eſse id, quod caſum vniuersè appellant; & ſi fuerit quidem ſpeciatim in ipſis hominibus, præter quorum mentem aliquid contingat, eſse id quod fortunam dicunt; licet interdum vtrumque etiam confundatur, & quod caſu contingit, dicatur etiam forte fortuna contingere, cuiuſmodi illud eſt apud Poetam

O fortunatæ gentes, Saturnia regna.

Propriùs tamen ea dicitur fortuna, ſub qua homines dumtaxat, ac ratione pollentes laborant, ad fauſta ſemper anhelantes, atque inſperata bona peroptantes; ita tamen vt fortuna nihil aliud eſse cenſeatur, ſi cauſæ per ſe ad effectus ex ordinatione diuina concurrentes ſeponantur, quam ea quæ ſupereſt negatio prænotionis concurſus, & intentionis euentus; eiuſmodi namque eſt hominum imbecillitas, vt quidquid non capiunt, non modo mirentur, ſed etiam ex ignoratione cauſarum ipſis aliquid inopinato afferentium fortunam dicant, ipſi quoque plerumque diuinitatis lumen obtendentes.

Cum igitur in fortuitis euentibus, quocumque modo contingant, nihil certi habeatur, *nihil cogniti*, aut præcogniti, conſequens etiam eſt ex ipſis nihil certi aut præfiniri poſse, aut prædici; nihil enim (ait ad rem optimè Tullius *2. de diuin.*) tam contrarium eſt rationi quam fortuna, aut quod fortuitò euenit abſque præcurrente rationis diſpoſitione; ac propterea cum Ariſtotele etiam Epicurus docebat homini ſapienti aut exiguam, aut nullam interuenire fortunam; licet enim hominũ vita aleæ ludo comparetur, in quo iactus perito æquè, ac imperito fortuitus eſt, perito tamen dicitur feliciùs ſemper cedere, cum vitam ipſam, humanoſque caſus in ſapientibus non regat fortuna, ſed ſapientia, quæ tamen, cùm ſingula, quæ contingere poſſunt, prænoſſe non valeat, neque omnes fortuitos euentus poteſt prædicere; multa ſiquidẽ fortuita confuſa quadam vaticinandi ratione in vniuerſum ſibi prędixerat Tullius, cum iter. ſuſcepit in Græciam, in Aſiam, ac Rhodum, vt diſertiſſimos illius ætatis Rhetores audiret, at non ſingulos, & peculiares potuit euentus præuidere, nimirum cum à Brunduſio ſoluens proſperam nactos tempeſtatem pauciſſimis horis Apolloniam perlatus eſt; cum contra è Piræo ſoluens, quo in Aſiam traijceret, repente ex aduerſo excitata procella, in Piræum, vnde ſoluerat, reiectus eſt; Cum in Rhodio littore expoſitus animi gratia per arenam deambularet, incidit in Murenam, & ſic de reliquis; cum enim nulla ſit inter eiuſmodi fortuitos 15

tuitos euentus cauſarum connexio, nulla actionum diſpoſitio, hinc fit, in certam nequaquam præuiſionem, aut prædictionem cadere poſſe: Neque ex vno contingenti poſſunt alia præuideri, atque prædici, cum omnia incerto modo fiant, incerta regula, atque incerta ratione; oporteret namque contingentium prædictorem ſupernam ſupremi moderatoris mentem optimè callere, qui ſolus euentus illos in ſuis cauſis diſponit, atque dignoſcit; quod tamen nemini datur abſque ſpeciali futurorum reuelatione.

16 Quod ſi ad firmandas de fortuitis euentibus prædictiones virtus ipſa; & agendi honeſtas aduocetur, cui ſæpenumero fortuna coniungitur; erit potius eiuſmodi diuinandi ratio adſcribenda virtuti, quam fortunæ, quæ aut difficillimè copulantur, aut copulatæ facillimè diſſoluuntur, cum fortunæ nihil inſit cōſtans, atque perpetuum, quod tamen virtuti, & honeſtati ineſt; licet enim videatur fortuna quandoque conquieſcere, ſuumque ſiſtere motum, vt, iuxta Lucretianum illud de inconſtantia maris.

—— placidi ludat pellacia Ponti

Quantoperè tamen inſidioſa ſint fortunæ etiam ſtantis blandimenta, ſtabiliſq. flatus docent infauſta illa Heroum exempla, quibus dicitur ſtata arriſiſſe fortuna; Annibali nimirum, cuius adhuc venenoſus decantatur annulus, Pompeio, in Ægyptio littore infeliciter ſublato, Cæſari in Curia Pompeiana perempto, Antonio Cleopatræ mactato, & reliquis eiuſmodi innumeris, quos omnes eo tantum extulit fortuna, vt perderet, vt ad ima detruderet; pauciſſimi ſiquidem inuenti ſunt Auguſti, rariſſimi Traiani, vnaque vix manu numerati Antonini, quos non illuſerit fortuna, quoſque tandem fortuna ipſa lethaliter non percuſſerit. Latiſſimus eſt fortunæ campus, & longè latior ſemper fortunæ, quam virtuti, cum longè ampliora ſint, quæ præter ſpem, opinionem, hominumque propoſitum ſolent euenire, quam quæ contingunt ex rationis inſtituto.

17 Ad ſummum igitur prædictiones quædam de fortuitis euentibus in vniuerſum ferri poſſunt, ſi ſigna quædam eorum notentur, quæ natura ipſa ad fortunationem inſtituiſſe videtur; ſi nimirum homines faciliùs in rebus agendis moueantur ab impetu, quam à ratione, potius ab innato quodam agendi furore, quam à capto conſilio, atque maturitate; ſi appetitiones ipſæ, quibus homines trahuntur potius ſenſuum ductum, quam rationis, & bonæ mentis ſequantur imperium; ſi in ſuſcipiendis, aut ſuſceptis negotijs nihil omnino pro re ipſa ratiocinentur, ſed omnia committant euentibus, & ſic de cæteris;. Tunc enim velut certum aliquod diuinandi genus ſtabiliri poteſt, quo ſemper ad inconſulta rapiantur homines illi, repudiata in omnibus ratione; vnde tamen æquè proſpera, atque infauſta contingere poſſunt. Neque ex ſtellarum poſitu, atque configuratione, quæ vel bona, vel mala fortunæ cuicunque prænunciare ſolent, poſſunt fortuitæ prædictiones, vt omnino certæ denunciari; licet enim Iupiter & Venus beneficæ dicantur fortunatorum ſtellæ, magiſtratus, ac dignitates portendentes, tamen, ſi qua hora geniture tempore vel horoſcopum,

vel

vel Iouem infelix ſtella percuſſerit, Mars, ſcilicet, aut Saturnus, quæ ab Aſtrologis aſtra malefica nuncupantur, impedimentum aliquod, vel aliud periculum euentitium portendetur, quo incerta redditur illa prædictio, & ità de reliquis fortunæ prædictionibus diſſerendum eſt: qua è re liquidò cernitur fortunam rerum, quæ Stellis promittuntur geniture tempore inconſtantiſſimam eſſe ipſarum rerum executricem, nihilque ſtati, ac certi ordinis ex ipſa prædici poſſe; quæ etiam cauſa fuit Platoni, & Ariſtoteli, vt tam plura fortuitò, atque inopinato in hoc rerum orbe euenire diſpicientes, ex quacunque fortunæ notitia ſiue per euentuum experimenta comparata, vel firmè de futuris contingentibus affirmari poſſe docerent; ſed ad ſummum quædam vniuersè, quæ eſſe, & non eſse, fieri & non fieri, quæque ancipitis ſemper eſsent euentus, prænunciari, quod nos quoque non inficiamur.

DIS.

DISSERTATIO IV.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex Oraculis.

18 NON vocantur hic ad examen oracula illa diuino quodam afflatu excitata, quibus olim Deus ipſe loquebatur in Prophetis, à quibus aberat errabundæ, ac veſanæ amentiæ furor; quorum in edendis reſponſis, licet concitarentur animi, non propterea tamen ratione amouebãtur, aut vnquam ab honeſtate recedebant; his namque omnem fidem eſſe adhibendam apud omnes Chriſti fideles, veroſque Dei cultores exploratiſſimum eſt; ſed de ijs tantum oraculis inſtituitur ſermo, quibus reſponſa antiquitùs ſciſcitantibus dabantur voce, geſtu, nutu, ſonitu, tinnitu, & id genus alijs, quæ reddere ſolebant, vel conſtituta in templis ſimulacra, vel Vates Ethnici diabolico quodam furore correpti futura prænunciantes; licet enim ſacræ doctrinæ teſtimonio ſatis conſtet Deum in erudiendis ad vaticinia ſanctis Patribus, & Prophetis locutionibus humanæ vocis, apparitionibus, varijſque motibus, & impulſibus vſum eſſe, quemadmodum etiam multiformi viſionum exhibitione; longè tamen diſſimilis fuit diuinorum oraculorum conditio ab Ethnicis illis oraculis, quæ in ijs, quæ ad religionem, & veritatem ſpectabant, ſemper ambiguis loquebantur ſententijs cum obſcuritate fraudolenta, atque captioſa veritati diuinæ aduerſante; vbi contra diuina oracula æternæ veritati conſona etiam per homines cõſtanti quodam tenore promulgabantur, nunquam ſcelera diuinitùs vetita, aut idolatrias præcipientia, vel comprobantia, vti mos erat vt plurimum oraculorum Ethnicorum, quæ ad incautos homines decipiendos fas, & nefas pro libito ſuadebant, fingentes furentes illi vates, qui ad mercandam fidem antra Deorum colebant, ſe cum Dijs commercio, & colloquutiones habere; triti enim ſunt Virgiliani illi verſus

———— immanis in antro
Bacchatur Vates, magnum ſi pectore poſsit

Excuſsiſſe Deum, tanto magis ille fatigat
Os rabidum fera corda domans, fingitque premendo.

Eiuſmodi Ethnicorũ oraculis, quæcunq. fuerint, authore Diabolo natis nec
fidem benè adhibitam, nec benè vnquam adhibendã cenſemus; cum enim ad
deformandam Dei gloriam, atque ad infuſcandam veritatis lucem Dæmonum
arte fuerint inuenta, fuere etiam cęco hominum errore, atq. deliramento ſem-
per exculta, quo ſtolidiſſimi vetuſtarum gentiũ animi, & à veritate abduceren-
tur, & per nimiam eorum quæ ſperabant, vel quæ metuebant, credulitatem, in
miſerandũ raperentur exitium; nec alia occaſione ea orta eſſe teſtantur ſanctiſ-
ſimi Patres, niſi vt exquiſitæ religionis ſpecie ſuperſtitjoſus Dei cultus indue-
retur; donec tandem cumulata caligine, extincta, ac ſopita luce veræ doctrinæ,
auulſo prorſus ab animis veritatis, & veri Numinis amore, criminum dumtaxat
horrores homines inambularent. Quo verò tempore primùm extiterint oracu-
la, aut quando eorum templa, quaſi arces regni ſui aperuerit Diabolus, hoſtis
gloriæ Dei, non certò adhuc conſtat, nam Herodotus antiquiſſima fuiſſe anno-
tauit in Lybia Iouis Hãmonis oracula, in Græcia verò Dodonęum; hoc tamen
illo priùs innotuiſſe, & quæſitum, frequentatumq. fuiſſe aliquanto ante; atque
circa horum oraculorum ortum duas recitat fabulas, vnã ex narrationibus Sa-
cerdotum Ægyptiorum, alteram ex annotatis Antiſtitum, qui præfuerunt ora-
culo Dodonęo, aitq. fabulam Ægyptiacam de duobus Sacerdotibus raptis, ac
diuenditis à Phænicibus, quarũ vna in Lybia oraculũ Hãmonis, altera in Græ-
cia Dodonæũ aperuerit, commenticiã totam eſſe, & nullã veri ſpeciem habere;
quemadmodũ etiam Dodonæam ex diluuij hiſtoria decerptã ait ad poſteros
deprauatã promanaſſe; retulerunt enim Antiſtites Dodonæi geminas ex Ægy-
pto columbas prouolaſſe, carũ alteram tranſiſse in Epirum, ibiq. in fago primò
conſpectam, & humana voce exauditã eſſe; atq. inter cætera hæc ſonaſse man-
data, vt templum in eo loco incolæ extruerent; Iouem enim affuturum, & inde
oracula hominibus redditurum, ſe verò internũcios, atq. interpretes decreto-
rũ Iouis fore: Deucalionem tandẽ cum reliqua Græcia inũdationibus obruta,
ac merſa, ſolus euaſiſset, in ea Epiri loca, quæ propter eminentiã, & altitudinẽ
aquæ non inundarant, profugiſse, collectiſq. qui ſuperfuerant ex diluuio homi-
nibus, circa templum oppidulũ exædificaſse, atq. id nominaſse Dodonum, vel
à Dodone Oceanitide Nympha, vel à Dodone Iouis, & Europæ filio.

Quàm verò commenticia, ac fabuloſa fuerint vſque ab ortu ſuo eiuſmodi 20
oracula, tametſi ſatis ex his coniectare liceat, alia tamen plura eorum figmen-
ta pandunt; feruntq. namq. Dodonæum oraculum ad Dodonam ampliſſimã,
& vetuſtiſſimã vrbem Moloſſidis in Epiro frequentatum fuiſſe, quæ erat vicina
nemori quercino, in quo vocales quercus creuiſſe proditum eſt; quę ſtatim vbi
acceſſiſſent de euentibus interrogaturi, commouerent ſeſe, atq. inſonarent ex-
preſſo, quod dandũ erat, reſpõſo; ibidẽq. Statuã ſtetiſſe, quæ virga æneos quoſ-
dã lebetes pulſaret, qui ad moderatos ictus paulatim increperent, numeriſq.
ligata ederent reſponſa. Sic alterum à Dodonæo Iouis Hãmonis in extimo ſinu

Lybiæ apud Garamãtes vltrà Cyrenem in ſolitudinibus vaſtis, torridis, ac ſiccitate ſterilibus ſitum fuiſſe, quò propter intenſos, & exurentes Solis æſtus, vaſtamq. planitiem, ardoribus Solis, & ariditate infeſtam non cuiuis facilè patebat acceſſus; vbi etiam oraculi ſedem denſum nemus occupabat, cuius gratiſſima vmbra feruores diurni lenirentur, paſſim extillantibus fontibus ſolũ illud rigantibus natura exuccum, & ſterile; ita tamen vt medium ſyluæ occuparet templum, in quo Idolum Hammonis pelle amictum hircina, & hircino capite colebatur; illudq. Idolum Sacerdotes reſponſa petituri aurato nauigio impoſitum circumuectabant, patrio carmine iugiter occinentes; quæ omnia ſanè ridicula ſemper viſa ſunt; quemadmodum cætera quoq. quæ de reliquis oraculis à Diabolo conditis, perhibentur, præſertim de Pythio, Zophonio, Sabæo, alijſq. innumeris, quę cultu, religione, fama, opibus, & denarijs pro varijs orbis plagis celebrata ſunt; de Pythio namq. memorant ibi circumpaſcentem Capram, cum profundum terræ hiatum ibi circumſpexiſſet, cæpiſſe vaticinia fundere; deinde eam in conſulendo hoc oraculo ſeruatam eſſe religionẽ, vt qui de futuris euentibus interrogaret, breui oratione, quæ requireret, Pythiæ ſignificaret, & quæſo ſermone reſponsũ expoſceret, mactata ſimul, & ſoleni ritu conſecrata victima; Pythia verò, quã mulierẽ eſſe oportebat, non promeret quicquam, niſi totam priùs victimam contremiſcere, ac velut micare cerneret. De Trophonio, Sabæo, alijſq. omnibus non diſſimiles nugæ recenſentur, quæ ſatis ſunt ad omnẽ oraculorũ abolendã fidem eo pręſertim, quod ipſorũ prædictionibus fidẽtes vt plurimũ decepti ſunt, quod præſertim narratur de Seleuco Syriæ Rege oraculũ Apollinis conſulente de ſuo in Macedoniã reditu, & locum percontante, in quo eſset periturus, cui illa ambigua lata ſunt reſponſa

Ne propera Europam, Aſia tibi fauſtior ora eſt.
Fatales perages annos, ſi fugeris Argos
Ante æuum fatale cades, cum veneris Argos.

Cum verò omnem excedant numerum illi, qui oraculorum prædictionibus decepti ſunt, non eſt opus longam eorum omnium ſeriem attexere, maximè, cum apud eos omnes recenſeantur, qui de oraculis ſcribunt.

Plutarchus verò, vt oraculorum prædictionibus fidem aliquam conciliaret,
21 eas à Deorũ, vel Dæmonũ arte omnino ſubduxit, ſed ad naturã retulit, nimirũ ad cauſas quaſdã naturales naturali quadam vi vatidicos anhelitus in terra incitantes, vel vatidicos ſpiritus ab hominibus extorquẽtes; ita vt ex illis naturalibus afflatibus mouerentur hominũ mentes ad futura vel prædicenda, vel cognoſcenda; Sic enim ratiocinatur Plutarchus, quẽadmodũ quædã terræ partes alijs fæcundiores ſunt, quædã lectas fruges, quædã fructus optimos vbertim ferunt; quædã auri, & argenti alijſq. metallis abundant, quædã bitumina fundũt, quædã ſulphur, vitrũ, calcẽ, ſalemq. gignũt, prout quæq. vim ex temperie primarũ qualitatũ diuersã, variamq. ex cæli poſitu facultatẽ adeptæ ſunt; ſic quædã terræ partes tali præditæ temperamẽto poſsũt inueniri, quæ pariant, cieãtq; ſpiritus vatidicos, mẽtemq. planè diuinã, non tamẽ inexhauſtã, nec interitus, &

ſenij

ſenij expertem, ſed certa diuinandi periodo præſtitutam; hincque cauſas oriri, cur tẽporum progreſsu oracula ſiluerint, atq. eiuſmodi ſpiritus vatidici euanuerint; temporis ſiquidem longinquitate ſenſim attenuari potuerunt, atq. vetuſtate conſumi. Quod verò miſſi de ſpecubus halitus, neq. quoſuis affecerint, neq. quorumcumq. animos ſua vi vatidica imbuerint, & ſi plures circũſtarent, id eo factum eſt, quod naturarũ ſympathiæ, vel antipathię in ijs effectibus partem non contemnendã haberent ex conuenientia ipſius naturæ inter agens, & patiens, vt enim non ex quouis ligno fit Mercurius, ita non quilibet ab alliſis, immiſſiſq. corpori halitibus immutari debebat, neq. eoſdẽ vatidicos impetus concipere defectu diſpoſitionis ad accipiendos impetus illos idoneæ. In hanc ferè ſententiã de oraculorũ origine, duratione, periodis, abolitione, & defectu diſputat Plutarchus, concluditq. non alia de cauſa tandem conſiluiſse oracula, quam quod vetuſtate vis terræ omnis exoleuerit, quæ vatũ animos diuino afflatu concitauerat, vt quoſdam exaruiſse omnes, aut alueos mutaſse cernimus curſu aliò cõtorto, cum non poſſint perpetua eſse, aut diu conſiſtere, & vigere, quæ mixtione conſtant elemẽtorum. Quæ omnia licet ab homine philoſopho cogitata ſint, videntur tamen omni ratione, & fundamento carere, atque ipſa rei veritate redargui, cum minimè conſentaneum ſit, naturam ſolis elementis natam, omnis ſenſus, & rationis expertem futura quoquo modo pręſentire, eorumque notitias alijs ingerere, cum id ad ſummum ſit naturæ intelligenti adſcribendum, quæ neque humana potuit eſse, neque Dæmoniaca, quas iam diximus ad eiuſmodi prædictiones vim non habere; neque tamen potuit eſse diuina, cum fuerint oracula illa omni fraude referta, medaciorum, ac fabularum cumulis ſemper inuoluta. Ex quibus inferendum eſt omnes ab oraculis acceptas prædictiones ad diuinationes diabolicas eſse referendas ſemper fallentes, atque hominum ignauiam deludentes; cuius rei illa potiſſima redduntur argumenta. Primò quod ex hoc ſpiritu mendacij furibundi ipſorum Erhnicorum Vates cum furioſa quadam amentia vatidicum hauriebant impetum, quo ita plerumque dementabantur, vt ſemel tali furore perciti, vix vnquam ſe ſe recipere poſsent, nunquam eodem furoris morbo laborantes, ſed modo leuiore, ac mitiore, modo verò acriore, prout à Diabolo concitatio inuehebatur. Secundò quod affectatione ſumma illa edebantur oracula, quæcumque eſsent, & vt plurimum potius carmine, quam proſa; qua de cauſa omnia oraculorum reſponſa ſummoperè deridebant Epicuræi, eaq. carmina ineptas canendi voces ſolebant compellare, ipſiſque rebus, quæ prænunciarentur, etiam indigna. Tertiò, quod fallaci ſemper Amphibologia illa redderentur, quo minus veritas ab euentu diſtaret. Quartò, quod perplures oraculorum prædictiones fuerint fabuloſæ, ac commenticiæ, quales illæ fuere, quæ tamen celeberrimæ habentur apud Herodotum, & apud Ennium

Crœſus Halym penetrans magnam peruertet opum vim

Et

Aio te Æacida Romanos vincere poſse.

Ait enim Tullius prius illud oraculum nunquam Cræſo fuiſſe editum, & illud ab Herodoto, quod hoc poſterius potuiſſe ab Ennio confingi; quin imo vtrũque confictum fuiſſe ſatis apertè demonſtrat. Quinto quod oraculorum authores etiam apud Veteres fuerint non Dij, ſed vel Dæmones, vel homines callidiſſimi, & præſtigiatores. Denique quod omnes oraculorum prædictiones in ſummum abierint contemptum, cum ſæpiſſimè fuerint falſitatis nota conuictæ.

Digitized by Google

DISSERTATIO V.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex Sibyllis.

SIBYLLÆ nomen generale eſt, quod multæ vſurparunt 22
mulieres vatidicæ; hancque vocem pluribus ſignificationibus diſtractam Suidas tamquam Romanam accepit; plerique verò Græcam fecere; nonnulli deniq. ab Hebræa origine illam deduxere, ex voce Kabala quarumdem literarum immutatione ortam aſſerentes, quæ vox à verbo Kibel formata, doctrinam ſignificat, non natura inſitam animis, aut cum ſeminibus à parentibus propagatam, neque vſu, vel experientia animaduerſam, neq. ex natura erutam, & expreſſam, neque ex libris humana ſapientia conditis depromptam, ſed promulgatam diuinitùs, animiſque ſanctorum Prophetarum à Deo ipſo velut infuſam, & voce, ac teſtimonijs cæleſtibus cõmendatam, ac comprobatam; ſignificat enim verbũ Kibel, recepit, accepit, & inde Kabala dicta eſt, id eſt, doctrina ex immiſſione, aut patefactione cæleſti accepta; quemadmodum etiam inde factum eſt, vt ſingulæ pęnè gentes ſingulas habuiſſe Sibyllas legantur, ideſt proprias ſingulæ ſapientiam, & doctrinam, qua in peragendis dirigerentur; & cum apud omnes ferè nationes mulieres quædam doctæ, & ſapientiores cæteris inuentæ fuerint, meritò Sibyllarum nomina ſibi vendicarunt. Hinc Sibyllæ iuxta Varronem, Suidam, Panuinium, Lactantium, D. Hieronymum, & alios decem memorantur præcipuis gentium regionibus, ac orbis plagis deſtinatæ, vt vbique locorum eſſent eiuſmodi ſapientes mulieres, ac vatidicæ, quæ de ſecuturis euentibus ſua funderent oracula: Recenſentur autem hoc ordine Sibyllæ; omnium antiquiſſimam perhibent Sambethen, quam Noha patre procreatam quidam, Alij Beroſo pàtre, & Erimante matre natam fingunt, cui plura tribuunt vaticinia de Chriſto, de regnorum mutationibus, & id genus alijs, quorum fragmenta extant in Lactantio, & Theophilo. Alij tamen antiquiſſimam omnium faciunt Delphicam, cui nomen fuit Artemis,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Digitized by Google

mis, quæ creditur Troianum bellum multo ante prædixiſse, aiuntque Homerum ipſum ab illa nonnulla carmina mutuaſse; cuius Sibyllæ meminerunt Solin. *in ſuo Polyſth.* & Plinius *lib.* 34. Secundum in ordine locum concedunt Erithræę, quæ Troiæ prędixit excidium, & Homerum huic hiſtoriæ multa mendacia eſse addirurum; cui etiam nomen adſcribitur Eriphilen à Solino. Tertiæ nomen fuiſse tradũt Deiphoba, vocaturque Sibylla Cimmeria, vel vt alijs placet Italica, quæ paulò poſt euerſam Troiam vixiſse dicitur. Quarta eſt Samia Pithò appellata, vel Eriphile, vt vult Euſebius, quæ vixit tempore Numæ Pompilij Romanorum Regis, illiuſque meminit *lib.* 12. *var. hiſtor.* Quinta eſt Cumana, de cuius nomine ambigitur; ſunt enim qui vocent Amalthæam, vel Demophilen, vel Erophilen, vel Ierophilen, quæ dicitur ad Tarquinium ſuperbum Sibyllinos codices attuliſse venales, quod præſertim de ipſa narrat Liuius, eiuſque hiſtoria notiſſima eſt, quæ proinde ſcientibus vlteriùs non redditur hic. Sexta nominata eſt Helleſpontica, quæ Solonis ex Cyri tempore vixiſſe perhibetur, cuius nomen apud Authores non facilè inuenitur, quemadmodum nec ſeptimæ Lybicæ, cuius tamen meminit Euripides in prologo Lamiæ. Octaua eſt Perſica, quam alij Hebræam nominarunr, & ea eſt, quæ ſupra Sãbethen dicta eſt, quæ viginti quatuor libros ſcripſiſſe narratur, & in his multa de Chriſto ſeruatore dixiſſe, & de illius in mundum aduentu. Nona eſt Phrygia, quæ Ancyræ vixit, ſed quo tempore, aut quo nomine appellata fuerit, ignoratur. Decima tandem Tiburtina memoratur, quam Albuneam proprio nomine compellatam volunt, & vt Deam Tibure cultam fuiſſe autumant. Celebriores verò ex his omnibus recenſenrur, Chaldaica, Perſica, Lybica, Italica; Cæteras videtur vna dediſſe Græcia.

23 Ex eiuſmodi Sibyllarum prædictionibus illæ dumtaxat noſtram promeritæ, aut promereri fidem dicuntur quæ Deo ipſo afflante, atque vatidicas illas mulieres ad noſtram eruditionem excitante, diuino nobis myſterio, atque ſuaui quadam luminis inducendi prouidentia latæ ſunt; quaſque certus, & non fallax comprobauerit euentus; potuit enim ſupremus rerum omnium moderator Deus Sibyllarum miniſterio vti, quo rerum abſconditarum reuelarentur arcana, ijs præſertim gentibus, & nationibus, quæ alijs modis prænunciandæ futuræ veritatis non facilè fidem adhibuiſſent; dictum namque eſt ab Apoſtolo ad Hebræos, Deum multifariam, multiſque modis olim Prophetis loquutum eſſe; nomine verò Prophetarum apud vereres Patres decorantur etiam Sibyllæ, quorum teſtimonijs ipſi quoque plerumque fidem Chriſto adſtruxerunt; ex quo etiam factum eſt, vt propter crebram Sibyllarum, earumque vaticiniorum mentionem Chriſtiani Sibylliſtæ per contemprum appellarentur, quod præſertim tradit Orig. *lib.* 5. *contra Celſum*. Quin notatu dignum eſt id quod legitur apud Clemenrem Alex. *lib.* 6. *ſtrom.* vbi D. Paulum inducit hæc pro concione verba proferentem (Libros Gręcos ſumite, agnoſcite Sibyllam, quomodo vnum Deum ſignificet, & ea quæ ſunt futura. Hidaſpen ſumite, & legite, & inuenietis Dei filium clarè, & apertè eſſe deſcriptum &c.) Porrò quia Hida-

ſpis

Digitized by Google

ſpis libris, oraculiſque Sibyllarum Chriſtiani vtebantur ad Gentilium fabulas euertendas, Chriſtiq. fidem ſtabiliendam, id iniquiſſimo animo ferentes Gentiles, vetuerunt Chriſtianis, ne illos legerent; cuius interdicti meminit Iuſtinus Martyr in Apologia pro Chriſtianis ad Antoninum pium; idemque colligitur ex verbis Epiſtolæ cuiuſdam Aureliani Imperatoris ad Senatum, quæ habentur apud Vopiſcum, in quibus, licet videatur admirari, quod ſancti Patres tandiu de aperiendis Sibyllarum libris dubitauerint, eo tamen etiam factum innuit ex metu legum latarum ab Imperatoribus, qui Chriſtianis hoc librorum genus, & fidei præſidium pœnis propoſitis eripere ſtuderent. Ipſa tandem Eccleſia multum tribuiſſe videtur Sibyllinis prædictionibus, nam in rythmo defunctorum ad Sibyllæ Erithreæ vaticinium reſpiciens, quæ diſtinctè admodum & clarè de extremo iudicio loquuta eſt, ita canit

Dies iræ, dies illa
Soluet ſæclum in fauilla
Teſte Dauid cum Sibylla.

Vbi ſi non æquatur Dauidis prædictioni prædictio Sibyllæ, ſaltem illi, vt multum habens ponderis adiungitur. Ex quo Sibyllarũ oracula non ſolum apud Veteres maximè fuere authoritatis, ſed etiam apud Sapientes recentiores, nam Iuuenalis in Satyra 8. volens dictis ſuis fidem conciliare ait

Credite me vobis folium recitare Sibyllæ.

Sic Virgilius Ecloga 4. videtur Sibyllinorum oraculorum notitiam habuiſſe, eaque magni feciſſe, dum Aſinij Pollionis filio videtur illud Sibyllæ vaticinium accõmodare, quod perhibetur latum de Chriſti ortu ex Virgine matre.

Vltima Cumæi iam venit carminis ætas
Magnus ab integro ſæclorum naſcitur ordo
Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna
Iam noua progenies Cælo demittitur alto
Tu modo naſcenti puero, quo ferrea primum
Deſinet, ac toto ſurget gens aurea regno
Caſta faue Lucina. Tuus iam regnat Apollo.

Quoniam verò ex Sibyllarum prędictionibus perplura fabuloſa, atque omnino commentitia circumferuntur, idcirco accuratum adhibendum eſt examen, ne fabularum commemoratione in re tanti ponderis deludamur; ſiquidem illius Sibyllę vaticinijs haudquaquam credendum eſt, quæ Dianæ nomine circumuagatur, ſeque Apollinis ſororem, quandoque filiam iactauit; omnia namque quæ de hac Sibylla recenſentur incertiſſima ſunt, quemadmodum etiam adhuc latens, & abſconditum eſt proprium illius nomen, nam quidam Delphicam, quidam Erithræam, alij Siculam, alij Samiam, alij Rhodiam, alij denique Clariam illam nominarunt, Erithræis cum Græcis de illius patria iugiter contendentibus, vtriſque eam ſibi vendicantibus; De qua etiam fertur, quod Apollo pio amore eam dilexerit, eique obtulerit prædicendi, quod vellet arbitrium, quod ſanè figmentum eſt: eademque ratione ea omnia ficticia 24

cen-

cenſenda ſunt,quæ de Phrygia perhibentur apud Delphos vaticinante,& etiã de Cumana, quæ per metalla dicitur ſæcula omnia diuiſiſſe, quorum excurſu eadem ſæpe prędicta renouarentur,quæ omnia abſurdiſſima ſunt. Ex eo etiam notantur Sibyllarum prædictiones incertitudinis, ac falſitatis, quod licet plures fuerint,non omnes tamen benè futura præſenſerint; quapropter D.Hieronymus contra Iouinianum, Iſidorus *lib.*8. *cap.*8. Ælianus *lib.* 12. quatuor tantum Sibyllas vatidicas produxere, quæ credenda protulerint; Auſonius verò tres tantum videtur poſuiſſe Sibyllas vitam fatidicam ſortitas

Et tres fatidicæ nomen commune Sibyllæ
Quarum tergemini fatalia carmina libri
Quas ter quinorum ſeruat cultura virorum.

Alij denique vaticinia Sibyllarum ad ſtrictiorem,ad ampliorem alij redegere, de quarum etiam carminibus, vt illis adimat fidem,ea profert Cicero 2. *de Diuin.* Qui Sibyllæ carmina ſcripſit, ita perfecit, vt quodcunque accidiſſet, prædictum videretur,hominum,& temporum definitione ſublata. Ex quibus ſatis conſtat, nimiam animi leuitatem eos oſtendere, qui omnibus Sibyllarum prædictionibus ſine examine, & abſque diſcrimine fidem præſtant.

DIS

Digitized by Google

DISSERTATIO VI.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex Fato.

FATIDICAS prædictiones, velut certiſſimas, & omni fide digniſſimas illi præſertim adſtruunt, qui putant fatum eſse quamdam rerum omnium, omniumque actionum neceſſitatem, quam nulla vis poſſit abrumpere; cum enim affirment fatum ius ſuum in omnia conſtanter peragere, cur- 25
ſum irreuocabilem ſeruare, ex deſtinato ſemper fluere nullu deniq. aduerſante impetu commoueri, inde fatentur certas erui poſse prędictiones, quæ infallibilem in rebus futuris ſortiantur euentum; Quod tamen ſi ita eſset, nullus relinqui poſset arbitrio noſtro agendi locus, nulla eligendi libertas, nulla humanæ vitæ ratio, nullum prudentiæ dominium, quæ omnia conſtantiſſimè damnanda ſunt; neque ſub alia ratione admittendum eſt à nobis fatum, niſi ſub illa, qua pro fato intelligitur æterna illa ſupremi moderatoris conſtitutio, qua cuncta ab æternitate vſque diſponit, cauſaſque cauſis ita connectit, vt ex earum ſerie contingant, quæcunque contingunt; ſiue hoc pro ipſo Deo immutabiliter iubente intelligatur, ſiue pro decreto, ac Dei iuſſione, qui diuinus dicitur actus, quaſi Fatum ab actu fandi, dicendi, ſeu deſtinandi traxerit ortum, quo ſempiterna, atque indeclinabilis rerum ſeries facta eſt, quaſi catena quædam ſe voluens, & implicans per æternos conſequentiæ ordines iuxta illud Lucani lib. 6.

At ſimul à prima deſcendit origine mundi
Cauſarum ſeries, atque omnia fata laborant.

Quo etiam ſenſu intelliguntur omnes illæ fati appellationes, cũ dicitur, quod ſit nexa, ac continens quædam rerum ſeries; Quod omnia in hoc ſtatu rerum definita contineat; Quod immutabili definitione coerceatur; Quod nihil moliri aduerſus eius tenorem liceat; Quod æterna conſtitutio ſit; Quod ſit ſtatuta vnicuiq. diſtributio; Quod vt ortus, ſic interitus omnium rerũ illi ſubiaceat.

A quo ſenſu neq. fortaſsè aberrant longè veterum ſententiæ Philoſophorum, quorum aliqui rerum humanarum partes primas aſſignarunt Deo, ſecundas naturæ, tertias Fato; Alij fatum omnipotentem neceſſitatem compellantes; Alij æternum iudicium, ac prouidentiam; Alij præfinitum in natura impetum cælitùs immiſſum; Alij denique ſupernam quamdam rationem per vniuerſum euntem, quemadmodum etiam viſus eſt de Deo innuere Virgilius

—— Deum namque ire per omnes
Terraſque, tractuſque, maris, cælumque profundum.

cui etiam rationi viſus eſt aſſentiri Chryſippus, exiſtimans fatum vim quamdam eſſe ſpiritualem, ſeriemque vniuerſi gubernatricem, per eamque, & quæ ſunt, eſſe, & quæ facta ſunt, ab illo ortum duxiſſe, & quæ facienda, cauſam inde ductura.

26 Quibus cohærent etiam illi, qui fati vim in triplicem ſubſtantiam, velut in triplicem perſonam ſunt partiti, Atropon, Clothon, & Lacheſin, ex eo quod fatum ſit Parca ſeu ſors, ſeu portio rerum cuiq. deſtinata, quandoquidem Parca, quę omnium rerum ſtatum, ſed ſpeciatim hominum vitam, quaſi nendo determinat, ex Heſiodo diſtinguitur triplex; primaque dicitur Atropos propter irreuocabile præteritum tempus, quod eſt ceu filum in fuſo perfectum; Altera dicitur Clotho propter decurrens, ſiue præſens, quod eſt ceu filum in manibus nentis; Altera deniq. dicitur Lacheſis propter futurum, ſortemuè, quæ adhuc vnumquemq. manet, quaſi linum nódum intortum; quam Parcarum interpretationem adhibet Apuleius ex Platone, apud Lacheſis præterita regit, Clotho præſentia, Atropos futura: quin idem Plato, cum animam mũdi fatum diceret, ſummam eius partem, quæ eſt in regione inerrantium Stellarum Clothonem appellandam cenſuit; ſuccedentem ſeu quæ in regione Planetarum Atropon, Infimam verò, ſeu quæ infra cęlum, & circa terram Lacheſim; ſicque cum primus mundi Sator

Fata quoque & vitas hominum ſuſpendat ab aſtris

Volebat Plato fata cuiuſcunque in ipſis aſtris deſcripta poſſe facilè à peritis aſtrorum cognoſci, atque etiam diuinando reuelari, non minore certitudine, quam ſi in rebus ipſis fataliter intercurrentibus dignoſcerentur; cum in aſtris ipſis immobilis forma rerum gerendarum colluceat, quæ diuinæ prouidentiæ ſubiecta immobilem quoque in ipſis rebus ordinem, ac nexum præſeferat; ex quo quinque potiſſimum in hac mundana mole obiectari nobis iugiter penſitanda idem Plato monebat, nimirum Diuinam Prouidentiam, fatum, hominis voluntatem, fortunam, & caſum; ita tamen vt quatuor illa poſteriora vni prouidentiæ ſubeſſent; vt cum Boethio intelligeremus Platonem in quampluribus doctrinis ſuis à noſtris Theologis minimè diſſenſiſse, cum & ipſi humana omnia cæleſtia, atque terreſtria fecerint diuinæ prouidentiæ ſubiecta; eoque tantum immutabilia eſſe, quatenus immutabilis eſt conſtitutus diuinæ prouidentiæ ordo.

27 His itaq. circa varias de fato opiniones præmiſſis, ſtatuendũ venit, quanam ratione,

ratione, veritate, ac certitudine ferri queant de fututis euentibus fatidici prædictiones; non enim in omnibus vnus eſt, atque compertus diuinæ prouidentiæ ordo, non vna regula, atque agendorum meta; licet enim manifeſtum ſit, vt Theologia docet, produxiſſe Deum cauſas neceſsarias, ac liberas, & vtraſque ita diuinæ prouidentiæ ſubieciſſe, vt ex illius diſpoſitione ſuas, ſuiſque modis agant vices, hoc eſt, neceſſariæ ex neceſſitate, liberæ ex libertate; quo tamen ordine, quibus finibus, qualibus conditionibus eas ad agendum diſpoſuerit, atque adaptauerit, nemini ſatis innoteſcit, neque tam facilè coniectare eſt: quo fit, vt tametſi fatidicæ prædictiones ferri poſſint de finibus cauſarum in vniuerſum diuinæ prouidentiæ cohærentibus, deq. certis agendi modis, quos ſint illæ cauſæ ex certa, atque infallibili prouidentiæ diuinæ diſpoſitione retenturæ; tamen de finibus, vel euentibus in particulari, ſicut nihil certi prænoſci poteſt, ita neque aliquid certi prædici; exceptis tamen euentibus illis, ac finibus, qui ita cum ſuis cauſis connectuntur, vt cum illæ neceſſariæ ſint, ſic ipſis vix cognitis, cognoſcantur, & illi. Cęterùm cum non vno modo Deus, ſed varijs, ac propè infinitis præſcriptis hominum fata diſpenſet, atque adminiſtret, ex hoc ignota quoque ipſorum hominum fata relinquit, eaque à certis prædictionibus eximit; deberent ſiquidem fato ſuo improbi conculcari, opibus deſtitui, honoribus, ac magiſtratibus non florere, qui tamen euehuntur, affluunt, florent, omnique re fauſta potiuntur, quemadmodum contra varijs fortunæ vicibus exercentur, & iactantur boni, premuntur tyrannide, laborant egeſtate, alijſque infauſtis omnibus prægrauantur; cum tamen in ipſo rerum exitu ſæpè intueamur improbos ad ſumma tolli faſtigia, vt inde excuſſi in plorandum deijciantur interitum; probos verò, ac virtute coruſcantes grauari, vt circumfuſa illa ærumnarum mole preſſi, altiùs tandem emergant, atque cum gloria illuſtriore eniteſcant; Atque cum cauſas huius mirandæ gubernationis ratio humana ſemper ignoret, inde fit quod nihil certi de humanis euentibus licet ad fatum relatis, poſſit prænunciare.

Tot cum ſint cauſæ, quæ fata hominum nec pręuiſa, nec pręcogitata, neque 28
expectata gubernant, cum eadem non ſit cauſarum vis, & conditio in agendo, cum non ſit vnum agendi præſcriptum, non vna actionum inſtitutio, difficillimum inde eſt intelligere, quid cuiq. homini ex fato euenturum ſit; ſicut contra facillimus ſuboritur in errorem lapſus ijs, qui ex fato cuiuſcumq. ſatagunt diuinare; cum nihil aliud re vera ſit fatum, quam ipſa arcana Dei voluntas, quæ nemini patet, niſi diuinitùs reuelata; Aſtra ſiquidem Deus, aliaſque omnes mirandas naturæ vires per ſigna quædam, & notas à nobis inſpici voluit, & etiã ex aſtris temperamenta, remotaſq. animi inclinationes cum ipſo corpore colligatas, at certas inde fatorũ prædictiones, vel futurorum euentuũ pręnotiones erui poſse non voluit; cũ ſemper maneat libera, atq. intemerata volũtas actionũ domina, à quibus præſertim fata noſtra denunciari ſolent: Quod ſi nõ prohibentur omnino conſiderationes cauſarum, ſignorumq. propoſitorum in natura, neque coniectationes ex ijs de ſecuturis euentibus, dummodo non adſit

ſuperſtitio,cunctaque ad Dei legem,ordinem,& decretum referantur;id ideò fit, vt præſertim illi prænoſcantur effectus, qui quodam neceſſitatis vinculo cum ſuis cauſis connectuntur. Neq. Platonis error in Timæo hic à nobis admittendus eſt, qui Deum inducit mundi fabricæ intentum, illum ipſum conſtituentem,ac tot animas deligentem,quot ipſe creaſſet ſtellas,eiſdemque diſtribuentem ſingulis vehicula ſingula,mox aperientem illis,& tamquam expectorantem vniuerſæ rei naturam, omnemque ex ordine futurorum ſeriem, atque leges omnes ediſserentem, quas condidiſset, quaſque ipſæ ſequerentur, decretorum ſuorum conſtantiam,atque immutabilitatem; Nam ex hoc dicendæ eſsent animæ ipſæ Deo in cognitione pæne pares,nihilque à Deo optare poſſe,aut efflagitare, quod ipſæ in notitia illa, ac omnium rerum parte non aſſequerentur; Vbi etiam ſuperaddendum eſt, ea Platonica doctrina derogari, quam maximè diuinæ prouidentiæ,cuius ea ſummæ prudentiæ lex eſt in rerum humanarum regimine,vt longè plura ſint ea, quæ homines lateant, quam quæ ipſis innoteſcant.

29 Neque homini debita ex quadam inſtitutione naturæ dici poteſt hæc fatalis futurorum præſenſio,prænotio,aut prædictio, cum ſit homini ſatis ea noſse quæ agit, non ea futurorum temporum momenta, quæ cæleſtis pater poſuit in ſua poteſtate;ad ſummum namque homini debitum eſt noſce quid agere poſſit, non verò quæ ſit acturus, cum primum propriæ poteſtatis ſit,alterum diuinæ,cuius eſt æternas rerum prædefinitiones condere, atque quidquid creaturis, hominibus præſertim & Angelis euenturum prædeſtinare; & licet ea omnia, quæ in fatis ex Dei lege conſtituta ſunt agnoſceremus, non proindè omnia ventura ex fatis enunciare poſsemus, cum fata ipſa per noſtram agendi libertatem impediri poſſint, licet in Dei conſtitutione nunquam impediantur; licet enim quidquid nobis contingit Deo decernente, neceſſitate quadam, quam vocant Theologi,ſuppoſitionis contingat, abſolutè tamen, & ſimpliciter eſse non poteſt, maximè ſi à nobis ipſis liberè operantibus pendeat, qui ſemper ea quæ liberè agimus,poſsumus abſolutè non agere ex innata potentiæ facultate, quæ per actus poſitionem non læditur; Idque eſt inter noſtram, diuinamq. cognitionem diſcriminis, quod diuina non ad ea tantum, quæ agere poteſt, ſed etiam ad præterita, præſentia, & futura dirigitur, ex eo quod ea omnia ab ipſa certò, atque infallibiliter pendeant tanquam à cauſa; noſtra verò vix ad præſentia,quæ oculis ſubſtant,dicitur referri,futuris penitus ignoratis, ſi reuelatio deſit.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO VII.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex Deo.

NEMINEM latet, quanta omnino firmitas ſit, atque certitudo in ijs, quæ quoquomodo diuinitùs reuelantur, eaque eſt firmiſſimæ certitudinis ratio, quod à prima, atque immutabili veritate proficiſcantur, quę ex diuinis oraculis velut vera aut credęnda, aut videnda proferantur: eo namq. ipſo quod prima loquatur, aut vaticinetur veritas, ſiue id agat ex ſe ipſa, ſiue Angelis, hominibus, alijſq. creaturis ex eius teſtimonio, atq. reuelatione prænunciantibus ſtatim obiectum verum fit, & credibile, omnemque *fidem noſtram expoſcens*. Atque cum non vno in ſuis prædictionibus Deus vtatur modo, neque vno tantum modo, ſeù vna tantum, eademque ratione erit ijs adhibenda fides; conſtat namque ſatis apertè Deum immediatè reuelantem firmiorem rebus indere credibilitatem, quam ſi medijs reuelet creaturis, quæ licet vnam eamdemque proferant veritatem, quæ fallibilitati ſubeſſe non poteſt, quatenus eſt à Deo primo, atque infallibili vero cum tamen ipſæ ſubdantur erroribus, rerumque viciſſitudinibus, & contingentijs, nõ omnem omnino dicuntur fidem promereri, niſi clarè innoteſcat Deus ipſe in creaturis reuelans, atque futura prædicens, vt enim ipſe omniſcius eſt, ſitque præſcientia rerum omnium potiſſimum Dei attributum, poteſt etiam, ſi velit, omnia certò prædicere, quemadmodum poteſt, vt omnium cauſa, omnia efficere, & omnes euentus, licet incertos, & contingentes nobis, ſibi ipſi velut certos præſcribere, nobiſque vſque ab æternitate deſtinare. Conſueſcit tamen Deus non ſemper ſe ſolo eiuſmodi prædictiones rerum inſtituere, ſed plerumque ſui ipſius met reuelantis ore, plerumque Angelis mediatoribus, ſæpiſſimè etiam hominibus prophetica inſpiratione obloquentibus; ita tamen, vt cum omnia à Deo ſint, qui non poteſt à vero diſcedere, perinde habeantur, ac ſi Deo ipſo reuelatore promerentur.

Omnis

31 Omnis verò certitudinis ratio, qua diuinæ prædictiones innituntur, à duplici præſertim fonte petenda eſt, quorum alter eſt ipſa infallibilis veritas prædicentis, qui nulli prædictorum defectui ſubeſſe poteſt; alter verò eſt ipſa diuinæ præſcientiæ certitudo; quæ ex æternitatis ſpecula etiam è longinquo aduentantia ſine confuſione proſpicit, ac dignoſcit; neque fieri poteſt, quod vlla vnquam ratione, vel vllo vnquam ſecundarum cauſarum impedimento, vel interpoſitione erroris halucinationem patiatur, tametſi cauſæ ſecundæ agendi libertate præpolleant; ſiquidē ità omnia cūcta etiā libertate donata deſpicit, vt licet oppoſitis actionibus, atque agendi facultatibus ſubiecta ſint, certam tamen futuritionis exiſtentiam in æternitate retineant, quæ ibi nulla ratione deſinere poteſt. In qua re non eſt audiendus Tullius apud D. Auguſt 5 *de Ciuit. Dei cap.* 9. vbi docet aut fati certitudinem omnino explodendam eſſe, aut diuinam futurorum liberorum prænotionem fallibilitatis eſſe notandam; etenim eiuſmodi doctrina grauis eſt à Theologiæ veritate deſipientia, vbi diuina præſcientia, & humana libertas quàmaximè cernuntur cohærere; licet enim Deus prænouerit, quid homo liberè voliturus ſit, idque certò ex diuino, & humano ſtatuto certò euenturum dignoſcat, non proinde fit, hominem ipſum diuinæ voluntatis decreto quodammodo neceſſariò agentem, ad oppoſitum etiam expeditam non habere facultatem, & potentiam, quæ tamen neque euentus certitudinem, neque agentis libertatem quoquo modo lædit, vel imminuit, vt falsò quidam etiam ex Theologis præter Ethnicos ſunt opinati, docentes diuinam præſcientiam ad liberam voluntatem perinde ſe habere, ac ſi eſſet ineluctibile fatum, cuius præſcita omnino non eſſe, vel euitari non poſſent; cum tamen compertiſſimum ſit id habere voluntatem liberam humanam a voluntate libera diuina, vt ſemper liberè ſe moueat, ac liberè moueatur, licet eiuſmodi liberrimus motus ſit à Deo certò præfinitus, atque præcognitus; nō enim cenſendus eſt Deus velut purus rerum noſtrarum coniector, & inſpector, ſed etiam earumdem author, & opifex; ne dicatur eſſe velut alter Vlyſſes, de quo ait Max Tyrius *ſer.* 1. cum acceſſiſſet ad ignotam terram, velletque hominum incolentium mores ſcrutari, id agebat per aſcenſum in ſpeculam, vnde omnia a longè poſſet facile proſpectare, nimirum, vt de ipſo canit Hom.

Num fera gens, nullaſque vnquam mollita per artes
Iuſtitiamne colunt, & Sancti iura verentur
Hoſpitij, ac numen cæleſtum mente capeſcunt.

Prouidet enim non ſolum Deus ſua præſcientia omnium hominum futuros euentus, ſed etiam ad eos ſuam præſtat agendi vim, prout vno, vel alio modo in ſuis ipſorum diſponuntur naturis.

32 Ratio itaque potiſſima, cur diuinis prædictionibus ſit fides adhibēda, dummodo verè diuinitùs ferantur, eſt ipſa diuina præſcientia prorſus infallibilis, atque eiuſdem efficaciſſima voluntas, quæ omnia in ſua tempora diſpoſita, atque ordinata abſque vllo impedimento conſequitur; in eius namque voluntate, præſcientia, atque poteſtate poſitum eſt, quod prædicta, ac diuinitùs reuelata

con-

contingant, nec ſuæ præſcientiæ, voluntati, aut prædictioni poteſt vnquam deeſſe Deus, qui nec fallere, nec falli poteſt. Neque diuinæ futurorum prænotiones, aut prædictiones ex eo fallibilitatis notari poſsunt, quod futura ipſa contingentia ſæpe ſæpius liberæ agendi facultati ſubſint, quæ etiam præſcita, & à Deo prædicta in lucem euocare non poteſt, ſi libuerit; etenim id apud Theologos exploratiſſimum eſt, humanam libertatem nulla ratione poſſe diuinæ præſcientiæ, atque prædictionis infallibilitatem infirmare, cum ea, quæ libera ſunt, vt talia ab ipſo Deo prænoſcantur, & etiam prædicantur, ita nimirum, vt licet contingere non poſſint ex facultate, & potentia, quæ in rebus liberis remanet ad oppoſitum rei, quæ contingit, neceſsariò tamen ex diuina præſcientia, ac voluntate contingant, ea, ſcilicet, neceſſitate, quæ vocatur à Theologis neceſſitas ſuppoſitionis, & infallibilitatis libertatem ipſam potiùs adſtruentis, quam deſtruentis.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO VIII.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex Prophetis.

33 NVLLO æuo propheticas prædictiones defuiſse omnibus ſatis compertum eſt; primus ſiquidem hominum parens, idem primus Propheta fuit, qui nomina filijs indidit ſingulorum fata prænunciantia; Noemus quoq. Abrahamus, Iſaacus, Iacobus, Moſes, & alij quamplurimi prophetico ſpiritu fuere donati, & quemadmodum perhibetur Adamus connubium Chriſti cum Eccleſia in ſuo cum Eua prænouiſse, atque præſignaſse, ſic fertur Noemum diluuium prædixiſse, Abrahamum de filio multa euentura prænunciaſse, Moſen de pluribus, quæ ventura erant, Hebræos ſibi commiſſos præmonuiſse, & ſic de reliquis; inter quos potiorem videntur obtinuiſse locum Prophetæ illi, qui maiores dicti ſunt, nimirum Iſaias, Ieremias, Daniel, & Ezechiel, qui diuino lumine, ac ſpiritu ſemper afflati, videntur ſublimiùs in propheticas prædictiones abijſse. Sic ad ferendas propheticas prædictiones erat apud veteres Iudæos inſtitutum oraculum quod Ephod, ſeu Epomide appellabatur; Pectorale etiam, ſeu Rationale à Septuaginta Interpretibus dictum ex duodecim gemmis conflatum, in quo Vrim, & Thumim adſcripta erant, nimirum declarationes, & illuſtrationes, quæ ex liquido, aut nubilo lapillorum ſplendore futura prænotabant; cuius oraculi reuerentia id tantum patiebatur, vt non leuia priuatorum hominum negotia, ſed grauiora tantum, ac publicum contingentia bonum reuelarentur, qualia erant de bello ſuſcipiendo, de ineunda pace, de ſanciendo fœdere, & ſimilibus; applicato enim eiuſmodi oraculo Sacerdotes Dominum conſulebant, & reſponſa non tantum ex fulgore gemmarum accepta, ſed etiam ex indito à Deo lumine ferebant, rerumque gerendarum modos prophetica enunciatione aperiebant. Forma verò eiuſmodi Ephod erat vnius palmi, textura inſtar Pectoralis ex filo aureo, & varia arte confecta, in medio habebat auream ſtellam, vtrinque duos ſmaragdos,

ragdos,

ragdos,quibus erant inſcriptæ duodecim Tribus; Adamas quoque dicitur inter duas ſmaragdinas gemmas locum obtinuiſſe; pendebat è collo Pontificis Deum conſulentis; ſi res lętæ ſperandæ erant, fulgurabat adamas; ſi res Deo parum accepta, in priore manebat ſtatu; ſi futura cædes, ſanguineus apparebat; ſi læthiferum aliud, niger fiebat. Plura alia de Epomide extant apud Ioſeph. *lib.* 3. apud Philonem Iudæum in Vita Moſis, apud Anaſtaſium Epiſcop. Nicen. & apud Suidam.

Erat itaque eiuſmodi propheticis prædictionibus fides adhibenda, quod 34
eas gemmas Deus inſeri voluerit pectorali, vt per tam lucentes perfectoſq. lapides ipſe omnis lucis, & perfectionis author interrogaretur, interrogatus ſummo ſcientiæ, & veritatis candore reſponderet, reſpondens Sacerdotes, Principes, & Populos ſua luce illuſtraret, ac perficeret, euoluens inuoluta, explanans ambigua, & docens quæ facienda, quæuè omittenda forent; perhibetur namque ad lapidum ſplendorem ſemper Sacerdoti lumen propheticum acceſſiſſe, quo ſemper vera enunciabantur, quod lumen dabatur ipſis, quemadmodum etiam cæteris Prophetis, non per modum habitus, quo cum vellent, pro libito vterentur, & futura prædicerent, ſed per modum cuiuſdam diuinæ motionis tranſeuntis actualis, ſeu diuini cuiuſdam afflatus eos per interualla corripientis, atque illuminantis; licet enim quandoque veteres illi Prophetæ prædictiones ſuas perobſcurè proponerent, atque ex eo enygmaticè loquentes magnas tenebras alienis mentibus perſæpè offunderent, reuelationes tamen illas tamquam à Deo obiectas, & immiſſas effundebant, eas certò ſcientes à Deo tantum prouenire, eaſque etiam optimè intelligentes; ſiuè verbis tantum, ſiue etiam verſis prophetarent, quod Montanus Hæreticus non admiſit apud Diuum Hieronymum, cum exiſtimauerit ipſe Prophetas mente alienata, & emota, vt in ebrijs accidit, prophetias ſuas pronunciaſſe, quid loquerentur, aut quid agerent prorſus ignorantes; Cum tamen ex ſacris literis conſtet Iſaiam ſpoliationem, & nuditatem Ægyptij, & Ethiopiæ prænouiſſe, cum illam nudo inceſſu præſignificauit; & Ieremiam Babylonicam captiuitatem, cum vincula, & compedes collo geſtaret, & ſic de reliquis. Deus igitur ità Prophetarum animos afficiebat, vt imagines quaſdam rerum futurarum immitteret, deinde lumen infundebat, vt imagines illas intelligerent, diiudicarent, interpretarentur; quod ſi lumen illud defuiſſet non erat propriè iudicanda prophetia, ſed viſum; Pharaoni enim, & Nabuchodonoſori viſa, & imagines in quiete ſine lumine, & intelligentia viſionis fuere; atque adeo aduocati ſunt Ioſephus, & Daniel, qui lumine à Deo accepto viſa illa interpretarentur, quemadmodum etiam Baltazarus literas in pariete exaratas interprete Daniele intellexit; & Caſſandra ipſa videre ſe ait, quæ prædicit apud Senecam in Agamemnone

Animę conſurge, & cape pretium furoris
Tam clara nunquam prouida mentis furor

E *Oſtendit*

Oſtendit oculis. video & interſum, & fruor
Imago viſus dubia non fallit meos.

35 Cum verò viſiones eiuſmodi, ex quibus propheticæ prædictiones eruuntur varijs contingant modis, modo, ſcilicet, per imagines quaſdã purè intellectiles vel mẽti inditas, vel mente ipſa efformatas; modo per imagines miniſterio facultatis imaginatricis, ac ſenſuum exteriorũ adiumento inuectas, ijs varia quoque ratione fidem adhiberi contingit; varijs namq. inſtrumentis vtitur Deus, cũ prædictiones illæ diuinæ ſunt, ad mentem illuſtrandam, atq. imaginibus fęcundandam, quibus propheticas reuelationes exerceat. Sic etiam Deus Angelis adminiſtris propheticas prędictiones inſtituit, non modo in pijs Prophetis, ſed etiam in profanis adhibito imiſſarum imaginum miniſterio, quod depræhenſum eſt tum in Moſe, Dauide, Salomone, Hieremia, & Nabuchdonoſore, tum etiam in Sybillis, alijſq. vatibus Ethnicis, qui plerumque interueniente ipſius Dei afflatu vera prędixerunt. At vbi de propheticis prędictionibus agitur, quę imaginibus innituntur, ac per viſiones, ſeù per intimas mentis, & animi illuſtrationes feruntur, maximè cauendum eſt, ne credulam nimis adhibentes fidem alienis erroribus decipiantur, licet enim tum in veteri, tum in nouo teſtamento memorẽtur mulieres quædam, quæ ſpiritu prophetico ex Dei afflatu futura prædicerent, quarum albo præſertim adſcriptæ ſunt Maria ſoror Moſis, & Aaronis Profetiſſa *Exod.* 15. Debora *Iud.* 4. Holda 4. *Reg.* Beatiſſima Virgo Maria, vt ex illius Cantico conſtat, Elizabet Mater Io. Baptiſtæ, denique Anna illa, cuius mentio eſt *Luc. cap.* 2. vbi etiam Prophetiſſa vocatur; ratio tamen eiuſmodi viſionum, ac prædictionum propheticarum in alijs mulieribus accuratiſſimè perpendenda eſt; neque ita facilè omnes prophetici ſpiritus admittendi ſunt, omneſq. mulierum viſiones, tametſi pijſſimæ ſint, promiſcuè recipiendæ, cum ſæpiſſimè Angelus Satanæ in Angelum lucis ſe transfiguret; quò ſpectat ſapientiſſimum illud D. Ioannis monitum, Probate ſpiritus, nùm ex Deo ſint; non enim eſt iudicium in eiuſmodi rebus, quæ palmaribus erroribus ſubeſſe poſſunt, nimia celeritate perimendum, cum ſit negotium diligenti ſcrutinio examinandum; hocque ſuadent plura in ſacris literis exempla, in Iacobo Ioſephi patre, qui filium ſomnia ſua narrantem acriter increpat, licet rem ipſam tacitus conſideret; In Ioſue filio Nun, qui Angelum ſpecie viri armati apparentem interrogat, quis ſit, nec adorat incognitum; In Samuele, qui nec Deo vocanti reſpondet, ſed Heli Sacerdotem conſulit, vt accipiat quid agendum; in Helia, qui turbinem, commotionem, ignem, auram leuem prudenter perpendit, vt dignoſcat in quo illorum ſe manifeſtet Deus; denique in ſacratiſſima Virgine, quæ priuſquam Archangelo reſponſum ferat, cogitat diu, qualis ſit illa ſalutatio, maturo, ſcilicet, voluens examine (vt ait Euthymius) vtrum ſalutatio illa à Deo eſſet, an à Dæmone.

36 Cæterùm licet non veroſimile ſit permittere Deum vt mulieres præſertim deuotiores inanibus viſionibus, ſpectris, aut fallacibus præſtigijs decipiãtur, cũ tamẽ perplures omni æuo inuẽtę fuerint, quibus Dęmon per eiuſmodi viſiones

illuſit,

illuſit, maximè cauendum eſt, ne leui quadam credulitate ijſdem fidem adhibeamus cæteriſque paribus ſemper plus fidei virorum, quam mulierum reuelationibus tribuendum eſt, cum mulierum ſexus longè imbecillior ſit, quam virorum, vt potè qui ſępius etiam naturales, ac dæmoniacas ſuggeſtiones pro diuinis habeat, multaque ſibi fingat ſomnia, quæ velut viſa, ac diuinitùs reuelata profert; quin fœmineus ſexus ad eiuſmodi imaginarias viſiones ita procliuis eſt, vt ne dum ſe ipſum fallat, ſed ſuis illecebris viros quoque eruditos, & doctos in errores trahant, teſte doctiſſimo Tertulliano, qui eorum tandem immemor, quæ ipſe priùs doctiſſimè, ac veriſſimè ſcripſerat, viſionibus mulierculaiũ nimiùm fidens, in abſurdiſſima deliramenta prolapſus eſt. Quod ſi quamplures ſanctiſſimi viri, ac notæ ſanctitatis olim inuenti ſunt, qui eiuſmodi viſiones, reuelationes, ac propheticas prædictiones magni fecerint, ideo factum eſſe conſtat, quod eas verè diuinas eſſe nouerint; olim namque viſiones diuinæ frequentiores erant, quia magis neceſsariæ; at nunc quò minus neceſſariæ, eò in frequentiores ſunt, & ſuſpectiores habendæ, cum cauti veteratoris eo potior collimet obtutus, vt incautum muliebre genus ſub ementita deuotionis ſpecie faſcinet, atq. in miſerandas deceptiones propellat, cognita mulierum narura in nouas, ac ſuperſtitioſas religiones quammaximè proclinante.

At ob eiuſmodi mulierum mentibus ſæpè offuſas errorum caligines non eſt 37
hominum mens omnino à fide viſionum, reuelationum, aut propheticarum prædictionum auuertenda; cum in Dei Eccleſia præter veteres Prophetas, quibus futura prænunciare diuinitùs datum eſt, prophetici ſpiritus veritas ſanctiſſimis viris & mulieribus conceſsa clariſſimè innoteſcat; quemadmodum enim fidei conſtituendæ, & propagandæ Chriſtus Dominus Apoſtolis, & diſcipulis ſuis vim, & gratiam miraculorum attribuit, ita etiam pleroſq. prophetiæ dono inſigniuit, quod per initia tam frequens erat in Eccleſia, vt non ſolum viri pietate, ac vitæ integritate inſignes eo donarentur, ſed etiam præſtantiſſimæ quædam, ac pijſſimæ mulieres, inter quas potiſſimum recenſentur *in Act. Apoſt. cap.* 21. quatuor illæ virgines Philippi Euangeliſtę filiæ, quas S. Lucas prophetantes appellat; tanta enim in illis primis Eccleſiæ rudimentis fuit fidelium ſanctimonia, vt paſſim Chriſtiani Prophetæ exiſterent, & nominarentur; ſcribit namq. D. Baſilius ad Neocæſarienſes *epiſt.* 64. prophetiæ gratiam emicuiſſe ſemper in animis impollutis, atq. omni ſorde vacuis; cum rarò patiatur Deus magna, & mirabilia ab indignis prædici; quo argumento vtitur D. Chryſoſt. *in Geneſ. hom.* 21. vt oſtendat difficiliùs eſſe à nobis adhibendam fidem propheticis prædictionibus, quæ feruntur à viris ſimilibus Balaamo, & Sauli, quam ab illis, qui ſimiles fuere Ioanni in Ægypto Aſcetæ prophetanti, vel alijs eiuſmodi ſanctiſſimis viris, ac mulieribus; quare in eiuſmodi prædictionibus prædicentis vita, probitas, & ſanctimonia potiſſimùm ſpectanda eſt.

DISSERTATIO IX.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex Angelis.

38 EXTRA omnem dubitationis locum eſt, Angelos ea omnia prædicere poſſe, quæ quoquo modo eorum præſcientiæ ſubijciuntur, ſiue certò ea prænouerint, ſiue tantum coniecturaliter; qua ratione apud omnes Theologos in confeſſo eſt, Angelos futura omnia prænunciare poſſe, quæ cum ſuis cauſis naturalibus connectuntur, exceptis liberis, vel quomodocunque ab ipſis pendentibus, niſi hæc quoq. ipſis diuinitùs aperiantur; quemadmodum etiam Theologiæ decretum eſt, omnia cordis arcana, retruſaſque & abditas animorum cogitationes prorſus ignorare, cum ſæpe naturæ id obtineant, quod actus ſint immanentes, & occulti, ac ſoli Deo pateant: Hocq. loci ea omnia adaptanda veniunt, quæ in præmiſſis memorata ſunt de prædictionibus Diabolicis, cum in naturali rerum cognitione nullum ſit inter Angelos, & Dęmones vel agnoſcere, vel inuenire diſcrimen, tum ratione ſpecierum intelligibilium, quæ omnibus æquè inditæ ſunt, tum ratione actuum, & potentiarum, quæ eamdem in omnibus præſeferunt perfectionem; eo tamen inter Dæmones, & Angelos intercedente diſcrimine quod Angelis ſæpè vtitur Deus tamquam miniſtris ad plura, quæ alias laterent reuelanda, ac prædicēda, quod miniſterij genus non conceditur Dęmonibus; qui ſi quando ventura præn. ciant, eò tantum ſuis falſis coniecturis, atque diuinationibus collimant, vt homines perdant, aut decipiant: Non tamen facile negotium eſt eas reuelationes dignoſcere, quæ Deo annuente ab Angelis aperiuntur, cum ſæpe ſæpius etiam Dæmon in Angelum lucis transferatur ad congerenda mendacia; quapropter in hac re quam maximè illuſiones, ac deceptiones cauendæ ſunt, ipſorumque Angelorum, quæ creduntur, futurorum reuelationes, ad trutinæ examen ſpiritus diſcretione ſunt reuocandæ; Neque, cum agitur de futurorum notitia, ita facilè etiam ſanctiſſimis viris, qui ecthaſim patiuntur, hoc lumen à

Deo

Deo communicari putandum eſt, cum à Theologis futurorum præſcientia inter Dei proprietates, & attributa connumeretur; quo fit, vt in quolibet diuinationis genere, ſuſpectæ habendæ ſint eorum præſenſiones, prænotiones, ac prædictiones.

Quoniam verò quàplura hominibus reuelata Angelis ipſis adſcripta com- 39
memorantur, quibus etiam fides prudenter adhibita recenſetur, ideò hic quęnam ſint ea, quæ certò prænoſci, ac prædici poſſunt, inquirenda ſunt, quinam quoq. inter Angelos hoc prædicendi munere decorentur; Atque cum res eiuſmodi non ita obiter ſit attingenda, quædam de eiuſmodi ſpiritibus prædictoribus præmittenda ſunt, quæ cæteris, quæ dicturi ſumus de fide Angelicis prædictionibus adhibenda facem, ac lumen præſtabunt; Appellantur ſiquidem eiuſmodi ſpiritus vatidici in ſacra Scriptura familiari voce Angeli, qui cum parum natura diuina inferiores exiſtimentur, etiam Dij, vel Deorum filij plerumque nominantur; hoſque veteres Ethnici Genios fatidicos ſolebant apellare, velut à Deo genitos, atque ad futura prænuncianda cælitùs ad nos demiſſos; putabant enim eiuſmodi vatidicos ſpiritus, quos multiplici nomine recolebant, ideo omnia ventura in mundo præſcire, atque prædicere poſſe, quod eſſent ipſi pars, ſeù particulæ quædam Animæ mundi, quæ vbique præeſſet; opinabanrur ſiquidem hanc Animam toto orbe diffuſam, ſed regione Etherea præſertim inſidere, atque adeo in ipſis aſtris, & maximè omnium in Sole, à quo omnia inferiora fouentur, veluti per radios animæ viuificantis tranſmiſſos; ex quo etiam exiſtimarunt ſubſtantias huiuſcemodi compoſitas ex corpore tenui, quale eſt aereum, & ex particula Animæ mundanæ eſſe Angelos, Dęmonas, & animas; quas ſubſtantias ait Apuleius, in aerea mundi regione eſſe conſtitutas, vt comercium faciliùs inter Deos, & homines conſtituerent, faciliùſq. Deorum arcana panderentur; hoſque etiam fingebànt veteres Poetę Deos quoſdam hominum amatores vitę rempeſtates quotidiè ſurgentes ſedula placiditate ſedantes, atque illas ex pręuiſione cògnitas ſępè etiam auuertentes; quos propterea etiam apud nos habitare, noſtroſque moderatores in terris eſſe voluere iuxta illa, quæ profert Iupiter ipſe apud Ouid. 1. Met. de ruſticanis quibuſdam Numinibus

Sunt mihi Semidei, ſunt ruſtica Numina Fauni
Et Nymphæ, Satyrique & Monticolæ Siluani
Quos quoniam Cæli nondum dignamur honore
Quas dedimus certè terras habitare ſinamus.

Cęterùm quidquid ſit de Poetarum, ac Veterum Philoſophorum erroribus circa Angelos, eorum dignitatem, atque incorpoream ſubſtantiam, qua omnibus corporibus præſunt, & hominibus ipſis opitulantur tamquam Dei adminiſtri, non proinde ex diuina prouidentia, quæ omnium rerum curam gerit etiam interpoſito Angelorum famulitio, inferendum eſt Angelos cuncta, quæ in mundo euentura ſunt, poſſe prænoſſe, aut prædicere, cum id neque ſpectet ad Angelorum officium, neque ad ipſius diuinæ prouidentiæ inſtitutum, quo

plura

Digitized by Google

plura latere decreuit, ipſi ſoli nota; ac propterea non omnibus prædictionibus, quæ putantur Angelicæ, fidem vnam eſſe adhibendam, niſi alias conſtet de diuina reuelatione per ſuos Angelos lata, vel ferenda; licet enim Deus miniſtris vtatur pro condito rerum ſtatu in pluribus perficiendis, ijs tamen non vtitur in omnibus, cum plura, & plura ſe ipſo agat, pluraque liberè agenda diſponat, in quibus Angelorum miniſterium non admittit; quo fit, vt neque rationi conſentaneum ſit, omnia Angelos præſcire, cum non in omnibus Angelicam operam impendant; Spectat enim ad ſummum ad generalem prouidentiam, præter ea, quæ docet Ariſtoteles de ſubſtantijs ſeparatis, ſeù intelligentijs mouentibus cælos, vt ille ſit ordo in natura conſtitutus, quo inferiora omnia per ſuperiora regantur, & per quaſdam etiam intermedias ſubſtantias vt tradit Doctor Angelicus in prima parte; ſitq. ideo demandata Angelis ſingulorum generum,& cunctarum ſpecierum cura, vt in ijs conſtantemq. quemdam ordinis curſum, ac tenorem ſeruent, foueant, ac dirigant; neque credantur Angeli ſoli adſtricti cęlo, aut regioni ſidereæ: quos ideò quamplures appellarunt etiam Genios quoſdam generales, & ſpeciales; generales nimirum, quod præſideant vniuersè generibus, vel ſpeciebus, vel toti populo, & nationi; ſpeciales verò, quod cuiq. homini, & cuiq. rei ſubiectæ ſint deſtinati; alio quoque nomine compellati, tutelares, ſcilicet, & cuſtodes.

41 Perſpectum igitur ſit diuinationem aliquam Angelis eſſe tribuendam, ſed eam quam Deus voluerit exerceri cum præſertim plura voluerit Deus in ſacris litteris ex Angelorum reuelatione contingere. Cæterum cum in prædictionibus vniuersè plurimum ſuperſtitionis, & impoſturæ ſemper fuerit, labor etiam ſemper fuit in diſcernendo, quandonam facta fuerit prædictio, aut Angelorum reuelatione, aut Dæmonum interuentu, aut vatum vafricie, aut rogantium credulitate; nam reuera quidem, vt Deus per Angelos multa prædixit, quæ in libris ſacris Agiographiſque continentur, ita paſſus eſt apud Ethnicos multa extare vaticinia Dæmone præſtigiosè ſuſurrãte, ac decipiente; quare in hac re cautam eſſe adhibendam fidem ab omnibus monemus, ne in errores impingant. Certiores tamen omnium rerum coniectationes Angelis adſcribendæ ſunt, quam hominibus, cum & ipſi omnium præteritorum memoriam feliciùs retineant, & præſentia meliùs rimentur, & de futuris ipſis multiplici experimento firmatis perfectiùs ratiocinentur, quam homines; quemadmodum etiam longè meliùs, ac certiùs ea præſentiunt, ac prædicunt futura, quorum naturales, atque neceſſariæ ſunt cauſæ impedimenti incapaces, veluti Eclypſes, ortus ſiderum, cæteraque huiuſmodi, quæ ex rata diſpoſitione; conſtantique motu corporum cæleſtium dependent; nec non etiam eorum omnium coniectationem ob cauſas veriſimiles, quas etiam homines ipſi, ſi fuerint ſagaces, valent ſubodorari; quo ſenſu refert Plutarchus illud Euripidis

Qui conijcit benè ille Vates optimus

quod Cicero 2. de diuinat. interpretatum reliquit

Benè qui conijciet, Vatem hunc perhibeto optimum.

cuius

cuius ordinis memoratus eſt Thales, qui ex ſignis quibuſdam terreſtribus olearum prouentum præſagijt; & etiam Pherecides, cum aquam ex puteo hauſtam conſpiciens, terræmotum prædixit inſtare.

Si quæ verò eſſet diuinandi ars, quæ ſuperſtitione careret, atque veritati eo- 42
rum quæ prædicuntur, cohæreret, eam optimè callerent Angeli, atque longe excellentiùs cæteris hominibus, cum excellentiori modo eorum omnium notitia experientia, atque obſeruatione vtantur, quæ ad eam exercendam maximè conferunt; Sic diuinationem illam artis participem, quæ ſe iactat experientia partam, quæque ex volatu, cantu, paſtu auium futura prædicit Auguribus, quæ ex Cæſarum hoſtiarum extis Haruſpicibus, Sortilegis ex Sortibus, Interpretibus ſomniorum ex ſomnijs longinqua prænunciat, ſi inquam quæ eſſet veritatis fundamento innixa, Angeli ipſi non ſolum non ignorarent, ſed cæteris omnibus profeſſoribus, faciliùs pertractarent; eſſentque inſuper perfecti fulgurum, oſtentorum, portentorum, prodigiorum interpretes, perfecti Phyſiognomi, Metopoſcopi, Chiromantes, Geomantes, Hydromantes, Neromantes, Pyromantes, Aſtromantes, ſeù Aſtrologi, cum eiuſmodi artes, facultates, & ſcientias perfectiſſimè norint inditis habitibus ab initio, atque ſpeciebus rerum intentionalibus propriæ cuiuſque naturæ perfectione apprimè reſpondentibus, ac conformatis. Verum cum leuiſſima ſint in his omnibus veritatis argumenta, circa hæc non ita facilè putandum eſt ſe Angelos exercere, cum in ijs exercendis homines ipſi decipiantur, atque à Sapientioribus irrideantur; ſcitum namque eſt illud Catonis ſapientiſſimi viri, qui Cicerone referente aiebat ſæpe mirari ſe, quod non rideret Haruſpex Haruſpicem cum videret; quemadmodum etiam tritum eſt illud Annibalis de Haruſpicina, cui apud Regem Pruſiam *exulanti, cum pugnare* placeret, & ille ſe audere, quod exta prohiberent, negaret, An tu, inquit, carunculæ vituli mauis, quam perito Imperatori credere? Illud etiam Cæſaris, qui cum à ſummo Haruſpice moneretur, ne in Africam ante brumam tranſmitteret, tranſmiſit tamen; quod ni feciſſet (inquit Tullius) vnum in locum omnes aduerſariorum copiæ conueniſſent. Itemque circa Auguria, tum P.Claudij pulchri, qui cum bello Punico primo prælium nauale committere vellet, atque auſpicia more maiorum petijſſet, & pullarius non exire cauea pullos nunciaſſet, abijci eos in mare iuſſit, dicens, quia eſſe nolunt, bibant; Tum M.Marcelli, qui dicebat, ſi quando rem agere vellet, ne impediretur auſpicijs, lectica operta facere ſe iter ſolere; Tum denique de alijs quamplurimis quos omnes recenſere nimis longum eſſet; Cum igitur hæc omnia ſapientiſſimi viri, ac præſtantiſſimi duces ſemper contempſerint, licet hinc ſatis inferre in ijs nullum eſſe veritatis fundamentum, vanumque omnino eſſe eiſdem artibus ad ferendas prædictiones vti; ac propterea neque Angelos ex illis quidquam certi prædicere, ac prænunciare poſſe, præſertim ſi interueniat quomodocunque agendi libertas.

Quod ſi diuinatores ad præcipua diuinationis fundamenta confugiant, 43
quibus Artes illæ innituntur, ſcilicet, ad experientiam, quæ omni ratiocinio

præha-

præhabenda eſt, cum nulla eſſe vera ratio cui experientia refragetur, poſſit; & ad prouidentiam, qua par eſſe ducunt, vt cum noſtra interſit futura prænoſſo, ea diuinitùs præſignificentur; illis ſtatim opponendum eſt, neque conſtantem in eiuſmodi rerum generibus experientiam, neque prouidentiam, ſaltem quoad euentus omnino nobis ignotos atq. incompertos; Experientia ſiquidem comprobauit Flaminium non parentem auſpicijs petijſſe cum exercitu; at etiam anno poſt Paulus paruit, & tamen cum exercitu in pugna Cannenſi cecidit. Quare ſi fateantur diuinatores, non omnia quidem, quæ prædicuntur, contingere, eamque ſibi excuſationem obtendãt, quod diuinandi ars coniecturalis ſit, quemadmodum etiam artes coniecturales dicuntur, Medica, Gubernatoria, Nautica, Imperatoria, quæ tamen verè artes ſunt, licet aliquando præuiſo fruſtrentur euentu, aduerſus illos concludendum eſt, ex ijs nullam certam, immo neque probabilem veritatem prædicendam eſſe, cum ad cauſas non attendant, vt ſupradictæ, quibus poſitis, ſaltem id, quod probabiliter euẽturum ſit, prouideatur; nam artes eiuſmodi diuinatrices meræ ſunt Matæotechniæ, hoc eſt omni conſilio, ratione, atque conſultatione carentes: Atque pro illa parte, quæ ad prouidentiam ſpectat, dicendum eſt, Deum ſatis hominibus conſuluiſſe, cum illos prudentia, & ſagacitate donauit, qua ſe ſe ipſos regere, & in futurum proſpicere, quantum quidem ipſis neceſſarium eſt, valeant; dignumque eſt conſideratione, quod apud Euſebium Diogenianus ait, eos ipſos, qui artem diuinandi profitentur, nihil opis ad vſus vitæ quotidianos ſua ex arte accipere, ſed perinde, ac cæteros partim iudicio vti ſuo, partim conſilio cæterorum.

DIS

DISSERTATIO X.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex Dæmone.

DÆMONVM prædictiones, quomodocunque ferantur, nun 44
quam ſuſpicione vacant, cum ipſi dicantur vulgò mendaciorum patres, & falſitatis inſtitutores; cum tamen quædam prædicere poſſint, quorum ipſi permittente Deo authores eſſe poſſunt, idcircò ea hîc diſquirenda veniunt, quæ à Dæmone prænuntiata fidem faciant, ac promereantur; Pro quare animaduertendum eſt, quod licet plura poſſit Dęmones efficere, eis tamen Deum non ſemper permittere, vt ea omnia efficiant, ac gerant, quæ poſſunt; ſicque neque eorum omnium, quæ in eorum poteſtate poſita ſunt, certas ſemper poſſe prædictiones efformare, eas impediente Deo, vel iuſtis de cauſis auertente. In effingendis autem, atq. imitandis naturæ operibus miri ſunt artifices Dęmones; licet enim res omnino nouas creare nō poſſint, nec rerum ſpecies commutare, nec ea quæ omnino periere, iterum ad lucem reuocare, aut redintegrare; poſſunt tamen ſpecies rebus creatis ſimiles, & inania quædam ſimulachra tam mira arte conformare, vt parum intelligentes facili negotio deludantur; Sæpe namque ſparſim in orbe vagantes creaturas in vnum cogunt locum, vt à ſe ibi conditas, & confectas hominibus perſuadeant; Sæpe etiam varia oſtenta, & prodigia meteoris ſimilia in aere effingunt, quæ poſtmodum apparitura prædicunt; Sæpè figuras confligantium exercituum exprimunt, clangores tubarum, ſtrepitus armorum, ſonitus ferientium ſe mutuò & ex ictibus collabentium, voces eiulantium, & exultantium referunt: formas etiam animantium, hominum, aut rerum aliarum velut pingunt in aere, præſertim ex coactarum nubium confluxu, atque adſperſi cælitùs luminis permixtione, ac traiectu. Ipſi ſe etiam ſæpiſſimè aliàs animantiū ſpeciebus aſſumptis aliàs indutis hominum viuentium, vel mortuorum formis, aliàs alijs ſibi figuris inuſitatis, ac portentoſis accommodatis, offerunt atq. oſtendunt. Cient in aere

ſæuas tempeſtates, ſtepentes ventorum flatus, horribiles terræmotus, pluuias, imbres repentinos, & id genus alia; Eiaculantur ex nubibus fulmina, incendunt fulgetra, & coruſcationes, quę tamen non gignunt ipſi, ſed collecta, & generata à cauſis naturalibus eò propellunt, ac prouoluunt, quò volunt. Sæpè terrent homines inopino aſpectu; ſæpe à recto itinere peregrinantes ſeducunt, ſępè errantes cachinno ſatyrico irrident, vel alijs diuexant modis, quæ mala vt plurimum, vt mox ſecutura ante denunciant.

45 Nec difficile eſt potentiſſimis ſpiritibus breui temporis momẽto, quidquid nubium, & habituum in toto continetur aere, ceu impetu quodam in vnũ concitare locũ, eliſiſq. fulminibus, ac fulgetris accenſis tantũ turbare, vt velut crepãtis, ac diſſilientis mũdi fragore terra perſonet, aut tota machina ardere ignibus videatur; præcipua enim eſt Dęmonũ in aere potentia, in quo circumuolitant, & verſantur, expreſsa etiam in ſacris literis eiuſmodi Dæmonũ poteſtate, qua oues, & iumenta beati Iob cõſumpſere, qua procellas impetuoſiſſimas cõmouere, qua deniq. conuulſam ab imis ſedibus domũ diffregere, liberoſq. omnes patientis oppreſcere; ex quo etiã templi Delphici direptionem prędixere, quo tempore Galli Aſiã peruagati incolarũ animos, & arma metu impleuere; ipſi namq. Dæmones cum tali direptione etiam templi patrocinium prænuntiarunt, imo procurarunt, cum ad templũ accedentes Galli, mox terra cõtinuis quaſſata motibus, ea parte maximè, qua Gallorũ exercitus caſtra habebat, cõtremiſcit adeo, vt & dehiſceret, & ſubſideret in profũdas voragines, & omnes ferè milites inuadentes abſorberentur; tonitruis etiã percrepantibus frequẽtiſſimis fulgetris coruſcantibus continuis, ſæuiſſima etiã hyeme repente ingruẽte, niue denſa caſtra opcriente, lapidibus ex diſiectis ædificijs violentia turbinum circumactis, ingentibus deniq. ipſius Parnaſſi montis fragminibus ad internecionẽ vſquequaq. deuolutis. Quemadmodum etiã ſæpè graſsaturã in populos luẽ prædixere, cũ ipſi imperante Deo aerem venenatis halitibus impleuerint, veneno fontes infecerint, noxijs ſuccis paſcua imbuerint; vt inde homines aerem peſtilentem haurientes, & aquas ſugentes infectas, ſimul virus attraherẽt.

46 Ex ſtellarum etiam poſitu, & conſtitutione multa argutiſſimè de cõmunibus & publicis euentibus ſolent diuinare; norunt enim exactiſſimè cæleſtiũ corporum naturas, vires, atq. effectiones, & in eum finem condita eſse ſciunt, vt naturæ Elementari dominentur; ſicq. illis hominum temperamenta mirabiliter affici intelligunt, & quid quæuis ſtella, quouis loco, aut conſtitutione, vel deſignent, vel gignant, atq. efficiant, integerrimæ perſpiciunt; norunt, inquam, tenera corpuſcula ex aluo materna prodeuntia, & circumfuſum aerem, cæli viribus imbutum, induentia, ſimul qualitates à ſtellis profectas haurire, haſq. rurſus in totum diffundi corpus, & humoribus permiſceri, vt inde ſubtiliter deducant totã corporis compagẽ vi quadã cæleſti formari, ex cuius efficacia quid corporibus ſit euenturũ ſæpe ſine deliramento præſagiant. A tẽperamentis verò facultates omnes, motiones, ac propenſiones ad certa morũ, ſtudiorum, actionũ, affectuum, appetitionum genera, & alia huiuſmodi cieri, imo & caſus cuiuſque

euen-

Digitized by Google

euentuſq. fingi longo vſu, & experimento, vt naturæ artifices peritiſſimi didicerunt, ita tamen vt ea, quæ pendent ab immanentibus, ac liberis arbitrij actibus ſemper ignorent, antequam fiant, & ad actus exteriores prouehantur; Etſi tamen voluntas libera ſit ſuprema omnium humanarum actionum domina, ac propterea reniti, atque aduerſari poſſit inſitis corpori propenſionibus, corpuſque ipſum, ne ijs obſequatur, cogere, ac cohibere poſſit; tamen temperamenti vim maximam eſſe experientia ſuadet, præſertim ſi accedat conſuetudo agendi in his, qui rationis detrectant imperium.

Hinc ſæpe factum eſt, quãplures diabolicas prædictiones ex temperamenti 47
notitia latas à vero nõ aberraſſe de eorum enim naturis, quæ ad libidines procliues cognitæ ſunt, facile ſemper fuit Dęmonibus pronunciare, flãmis amorũ impudicis eſſe quamprimum incedendos; ſic natura intemperantes ingluuies, belluationes, & omne illecebrarũ genus proſequentes eſſe citò morbis corripiendos, vel morte præripiendos, natura contentioſos, & rixoſos eſſe contentionibus, & armis implicandos; amantes ſophiſmatum, & cauillationum eſſe erroribus irretiendos, & ſic de cæteris non adeo fallentibus naturæ coniecturis innitentibus; ex quibus ſapientes ipſi, & etiam mediocriter exercitati viri poſſunt prædictiones ferre, cum plura ſuppeditet diuinandi argumenta ſtatus ipſe rerum, & ordo ab ipſa natura conſtitutus; nec mirum, ſi cum cæleſtibus, & phyſicis cauſis coniungant Dæmones etiam prænotiones ex Ethicis ductas indicijs, cum ex hominum conditione, ſeù conſtitutione naturæ coniectura ſolers potens ſit, ipſorum hominum inſtituta, mores, & conſilia rimari; atque ex talibus coniecturis lata ſunt fatidica illa Dæmonum reſponſa voce oraculorum expreſſa de Cræſo

Cræſe beatus eris, ſi te cognoueris ipſum

ad Battum de colonia deducenda

Qualia quis patrat, talis manet exitus ipſum

Pauſaniæ Spartiatæ poſt interfectã, quã ciui Byzantia patri eripuerat virginẽ,

Pœna luenda tibi, affert iniuria damnum.

Philippo Macedoni de morte

Serta gerit Taurus, finem capit, aſtat Aruſpex.

& antea etiam de hoſtibus pecunia expugnandis.

Argenteis pugna telis, atque omnia vinces.

Neroni denique Imperatorum vltimo. ex Æneæ poſteris

Vltimus Æneadum regnabit matre perempta.

Et ſic de reliquis prædictionibus factis per Dęmones Piſiſtrato Athenienſium Tyranno ante interitum dormienti; Glauco Lacedæmonio depoſitũ negatur cuidã Mileſio, alijſq. pluribus; cum enim ex immutabili ordine, atq. ex immota diuinæ Iuſtitiæ regula atrocia ſcelera ſemper comitentur atroces pęnæ, facile eſt non tantum Dęmonibus, ſed alijs quoq. etiam rudibus, & flagitijs ſupplicia ventura prædicere, & coniectare, iuxta id, quod eſt Sybaritis prædictum, cum Cytharædum interfeciſſent, qui in templũ Iunonis confugerat, mota ſeditione

Cede meis menſis, manibus nam ſanguis adhærens
Deſtillanſque recens arcet te limine templi.
Non tibi fata canam magnæ Iunonis ad aram
Muſarum innocuam ſtrauiſti cæde miniſtrum
Haud immortales hoc Dij patientur inultum.
Si quis enim prudens ſcelerata è mente profectum
Committat facinus,, grauis hunc propè pæna ſequetur.
Non exorabit, neque ſi genus ab Ioue ſummo
Ducat: quin capite ipſe ſuo, pæniſque nepotum
Hoc luat, & generi cumulatim damna ferantur.

Erui enim poſſunt omnes prædictiones eiuſmodi ex prædictionibus diuinis propria ipſius Dei voce prolatis, qui in ſacris literis eas de pænis infligendis comminatorias leges indixit, de homicidio, omnis, qui gladium acceperit, gladio peribit; de confuſionibus libidinum, omnis anima, quæ fecerit has abominationes eradicabitur; de furtis, Væ qui ſpolias, quia ſpoliaberis; de periurijs denique:. Non habebit Deus inſontem, quicunq. vanè vſurpauerit nomen Domini; quas omnes de pænis futuris leges optime Dæmones norunt, ſciuntque infallibili quodam Dei decreto implendas eſſe.

48. Alia quoque plura prædicere poteſt Diabolus, quæ ipſe præſtigijs ad deludendum adhibitis agere poteſt, ſi tamen permittat Deus, quorum tamen prædictiones vt potè deceptoris verſutiſſimi voce prolatæ maxima in ſuſpicione habendæ ſunt, nec ità facile illis fidem noſtram præbere debemus; eſt enim maior Dęmonum calliditas, quam vllus hominum ſuis cogitationibus aſſequi, aut metiri poſſit, præſertim in ſtruendis inſidijs, adhibendiſque nocendi artibus; quapropter vbi de eorum prædictionibus, ſeu diuinationibus agetur, maximè cauendum erit, ne decipiamur, cum eorum vis, efficacia, & poteſtas eò tantum vſque extendatur, vt ex ingenij perſpicacitate aliquid verò ſimile ex coniecturis deducant, ſi ea quæ prænuntiant, de genere eorum non ſint, quæ vel ipſi agant, vel eorum notitiam non excedant; ſic cum benè nouerint Dæmones periodos, & mutationes regnorum, ac Rerump. quæ fuerunt ab orbe condito maximè inſignes, ex illa hiſtoriarum, atque euentorum continuata ſerie de futuris etiam Rerump. ſtatibus optimas plerumq. coniecturas faciunt, atque hæc longè meliùs, ac certiùs intelligunt antequam eueniant, quam quilibet homo; quemadmodum etiam arguta ſolertia duce experientia ſucceſſiones in principum, ac etiam priuatorum familijs certa circumſcriptas eſſe periodo deprehendunt, qua exacta certò deſituras eſſe pronunciant. Ex prophetijs etiam diuinitùs patefactis, quantum noſſe ex illis arcanis deliberationibus datum, conceſſumq. hominibus eſt, tantum & ipſi de regnorum, & mundi fatis intelligunt; imo ſapientia, & acumine longiùs homines ſuperantes perſpicaciùs ratiocinando ex patefactis alia quoque non patefacta elicere ſolent, ex oraculis prophetarum alia etiam vaticinia depromentes, quibus ſæpè prædicunt, vbi & penes quos imperia futura ſint; per quos viros, & quo ſuc-

ceſſu

ceſſu ea conſtituturus, atque adminiſtraturus ſit Deus, quorum potentiam amplificaturus, quos deiecturus rurſum, ac depreſſurus, ad quam gentem ſint transferenda, & alia id genus plura, quæ licet non ſigillatim expreſsa, ipſi tamen ex coniecturis argutiſſimè colligunt.

Quod ſi exempla commemorare fas eſset, pro comperto habendum eſset, 49
præſciuiſse Dæmones ex Iſaiæ, & Danielis vaticinijs (quorum vterq expreſsè adoleſcentem Alexandrum pingit) eum ipſum Alexandrum victo Dario potiturum Aſia vniuerſa, & traducturum imperium à Babylonijs ad Græcos; cui etiam oraculum Delphicum conſulenti, atque à Pythia reſponſum extorquenti illud latum perhibetur reſponſum, Inuictus eris Alexander. Item præſciuiſse Dæmones ex Iſaiæ prophetijs, fore vt Tyrus vaſtaretur à Macedonibus iuxta illa ſacrarum literarum verba; Vlulate naues maris, quia vaſtata eſt domus, vnde venire conſueuerant, de terra Chetim reuelatum eſt eis, cum terra Chetim ſine dubio fuerit Macedonia, Homero quoque Chetes Macedones appellante. Item denique præſciuiſse Dæmones ex Danielis, & Iſaiæ vaticinijs, quod Aſsyriorum Monarchia aboleretur, atque in poteſtatem Medorum, ac Perſarum redigeretur, & quidem à Cyro, cuius nominatim Eſaias meminit; indeque etiam coniectatos eſse Cræſum de regno Lydiæ periclitaturum. Ea verò ratione poſsunt Dæmones præſertim de eiuſmodi rebus vaticinia ferre, quod ipſa multa imperiorum negotia moliantur, & agitent; ea potiſſimùm, quæ mutationes, cladeſue inſignes, & calamitates afferunt ipſimet exequẽtes, vt eiuſmodi euentibus, & occaſionibus plurimos publicis, ac communibus malis inuolutos perdant, vexent, atque in extrema exitia compellant, Deo ipſo plerumque eos feraliter graſsari permittente; at cum Deus ipſe eorum conſilia, & conatus cunctis limitibus inhibeat, & conſtringat, cum non ſemper fururorum proſpectionem, ſeù coniectationem concedat, hinc fit, vt vaticinia omnia, quæ edunt, vel enygmatibus implicent, vel ancipitibus amphibologijs obſcurent, quo nos eiuſmodi diabolicis vaticinijs, & prædictionibus fidei firmitatem derogemus.

DIS-

DISSERTATIO XI.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex Genio.

50 ANTIQVIS ferè omnibus ſemper perſuaſum fuit opinione quadam forſitan contracta ex ſacræ doctrinæ veſtigijs, cuilibet homini, quam primùm natus eſſet, Deorum ſtatuto duos decerni, atque adiungi Genios, quos Dæmonas vocabant Græci; eoſque adeſſe homini toto vitæ curſu, omnique momento,& demum corpore extincto,animas ad orcum deducere; vnumque ex illis bonum, alterum malum Genium vocitantes, vni quidqud proſperi eueniſset, adſcribebant; alteri verò quidquid mali, & aduerſi; quorum etiam munus, & officium eſſe putabant, vt futura quæque ad ipſos homines ſpectantia prænunciarent; iiſque tantum ducentibus, atque agenda prodictantibus homines ipſi iugiter operarentur, iuxta Græcum illud de Genijs vulgatum oraculum

Suus cuique Genius eſt mortalium
Vitæ initiatur vniuerſæ & arbiter.

Licet enim putauerint plerique Genios nil aliud in nobis eſſe, quam lumen quoddam animis noſtris ab ortu diuinitùs inditum, quo cuncta intelligimus, & intellectu, ſi bona, diligimus, & proſequimur, ſi mala, declinamur, & auerſamur; communior tamen eorum circumferebatur ſententia, qui Genios, non lucem tantum nobis futura detegentem, ac præmonſtrantem dicebant, ſed ſpiritus quoſdam puriores iugi tutela nobis adſtantes eſſe opinabantur; cum tamen longè credibiliùs ſit, eiuſmodi Genios fuiſſe omni æuo ipſorum hominum voluntates bona, vel mala per intellectum diſcuſſa, atque propoſita præuenientes, vel deſiderio, & amore, vel fuga,& abominatione; Quod tamen hic aſſerimus, ſecluſa Sanctorum Patrum doctrina, quæ fuit Antiquis ignota, de Genijs bonis, qui ſunt boni Angeli ad hominum cuſtodiam ab initio deputati, & de Genijs malis, qui ſunt Angeli mali homines ipſos iugi-

ter

ter in vita inſequentes, atque ad mala pertrahentes, de quorum prædictionibus illud idem hoc loco recolendum eſt, quod ſuprà de prædictionibus Angelicis, & Diabolicis ſtatutum eſt.

Agentes itaque de prædictionibus dumtaxat Genialibus, quæ apud Vete- 51
res magno habebantur in pretio, magnamque apud omnes extorquebant fidem, fabuloſos omnino ſtatuimus Genios illos, qui perhibebantur in quibuſdam euentibus hominibus apparere, familiaribuſque, ac quotidianis affatibus futura prænunciare. Et quia in ore omnium præcæteris eſt ille Bruti Genius, qui ipſi celebrem apud Philippos cladem, ac ſimul iteratam ſui apparitionem prædixit, ideò videtur operæ pretium hic paucula inſinuare, quibus ea apparitio, ac prædictio vocetur in dubium; nota ſiquidem hiſtoria eſt, & notum quoque eſt, quod facta fuerit Bruto Genij apparitio, cum Brutus ipſe mane illam amicis recitauerit, quod argumentum eſt per oculorum, ſeu imaginationis deluſionem ſpectrum illud oblatum eſſe; eſt enim ſenſus res lubrica, & maximè fallens, & ipſi humanæ menti ineſt ſæpe, quod fingitur, cum ſe ex ſe ipſa facillimè variet; quo argumento aduerſus Brutum vſus eſt Caſſius, cum conaretur illi prædictioni, & apparitioni fidem adimere; quæ omnia eò ſaltem valent, vt intelligamus ſuſpectam valdè fuiſſe Bruti enarrationem, nec parum fidei illi eſſe detrahendam, cum ex verbis Caſſij inſinuetur Bruti Indoles eo tempore maximè ærumnoſa, ad quam ingens ſollicitudo per id tempus accederet, cuius vi obuerſabatur iugiter illius menti, quo in diſcrimine Reſpub. foret cum recordaretur, quam infelix in pari cauſa fuerit Pompeius; & aſſiduè meditaretur ecquidnam ſibi capiendum foret conſilij, ſuccedentibus malè rebus. Cum itaque hæc & id genus alia animo volueret, & nocte quidem iam *profunda*, ſilentibus caſtris, extinctis penè luminibus ipſe per ſe cogitabundus, ac ſaltem ſemiſomnians, mirum non fuit, ſi cladibus, & infortunijs, ſeſe continnò in animum illius ingerentibus, viſus ſibi fuerit videre, atque audire malum Genium ærumnoſa prædicentem, ipſe præſertim, qui bonos, maloſque ex ſuæ ſectæ placitis dari Dęmonas perſuaſum habebat. Deinde quod ſomniauerit, tria quædam argumenta ſunt. Vnum quod ex pueris ſuis requiſierit, audiuiſſent ne aliquid: quippe non habebat ſibi ipſi fidem, ſed ſubdubitabat, nùm illud vigilanti ſibi, an potius dormienti contigiſſet. Alterum quod pueri ſe nihil, nec vidiſſe, nec audijſſe reſponderint; debuerant enim, niſi videre horrendam illam imaginem, niſi audire illam eius vocem. (Tuus, ò Brute, malus Genius ſum: in Philippis me videbis) nempe & Minerua ab Homero inducitur ſoli viſa Achilli, at ſaltem audire ipſiuſmet Bruti, vt quæ hominis fuiſſet, interrogationem; Ecquis tu Deorum, vel hominum es? Ecquid tibi vis, qui ad nos veniſti? ac verbum illud, quod intrepidè effato ſpectro ſubiecit, Te videbo. Tertium argumentum, quod memorat Plutarchus, ſedatum fuiſſe Bruti animum, poſtquam perorantem Caſſium exaudiuit; nempe quia potuit ex illius ratiocinio cognoſcere fuiſſe rem totam merum inſomnium. Ad quæ etiam notatu dignum videtur

tur non aſſerere Plutarchum hiſtoriam illam excerptam fuiſſe ex probatis Auctoribus, ſed, quaſi fidem liberaret, ex quodam diſſeminato rumore, qui propter conſequutum Bruti infortunium maximè increbuit; cum experientia ſatis teſtetur, nullum eſſe inſignem caſum, quem vel præceſſiſſe, vel ſequuta fuiſſe prodigia multa non memorentur: Quin etiam loquens Plutarchus de poſtrema in Philippis nocte, ait illam Genij apparitionem non fuiſſe ſatis probatam, cum Pub. Volumnius vir Philoſophus, qui ab initio cum Bruto commilitauerat, nihil de illa retulerit, licet cætera multa recitauerit.

§ 2 Eamdem fidem adhibere congruum eſt prædictionibus illis, quæ Socrates Genio ſuo, vel Dæmone dictante proferebat; licet enim verum ſit Socratem plura de rebus futuris coniectaſſe, ſæpius etiam prædixiſse, quæ comprobauit euentus, eaque omnia ſuo Genio adſcribenda docuiſſe, eo tamen artificio id à Socrate factum cenſendum eſt, vt cum ipſe totus in præceptis morum verſaretur, ex eo magnum pondus argumentis ſalutaribus, quibus ad erudiendum vbique locorum vtebatur, adderetur; Siquidem ſatis notum eſt quantum authoritatis habeat, quiſquis ex afflatu diuino monita dare creditur. Hinc licet tam Plutarchus, quam Apuleius, qui tractatus de iſto Genio conſcripſere integros, conſpirare in id videantur, vt verum fuiſſe Dæmonem credant, qui propter purgatiſſimam, quietiſſimamque Socratis mentem illi ab ineunte æuo fuerit conuerſatus; nihil eſt tamen quod euincat ipſum fuiſse aliud, quam ſolertiam, ſagacitatem, rationem, prudentiam Socratis animo ingenitam, ac deinde meditatione, exercitationeque philoſophica excultam, quæ velut rectum quoddam dictamen, & Socratem admoneret, & rectè agenda proponeret, & de rebus acturis benè iudicaret. Quod ex eo præſertim nobis ſuadetur, quod Socrates numquam dixerit ſe aliquod Dæmonium vidiſse, vt apud Plutarchum licet obſeruare, ſed ſolum quamdam vocem Dæmoniacam percepiſse: Quin etiam memorat Plutarchus carpſiſse Socratem tamquam arrogantes illos, qui ſibi viſum quodpiam diuinum oblatum fuiſse dicerent; quod innuit apertè Socratem nihil aliud habuiſse, quam perfectiſſimam rationem, quæ & præclarè ventura coniectaret, & quid futurum eſset ex rationabili cauſa monitorum anticipatione proferret: Ratio enim ea eſt, quæ nobis iugiter inſuſurrat quid ſperandum, vel quid timendum ſit; eaque Genius noſter, & vox intima nos iugiter alloquens dici ſolet. Quod vltrò fatetur Simmias quidam apud Plutarchum, qui cum curioſiùs ex Socrate quæreret, qualis hic foret Genius, reſponſi tamen nihil accepit, hoc digito ſatis monſtrante, noluiſse quidem Socratem mentiri, aſseuerando ſibi Genium ſeparatum adſiſtere, at noluiſse tamen loquendo negare, ne ſalutaria conſilia robur, & gratiam ammitterent; neque enim ipſi deinceps illi fidiſsent tantoperè, qui prædictas Charondæ, Timarcho, & alijs clades humana ſolum ſapientia prouiſas opinati fuiſsent. Addendum eſt, quod Timarchus ille apud Plutarchum, qui in Trophonij antrum deſcendit, ſciſcitaturus de veritate Genij Socratici, nihil probabi-

lius

lius accepiſſe inducitur, quod huiuſcemodi Genij ſint portiones animorum caput ipſum humanum circumſtantes, vt illæ quæ ampliore ſapientia à natura donatæ ſunt.

In qua re tamen neque illis eſt adhibenda fides, qui vt Genialibus prædi- 53
ctionibus fidem adſtruant, aſſerunt Genium eſſe quidem animum noſtra, ſed ſuapte natura omniſcium, vel quod eiuſdem ſit naturæ cum Deo omniſcio, aut quid ſit pars animæ mundi, quæ quod vbique præſens ſit, nihil ſit rerum, quod ignoret; nam & quamuis non adhuc præſens futuris ipſis rebus ſit, præſens eſt tamen earum cauſis, niſi proximis, at ſaltem remotis, quæ continuata ſerie cum proximis colligantur; ſicque vt in ſeminibus vis ineſt earum rerum, quæ ex ijs progignuntur, ſic in cauſis dicuntur conditæ res futuræ. Cumque animus in corpus immerſus, & quaſi epoto in ipſa immerſione lethæo poculo, non perinde omnia, ac ipſamet, cuius pars eſt, Anima mundana peruideat, peruidere tamen eum poſſe tuentur, aut vi morbi ſic concitatum, vt emerſionem quaſi moliatur, quo modo Ariſtoteles, qui valetudinis vitio furerent, & melancholici dicerentur, cenſebat habere aliquid in animis præſagiens, atque diuinum: aut ſi ratione aliqua placidiore ſe quaſi obducat, auocetque à corpore, quod quidem per ſomnum potiſſimùm ſit, tum enim vt longè quam per vigiliam ſolutior, faciliùſque, clariuſque diuinat; & appropinquante etiam morte, cum iam à corpore ſolui incipit, multò eſt diuinior. Hæc, inquam, omnia omninò fabuloſa ſunt, tum quod animus noſter ſit hauſtus, & pars quædam diuinæ ſubſtantiæ, tum quod ſit pars Animæ mundanæ omnia præſcientis; tum denique quod aliquid ſiue per furorem, morbumque melancholicum, ſiue per ſomnum diuinetur; quippe merus caſus eſt, quod interdum quidpiam hac ratione prædictum contingat; neque id magis mirum habendum eſt, quam ſi quis totum iaculans diem, aliquando collineet, & qui in talorum luſu ſæpe iactat, Venereum aliquando iaciat. Quod enim alioquin futura in ſuis cauſis proſpici ob illarum ſeriem; & concatenationem valeant, id ſoli Deo, qui condidit, diſpoſuitque omnia, concedendum eſt; omnemque aliam ſagacitatem, perſpicacitatemque longè ſuperat, vt quæ ex hominum arbitrio, caſibuſque innumeris dependent, prouideri poſſint.

Fides igitur tãtum Genialibus prædictionibus adhibenda eſt, cum pro Ge- 54
nio tutelari intelligitur nobis adeſſe Deus, in cuius tutela vnuſquirque naſcitur, & viuit; qui eo Genius noſter etiam ab Antiquis dictus eſt, quod vim obtineret rerum omnium gignendarum, eſſetq. omnium hominum pares, & genitor iuxta illud Horatij lib. 2. epiſt. 2.

Scit Genius, natale comes, qui temperat aſtrum
Naturæ Deus humanæ.

ea tamen conditione, qua conſtet eiuſmodi Geniales prædictiones eſſe verè diuinas; licet enim pro Genijs intelligerentur etiam Angeli, vel Dæmones hominibus ab initio adſtantes, quemadmodum intelligebat Menander

Omnis homini nato Dæmon
Eſt præſul totius vitæ

non proinde fidem noſtram promererentur ab Angelis, vel Dæmonibus veluti Genijs latæ prædictiones, cum nec ipſi, niſi annuat Deus, vel reuelet, poſſint futura prædicere, vt alibi dictum eſt ſatis.

DISSERTATIO XII.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex Ecſtaſi.

CVM innumeri circumferantur Antiquitatis errores de homi- 55
nibus illis, qui mente alienati vocantur, ex eo quod extra ſe ſe rapti, ſenſuque omni, & motu priuati iaceant exanimis ſimiles, exactiſque aliquot horis, vel diebus, ceù ex profundiſsimo expergefacti ſomno, videantur à morte reuocati ad vitam redire; atque eo temporis ſpatio vim quamdam propheticam, ac vatidicam exerceant; erit huius diſſertationis inſtitutum Ecſtaticas omnes prædictiones in medium afferre, quo decernamus, quibus ſit adhibenda fides, quibus verò inhibenda; eo iacto doctrinæ, ac veritatis fundamento, *quod nemo quacunque* Ecſtaſi correptus poſſit de futuris euentibus vaticinari, niſi diuino ſit afflatus lumine, diuinitùs illuſtrante: ea namque quę à veteribus receptabantur tanquam veritati ſummoperè conſona, prorſus erronea cenſenda ſunt, fictitia, ac fabuloſa; quorum primum pluſquam palmare deliramentum fuit, quod opinarentur, animas quorumdam hominum egregia virtute ſplendentium interdum ſuis corporibus diuinitùs eximi; atque eo vſque circumduci, donec & beatorum, & damnatorum ſedes, & cæleſtis machinæ fabricam, & id genus alia ex hominum conſpectu abdita perluſtrarent; ac poſtmodum, quæ vidiſſent, cæteris talium rerum ignaris renunciarent; confectoq. deniq. curriculo, quod Dij conceſſiſſent, iterũ in ſuos carceres, corpora, ſcilicet, animorũ hoſpitia redigerẽtur; ſtulto ſiquidẽ errore hoc ſibi veteres perſuaſum habebãt, cum eiuſmodi animorũ raptus naturæ ſemper fuerit incongruus, imo per quã noxius, atq. vitæ operationibus quãmaximè infeſtus. Quare eos quoq. inaniter deceptos putare debemus, qui phyſica quadã diſputãdi ſubtilitate adacti animorũ ſeceſſiones à corpore ad naturã Deorum referũt, qua ab animis humanis hauſta, & accepta libero quodã imperio queãt animi ipſi pro libito, è corporibus euolare, foris ſua ſpõte excurrere, eaq. cer-

nere, quæ intra corporũ carceres conſpicari non datur; Incognitum enim fuit apud Sapientiores omnes horum animorum genus, qui ſe pro libito à corporibus euocarent, vt rerum futurarum cauſas, quas intra corpus attingere non valerent, in ſeceſsu, ac ſeiunctione à corpore penetrarent; quamquam enim ex Sanctis aliquos Spiritus ſancti impulſu hoc modo affectos fuiſse legimus, non tamen credendum eſt id ſua vi, aut ſuopte animorum inſtinctu contigiſſe, neque liberè mentes illas diuino lumine illuſtratas à corporibus ſe ſubduxiſse, ſed ea omnia ſancto ſuauiter rapiente ſpiritu peregiſse; à quo etiam vaticidicas dicuntur accepiſse virtutes, nunquam mendacis ſpiritus erroribus faſcinati, neque inſanis furoribus in alienam perniciem correpti.

56 Neque inter Ecſtaticas predictiones, quibus fides adhibenda eſt, illę recenſendæ ſunt, quæ oriuntur ab exceſſibus, ſeu emotionibus mentis, quæ iuxta medicorum doctrinam ex melancholia progignuntur, ex copia ſcilicet, & vehementia humoris melancholici ſæpè innundantis, atque immutantis craſin cerebri, & ſpirituum; fit enim ſæpè ſæpius ex hoc in hominibus, ſed præſertim in mulieribus quidam animæ ſeceſsus quo anima ipſa à corporis adminiſtratione videtur amoueri, ſiue id fiat per fixas imaginationes, ſiue per alias ab operationum inſtituto abſtractiones, & vacationes; Prædictiones enim quæ ſolent fieri ab eiuſmodi Ecſtaticis, ſunt pura melancholiæ figmenta, atq. deliramenta, quæ reſpondent naturæ humoris melancholici; ſi enim illa ſit atra bilis ſanguinem inficiens, eiuſque ſpiritus tetra quadam qualitate corrumpens, in vaticinia de rebus ſemper obſcuris, lethiferis, ac moleſtis mentes Ecſtaticorum propellit, eoque adigit, vt ſemper cædes, ſupplicia, tortores, & mortifera animo voluant, eaque ſibi, vel alijs prædicant, cum ad ciendas imaginationes illas in cerebrum irrepant ſolum ſpectra vitæ periculum intentantia, aliæque eiuſmodi inuſitatæ, atque abominandæ ſpecies, quæ mala duntaxat ſolent portendere: Si vero ſit bilis flaua cũ alijs humoribus permixta, dicitur furores quoſdam concitare, quibus rixæ, contentiones, bella, hoſtilitates ſolent prænunciari, cum tamen notitias hujuſmodi de rebus prorſus incognitis, ac futuris ſolius naturæ opera nequeant inferre; hincque tanto grauiùs ſe ipſos decipiunt Ecſtatici iſti furoribus, vel humoribus melancholicis correpti, quantò alios prædictionibus ſuis fallere, ac decipere conantur; atque eorum albo verè adſcribuntur.

Qui ſibi pro veris nonnunquam ſomnia fingunt
Et varios vario alternant corpore motus

Quales fuere gentes illæ Ægyptijs finitimæ, quæ certis temporũ periodis præſagis furoribus, ceu morbis Epidemijs corripiebantur; quemadmodum etiam mulieribus Peloponneſijs, Chijs, Bæotijs maniacos affectus cum diuinatrice præſenſione familiares fuiſſe aliqui ſcribunt, tanquam morbos quodam populares; & nota ſatis eſt hiſtoria de furore percitis filiabus Præti Argiuorum Regis; in quibus tamen omnibus nemini dubium eſſe debet, vel eſſe pura commenta, vel eiuſmodi vaticinantium furores futurorum pręſcios à Diabolo fuiſ-

ſe con-

ſe concitatos; ſtruit enim ſæpe mirifica diabolus in eorum naturis, quibus venenata, & virulenta dominatur melancholia, vt occaſione illius humoris, vel in amentia delabantur, vt non rarò euenit, vel rerum inanitate veritatem ipſam opprimunt, ac diſperdant.

Inter alias quoq. inanes Ecſtaticorum prędictiones illæ adnumerandę ſunt, 57 quas comenticio quodam inuento commemorāt veteres ſcriptores per quoſdam homines latas eſſe, qui Lycaones, ſeù Lycāthropi dicti ſunt; qui ideo hoc nomine compellabantur, quod putarent ſe pro libito animalium formas poſſe ſuſcipere, eorumq. ſpecie, ſed præſertim Luporum, poſſe quo vellent, ac quaſlibet regiones peragrare, atque inde in propriam formam redacti, ecſtatico quodam ſpiritu omnia, quæ in illis regionibus aliena ſpecie perluſtratis contigiſſent, ſumma adſtātium admiratione prænunciarent; fabuloſa enim, ac prorſus ridicula eſſe eiuſmodi Ecſtaticorum oracula in figuras animalium commigrantium teſtatur Herodotus, qui de Neurorum conuerſione in Lupos apud Scythas, quam ſibi nullis vnquam perſuaſit rationibus, ait eſſe hominum metamorphoſim, ſeù metempſichoſim ab ipſis hominibus inuentam, cum omni ratione conſtet eſse fictitiam; quemadmodum etiam fide indigna cenſenda eſt Lycanthroporum commutatio in Liuonia, quos perhibent, ineuntibus duodecim diebus, qui proximi Natalem Domini ſequuntur ſub Luporum ſpecie vicinas regiones pererrare, vt in ipſo Natalis die ex viſis, & auditis ad ſe reuerſi ecſtaticè vaticinentur; talibus enim luſibus fortaſse olim vſus eſt Diabolus, vt ignaras gentes deciperet, & quo malorum vellet, iniectis erroribus, atque ſpectrorum imaginibus perduceret.

Ex quibus coniectandum eſt, quam facilè per ecſtaticos raptus poſſit homi- 58 nes dementare diabolus, quantiſque ſubiaceant erroribus omnium ecſtaticorum prædictiones; in quorum numero licet plerique inueniantur, qui diuino afflati ſpiritu veridica præſenſione futura ſæpè præloquantur, innumeri tamen, qui à Dæmone decepti, atque inexplicabilibus modis irretiti ſemper falſa prænunciant, licet quandoque veritatis ſpeciem oſtentent; quapropter ſanctiſſimè Eccleſia iubet eiuſmodi ecſtaticos ſpiritus eſse diligentiſſimè examinandos, quin vt plurimum coercendos, ne vaticinia ferant; idque D. Pauli exemplo, & doctrina, qui licet ſe agnoſceret diuinitùs raptum vſque in tertium Cælum, viſa tamen cæleſtia prænunciare non audet, ſed ſe ignorare fatetur, exceſserit ne anima è corpore, an in ſua ſede, & ſtatione permanſerit; licet enim raptu fuerit donatus, atque cæleſti luce perfuſus, ne tamen vel chriſtianorum erroribus, vel Ethnicorum commentis patrocinaretur circa animarum egreſsus, & vagas oberrationes, aſserit ſe quidem illa nouiſse, quæ pandebat, at modum quo illa nouerit, ſiue in corpore exiſtens, ſiue extra corpus, ſe omnino ignorare.

DIS-

DISSERTATIO XIII.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex Philoſophis.

59 EX naturis rerum conditarum,quas accurata ſcrutatione ſæpè perueſtigare ſolemus, vt ea, quibus quæque ſint viribus prędita in natura, quid natiua vi ſua efficiant, quibus addictæ ſint vſibus,qua denique effectuum connexione potiantur,intueamur,prædictiones quædam futurorum efformantur, quæ phyſicæ, ſeu naturales vocantur omni crimine, atque ſuperſtitione vacantes; ſumuntur ſiquidem prædictiones eiuſmodi ex cauſis, ſigniſque in natura diuinitùs ordinatis, quæ res quædam ſunt, quæ ipſo naturæ ordine cauſas, vel effectus, vel proprietates, vel ſignificationes naturales conſequuntur: Condidit namque Deus naturam eo modo, vt ſingulis rebus mirandas, ac peculiares vires certarum actionum effectrices indiderit, hiſque actionibus & effectus certi, & alia accidentia ipſius naturæ lege congruerent, ac reſponderent: immò præter cauſas, effectus, & alia accidentia, plurima etiam ſunt in vniuerſa natura, vel futurorum euentuum, vel aliarum rerum, quæ nondum conſpiciuntur vera ſigna, diuinitùs in eum vſum condita, vt vel præſignificent aliquid, vel de ignotis,ſed cognitu tamen neceſsarijs homines erudiant, ſintq. velut veſtigia ſenſibus obuia, quæ deducant oculos, & animos ad rerum ipſarum procul à conſpectu ammotarum, & abditarum inſpectionem, quæ licet perpetua ſint, atque perpetuæ experientiæ ſignificatis congruentia, dicuntur tamen quandoque ſuos euentus non ſortiri, quod neque præuideri, neque definiri, nec perfectè cauſæ omnes conſpici poſſint, ex quibus euentus illi, ſeu effectus conſequuntur, ac prædicuntur.

60 Horum igitur omnium contemplatio, obſeruatio, ac diligens penſitatio ad phyſicas prędictiones efformandas nequaquam legi Dei dicitur aduerſari,aut eſſe ſuperſtitioni obnoxia,aut omni fide carere, cum ſit cõſideratio ipſius operis, atque ordinis diuini, miranda arte ad Ideam effecti,& conformati,quæ ho-

mini

mini multis de cauſis in tota vita neceſſaria eſt: Etenim ideo Deus ex arcana
ſede ſua prodiens hoc pulcherrimum mundi domicilium tanta ſapientia fabri-
cauit, tantaque rerum varietate compleuit, atque exornauit, vt ceu theatrum
exquiſitiſſima arte elaboratum, atque expolitum, ſapientiam artificis oculis
contuendam proponeret; hominem verò, à quo agnoſci, ac celebrari vole-
bat, ideo tanta mentis perſpicacitate, tamque præſtanti intelligentia inſtru-
xit, ſenſibuſque donauit acutiſſimis, qui indices eſſent menti rerum foris ob-
uerſantium, vt cum oculis animoque perluſtraret, & hoc vndique obtenſum
Cælum, & reliquas mundi partes, cumque ſemetipſum euolueret, & ſui cor-
poris ſtructuram, mentiſque, & liberæ voluntatis, atque his inſeruientium vi-
rium præſtantiam expenderet, cogitaret de ſui opificis ſapientia, bonitate, mi-
ſericordia, iuſtitia, deque perpetua eius præſentia, & inexhauſto erga genus
humanum amore; & ſi homo in primis illis, in quibus conditus eſt, perſtitiſſet
veſtigijs, acceptaſque in creatione dotes per peccatum non amiſiſſet, tam per-
fecta philoſophia præſtaret, vt rerum ferè omnium naturalium, quarum modò
ignorantiam patitur, ſcientiam haberet, omnes naturales euentus ſiue neceſſa-
rios, ſiue contingentes, liberis tamen exceptis, ſcitè prouideret. At nunc he-
betata mentis acie, licet neutiquam ampliùs penetret in naturas rerum, vti an-
tea faciebat; immo vix externas ſpecies quomodocunque aſſequatur, & intel-
ligat, vult tamen etiam nunc aſpici naturam Deus, & ſapientiæ ſuæ, bonitatis,
& prouidentiæ teſtimonia inquiri; & quamuis quædam omnino nobis incerta
ſint, quædam nondum explorata ob mentis noſtræ imbecillitatem, atque cali-
ginem, plurima tamen ex certis rerum notionibus, ipſis conſentiente expe-
rientia, certò erui poſſunt; hucque feruntur prædictiones phyſicę extructæ ex
cauſis phyſicis perpetua experientia comprehenſis, de quibus diſputamus.

Manifeſtum itaque eſt omni ſuperſtitione carere veras prædictiones phy- 61
ſicas, ipſiſque vt optima ratione ſæpè deductis poſſe fidem adhiberi, cum vel
ſumantur à cauſis phyſicis, vel ab effectibus, vel à ſignis naturalibus, vel ab
ijs, quæ velut ſymptomata ortos à ſuis cauſis effectus conſequuntur; ſigna au-
tem naturalia notæ illæ intelliguntur, quæ in rebus creatis, ſenſibus, & intelle-
ctui ſubiectæ aut cauſæ ſunt euentuum ſignificatorum, aut ipſos præcedunt
propter aliquam copulationem cum cauſis, aut ſubſequuntur propter aliquam
copulationem cum ipſis effectibus; quorum ſignorum diſcrimina, & exempla
ſuppeditat pars illa medicinæ, quæ de ſignis agit, ſcientia quoque quæ agit de
rebus ſublimibus, & meteorologicis, ars denique, quæ de hominum ingenijs
ex corporis intuitu coniectat; ſic laſſitudo, languor, & ſenſus debilitatis in ar-
tubus ſigna ſunt ſecuturæ infirmitatis; ſic traiectiones aeris ſiccitatem indicãt,
quæ, ſi ad vnam ferantur partem, ab angulo illo ventum, ſi in diuerſas ferantur
partes, aquarum imminutiones, aeris turbationes, exercituum incurſiones indi-
cant; quemadmodum latum eſt ab Arato de futuris tempeſtatibus prognoſti-
con ex halonum numero, ſitu, ac diſpoſitione

Area, à verò totam comprenderit vna

Aut

Aut tribus, aut gemina Phæben complexa corona
Vna Auſtros, vna Soles promitte ſerenos.
Rupta Auſtros, Soles, ſed vaneſcente ſerenos.

Cuiuſmodi etiam fuit Ptolemæi prognoſticon de tempeſtatibus ex Cometis, quorum conuerſiones ſemper ſiccitates, ſqualores, & ventos prænunciant, tantoque maiores, quantò pluribus ex partibus, & diutiùs coierint. Non cauſæ, ſed effectus ſunt ſigna Phyſiognomica, quæ ex exteriori forma, motu, figura, colore ſumũtur, qualia multa Galenus enumerat in arte parua, quibus temperamenta partium, & totius corporis agnoſcere docet; & qualia etiam tradunt Ariſtoteles, Polemon, & Adamantius in Phyſiognomicis. Nec cauſæ, nec effectus, ſed quiddam cum cauſis, & effectibus coniunctum ſunt illa ſigna, quæ in Solis, Lunæque lumine ſolent obſeruari; qualia ſunt, ſi Luna triduo antè, vel poſt nouilunia, aut plenilunia, aut medium tempus, quo Soli quadratur, tenui puraque luce nituerit, nilq. circumdederit eam, ſerenitatem ſpondebit; ſi tenui rubuerit luce, & tremere viſa fuerit ventos denunciabit, ex ea orituros parte, in quam ipſa ab Ecliptica declinat; ſin nigra, pallida, ſpiſſaque apparuerit, hyemes, & imbres minabitur. Etſi verò quædam ſigna ſunt, & effectus in natura, quarum cauſæ oſtendi nequeunt; paucorum enim effectuum veras, & primas cauſas, aut proximas, & effectui pares viribus peruidemus, tamen ea vel fortuita, vel commentitia, & ſuperſtitioſa eſſe arbitrari debemus; Cometas enim, quotieſcunque exardere diſpicimus, mutationes aliquas, clades, aut calamitates portendere, certum eſt omnium temporum annotatis experimẽtis, cauſa tamen ſignificati in promptu, atq. in conſpectu non eſt, neq. à quoquam adhuc ſatis explorata; quamquam enim aliquam docti proferunt ex magnitudine inflammationis, hominum corpora incendentis, atque ad rixas incitantis, tamen tantis effectis, tamque certis, ac deſtinatis perficiendis, qualia aut portenduntur inde præſagijs, aut ſequuntur; neutiquam ſufficere viribus Autores ipſi confitentur.

62 Phyſici igitur optimè ſuam diuinandi artem callentes, atque ex cauſis de ſecuturis effectis ratiocinantes certas ferè ſemper prædictiones extruunt, quibus certi quoque reſpondent euentus, niſi vel diuinitùs impediantur, vel contingente aliquo aliarum cauſarum appulſu. At in hoc prædictionum genere, quantum ſit certitudinis, quouſque progrediantur, quibus inſiſtant, atque innitantur principijs; quantum deniq. ſit ipſis tribuendum, quo ordine, ac modo ſint ſine labe vſurpandæ, deinceps conſtituemus; non enim tanta eſt harum quoque prædictionum certitudo; vt quoquo modo infirmari non poſſit, cum non ità facilè etiam à Phyſicis omnes cauſæ ſimul coniungi, atque examinari poſſint, ex quibus colliguntur effectus; ſiue enim cauſarum, aut contingenter, aut neceſſariò agentium ſeries, & connexio inueſtigetur, ſemper obſcura reddi poſſunt, quæ perſentiuntur, vel conſequentia, vel futura; de cauſis namque ad prædicendum effectum ea expendere neceſſe eſt, vtrum cauſæ ſint propinquæ, vel remotæ; vtrum ſint cauſæ per ſe, vel per accidens; an ſint propriæ, &

prin-

principales, vel tantum adiuuantes, & operis participes; an cõcurrant vt totum, vel vt partes; an ex neceſſitate, & ſecundum naturam, aut ex conſilio, & propoſito; an ſeparabiles ſint, vel inſeparabiles; an ſint reipſa cauſæ, vel ſolum facultates; an ſint cauſæ impedibiles, nec ne, & id genus alia plura de cauſis, quæ ſi ignorentur, neceſſe ſit & effectus ipſos ignorari.

Præter hæc, & aliud eſt, quod difficultatem coniectandi auget, & præuiſorum, ac præſcitorum phyſicorum certitudinem infirmat, & labefactat; pleraque enim in tota natura fiunt, & eueniunt non neceſſariò, ſed contingenter; 63 cuius contingentiæ radix, & cauſa dicitur à Theologis liberrima Dei voluntas, quæ totam naturam ſuo arbitrio, & omnipotentia moderatur; & ſi enim indidit ſingulis ſuos agendi modos, quos naturis rerum nunquam eripit, cum tamen etiam plura ſint à phyſicis cauſis non edi conſueta, etiam ea, quæ quodam ordine naturæ certiſſima eſſe deberent, poſſunt ex diuinæ omnipotentiæ diſpoſitione incerta reddi, ac contingentiæ obnoxia; & inde ortæ ſunt apud Ariſtotelem, & alios Philoſophos de fortuna, & caſu diſputationes; liberrimè enim prima cauſa, & vim ſecundis ſuppeditat agendi, & vim ſubtrahit, vel reſtringit; ipſiuſque naturæ opera pro libito vel maturat, vel elidit, vel impedit; & licet doceat Ariſtoteles cæleſtes cauſas ſimplici, atque abſoluta neceſſitate eoſdem effectus, eaſdem actiones perpetuò, ac conſtanter edere, primamque cauſam inſolubili vinculo ſecundis ita connexam eſſe, & copulatam, vt aliud nequeat inſtituere opus vllum, quam tota ſeries coniunctis actionibus intendit, aut aliam vſurpare vim, quam qualem eædem cauſæ flagitant, inquit enim in lib. de cælo, & in phyſicis, omnia quæ natura conſtant, aut ſemper ita fiunt, aut plerumque, eius tamen etiam doctrina refutari facile poteſt, ac reuinci euidentiſſimis in ipſa rerum natura teſtimonijs; de Deo ſiquidem naturæ moderatore ea dicta ſunt

Non Deus eſt Numen Parcarum carcere clauſum
Quale putabatur Stoicus eſse Deus.
Ipſe poteſt Solis currus inhibere volantes
Ipſe velut ſcopulis flumina ſtare iubet.

Licet enim cæleſtia corpora ea perfectione donauerit, vt nullis eſſent mutationibus obnoxia, ſuiſque ſine intermiſſione circumagerentur motibus, certis, ac ſtatis vicibus, & curſus ſemel peractos mox eadem lege conſtantiſſimè repeterent, atque in parte mundi inferiori, & elementari aeris conſtitutiones moderarentur immutabili quodam tenore; eo tamen conſilio in his omnibus ordinem condidit Deus, vt, ſi velit, pro libito etiam concitatiſſimos orbium motus ſiſtere queat, ac cætera contingentia immutare, vel impedire, ne ſemper eodem modo in lucem emergant; contingentiæ namq. in tota rerum natura cauſa vnica eſt libera Dei voluntas liberrimè cuncta gubernans; quemadmodum in illis euentibus, qui arbitrarijs hominum actionibus accidunt contingentiæ cauſa dicitur libertas voluntatis humanæ, ad diuinam tamen voluntatem relatæ, ac pendentis.

H Phyſi-

64 Phyſicarum verò cauſarum actiones, & effectus inſigniter variat fluxibilitas, atque inſtabilitas materiæ Elementaris, quæ varijs admodum, incertis, ac varijs agitatur motibus, diſpoſitionibus immutatur; nec eas, quas ſemel complexa eſt formas perpetuò retinet, nec vno ſemper fertur ſimplici motu; ſed leui occaſione irritata per nouas agentes cauſas priſtinas formas excutit, & nouis præparata motibus, nouas aſſumit, atque induit, vagaturque in hac ſede Elementari ordine ſemper incerto hùc, & illuc abrepta, prout à cauſis agentibus in hanc vel illam partem trahitur, voluitur, aut propellitur, aut hoc aliouè modo afficitur; nec certas vllas, aut ſtabiles, & perpetuas primarum qualitatum mixtiones habet, cum & ipſæ cum formis ipſis, & diſpoſitionibus mutentur; Ac tales cum materia Elementaris motuum, mutationumque ſubeat, ac ſuſtineat vices, quam difficilè ſit de his coniectare, nemo eſt, qui non agnoſcat. Atque vt exactiùs harum omnium diuinationum, ſeù prædictionum phyſicarum incertitudo diſpiciatur, illud conſtituendum eſt, valde difficile eſſe cognoſcere, vtrum cauſæ, quæ de ſecuturis effectibus teſtimonium perhibent, & ſpem faciunt, ſatis roboris habeant, ac virium ad eoſdem effectus producendos, aut perficiendos; frequenter enim illæ, quæ inquiruntur cauſæ, quæque coniecturas de euentibus ſuppeditant, ad eoſdem vim tantum partialem, ſeù ex parte conferunt, nec abſoluendis ſua vi effectibus ſufficiunt citrà opem cauſarum ſociarum; & nòn raro etiam incidit vis contraria, quæ vel inchoatos iam effectus diſcutit, demolitur, vel omnino prohibet, ne exercere vim ſuam illæ queant. Sic non ſemper Luna vel Tauri Hyades Pleiadeſque ſubiens, vel nebuloſas præteriens Cancri ſtellas, quibus Præſepis eſt nomen, pluuias ciet; ſic ſæpe vniuerſales, & particulares cauſæ inter ſe diſſentiunt, particulares felicia pollicentur, vniuerſales aut damna minantur, aut exitia, cladeſque portendunt, & inferunt, quæ cum ſint validiores, & efficaciores, vt Ptolemæus docet, elidere poſſunt, & excludere particularium cauſarum ſignificata, & effectiones; Cernimus namque vno die in prælijs perire multa hominum millia, quorum tamen fata particularia diſſimillima ſunt; & peſtilentibus morbis conficiuntur ſæpè plurimi, quibus diuturnam vitam, & aſtra, & cæteræ cauſæ phyſicæ ſpondebant. Quandoque remotæ cauſæ proſpera innuunt, propinquæ triſtia, vt in Criſibus euenit; interdum enim Luna rectè poſita, nulliſque hoſtilibus circumſeſsa, vel oppreſſa radijs ſpem facit de liberatione ægroti, aut de mutatione inſigni in melius; at non raro tanta eſt morbi ſæuitia, tantaque naturæ imbecillitas, vt fruſtra cæleſtes cauſæ fractis, proſtratiſque viribus opitulentur; Interdum contra, cum aſtra infauſto ſitu, & triſtia denunciant, & ægrotum affligunt, & infeſtant, tamen ſi natura ægri vigeat, luctatur cum vtraque cauſa, ſuperatoque & excuſſo nocumento, quod vtraque inferebat, vincit, & euadit.

65 Ad hũc modũ Deus liberrimè imperat naturæ, & ex tãta cauſarũ varietate, ac diſſimilitudine in agẽdo phyſicarũ prędictionũ incertitudo ſuboritur. Acce-

dit ad

dit ad hác cauſarum varietatem multiplicem vatum diſſimilitudo ſignificationes cauſarum ſignorumq. interpretantiũ; cernimus namq. quoſdam peculiari naturæ ductu, inſitaque à ſtellis ſolertia, ac ſagacitate mediocri ſiderum cognitione exculta, longè veriùs, promptiùſq. ex obuijs indicijs elicere futura, quam qui ſola arte diuinandi excellunt, naturæ adiumentis deſtituti; imo hac ipſa vi ingenij, ſolertique coniectura multa perſpicere, & conſequi, quæ ars ipſa aut minimè erueret, aut difficillimè aſſequeretur; ſiquidem natura paucioribus, ars verò pluribus indiget; & in hoc numero quidam exiſtunt, qui non ſolum euentus particulares artificioſiſſimè indagatos proferunt, ſed pænè momenta ipſa, & articulos temporum certò declarant: Alios contra videas ſumma doctrina, & eorum, quæ ad artem pertinent, cognitione ampliſſima inſtructos, cum ſe ad præſagiorum vſum conuertunt, ridiculè falli, atque aberrare: quoſdam rurſus experimur reperiri, qui cum excellentibus naturæ dotibus, & aptitudine ad diuinandum natiua, doctrinam copioſam, vſumque artis plurimum coniunxerint, prædictos omnes facile ſuperant; Quapropter benè docuit Ptolemæus ad ferendas certiori modo prædictiones phyſicas non ſolum Artis, ſed etiam ipſius naturæ præſidio Vatem, ſeù coniectorem ornandum eſſe; etſi enim, quæ natura inſunt, arte expoliri, abſoluique deſiderant, fruſtra tamen ferè in doctrina, reguliſque ipſis operam ponimus, ac deſudamus, cum nulla præceſſit naturę habilitas, aut opportunitas; hæcque duo præſertim in Aſtrologo requirit Ptolemæus ipſe, & Galenus in Medico.

Omnino igitur ad phyſica vaticinia prodenda, atque ad excudenda de re- 66
bus naturalibus prędicta animum applicaturum Artis, & naturæ beneficio inſtructum eſſe oportet, ne incertis, & aberrantibus opinionibus ducatur, & ne ſuperſtitioſa *inueſtigatione* decipiatur; Ex eorum namque præſidiorum defectu veritas phyſicarum prædictionum velut conuulſa, & labefactata fidei nõ parum amiſit, & ideo nunc temporis iiſdem quoque non facile fides adhibe; etſi enim ex artificum erratis artium ipſarum, & rerum certitudo æſtimari nequaquam debeat, cum ijs neque rerum ordo, nec natura ipſa euertatur, vel hominum erratis doctrinarum certitudo infirmetur; tamen fit, vt artificum inuentis ſæpe decepti, difficiliùs eorum præceptis aſſentiamur, eaque velut ambigua ſemper accipiamus; propterea eæ tantum phyſicæ prædictiones certiſſimæ habendæ ſunt, quæ ex perpetuo, conſtantique ordine, & inuariabili lege naturæ immediatè, & inſeparabiliter à ſuis cauſis dependent, præuiſis vndique illarum naturis, atque earumdem motibus certò comprehenſis; reliquæ prædictiones quoquomodo ſuſpectæ habendæ ſunt, nec ita certæ.

DISSERTATIO XIV.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex Theologia.

67 SOLENT etiàm Theologi ſuas prædictiones ferre ex ſignis quibuſdam, ac notis quas in hominum naturis, propenſionibus, atque actionibus animaduertunt, ea ſcilicet lege, & obſeruatione ducti, vt oraculis innitentes diuinis, ex quibus ea ſigna notant, ſciant infallibiles eſſe earum rerum euentus, in quibus ipſa decreta diuina quodammodo per ſigna innoteſcunt; Deus enim qui ſolus verax eſt, & ſeruans ſuarum promiſſionum, certò efficit, & præſtat, quæ prædicit, aut promittit; & inde omnia vaticinia diuinitùs prodita immutabilia dicuntur, eaque neceſſitatis lege contingunt, quam Deus ipſe conſtituit; eo tamen diſcrimine, vt omnia, quæ ex ſua præfinitione prædicit, non ſemper ipſe efficiat, ac præſtet, cum in ea dumtaxat ſuam intendat agendi vim, opemque auxilij, quæ à malo, & à culpa diſcedunt; ſic licet prædicat ſæpè Deus ſuis vaticinijs mala culpæ, ſcelera, & peccata in genere humano, ea tamen nec ſimpliciter vult, nec approbat, nec efficit, neque ordinat, ſed ſemper abominatur & odit, licet permittat, ac toleret; illud ſiquidem de Deo ipſo circumfertur, Deus non volens iniquitatem tu es; quod & ſeniores Ethnici omni æuo iudicio conſcientiarum victi agnouerunt, ac ſtatuerunt: Cætera verò bona ab omni culpa aliena, quæ prædicit, dicitur etiam ipſe præſtare Deus; etenim res debet eſſe apud omnes exploratiſſima omnium bonorum Deum authorem eſſe, cum ab ipſo non ſolum æterna, ſed temporalia quoque proficiſcantur bona, ab ipſo omnia ſalutaria, & moderata conſilia; omnis felix, & tranquilla gubernatio; omnis pax, & rerum fruendarum vbertas; nihilque in hominum natura procedere, aut optatos exitus ſortiri, niſi fortunetur, iuuetur, promoueatur, atque ad præſtitutos fines deducatur diuinitùs; quæ fateri etiam Sapientiores Ethnicos res ipſa coegit in illis Pindari ſententijs repetitis ſæpiùs

Iucundus hominibus exitus, principiumque Deo incitante creſcit
Deo adiuuante homines in perpetuumflorent ſapientia
Multæ ſunt viæ felicitatis Dijs comitantibus
Mitte bellum, miſſam fac pugnam Deo non auſpice.

Antequam verò quid ſit certi in prænotionibus eorum, quæ ſæpè à Theo- 68
logis ex ſignorum, propenſionum, atque humanarum actionum ipſis hominibus prædicuntur, cauſas in primis, tum actionum, tum euentuum, & ſignorum, vt enumeremus, ac diſtinguamus neceſſe eſt; voluntas enim humana, quæ ſuprema in anima rationali potentia eſt, ita libera eſt ſuarum actionum effectrix, vt eas pro libito prodere, vel non prodere ſemper poſſit, atque ſuſpendere, monſtratis etiam pro libito à potentia intelligente obiectis, atque agendi, vel non agendi rationibus; cum neceſſe ſit, vt appetitionem, vel fugam cuiuſcunque rei præcedat cognitio, nulla exiſtente rei ignotæ cupidine; ita tamen vt cauſa primo voluntatem mouens ſit mens, indicens, atque oſtendens voluntati, quæ ſint expetenda, ac proſequenda; quæ fugienda, atque reijcienda; quæ duæ facultates, licet arbitrarias actiones omnes primò, præcipuèque inſtituant, inchoent, moderentur, & exequantur eo ordine, vt mens, quid fieri conueniat, conſilio, delectuque adhibito decernat; voluntas, quæ vult, deligat, & ſuſcipiat: mens circumſpectis vndique rationibus accommodata, ac profutura ad rem inſtitutam, vel obfutura, atque aduerſatura notet, atque oſtendat: voluntas conuenientia conſectetur, ac comparet; aduerſa declinet, ac repellat: Tamen neque ipſæ inter ſe ſemper conſentire dicuntur, cum vtraque cum pluribus alijs ſit copulata cauſis, quæ contrarium illi potentiſſimè diſtrahunt; menti enim tota externorum, interiorumque ſenſuum ſeries copulatur; voluntati verò cæteræ motrices facultates in appetitu coniunctæ ſunt; ita vt mens nihil eorum perſpiciat, aut intelligat, quæ foris ſunt, & geruntur, niſi ex indicio, & relatu ſenſuum, qui viſa, audita, vel alio modo vi ſenſitrice apprehenſa ad ipſam mentem tranſmittunt; voluntas verò, etſi mirando, ac planè occulto conſenſu appetitui inferiori cohæreat, tamen ob innatam, atque inſitam appetitui contumaciam imperio vti ſuo non poſſet, niſi ſubditam ſibi, obligatamq. tam arctis vinculis motricem facultatem haberet, qua & effrænes, ac tumultuantes cordis motus, & reliquas rationis, conſilijque expertes vires corporis compeſceret, ac cohiberet.

Primum itaq. ſignum, ex quo quid de toto homine futurum ſit, ſolent con- 69
iectare Theologi, eſt optima naturæ, mentis, ac voluntatis conſtitutio, & diſpoſitio, cui vt plurimum optimæ quoque reſpondent actiones, & agendi regulæ, vbi enim homines naturam, mentem, & voluntatem ad malitiam inſtructas, & præparatas adipiſcuntur, neceſſe eſt omnia in prauos vſus conuerti, quemadmodum verſa vice ad rectas exercitationes diſpoſitas, & inſtitutas, conſtat experimentis, ſemper in bonum ſua ſponte collimare; docet namque Pindarus ipſe nos omnes natura varijs erroribus, ceu fluctibus turbari, ac rapi, qui niſi optima facultatum agentium diſpoſitione corrigantur, totum hominem detrudunt

trudunt in præceps: Quare licet prima ex creatis cauſa voluntatem mouens ſit mens, hæcque re deliberata monſtret voluntati, quæ expetere, ac proſequi, quæ contrà excludere, atque amoliri conueniat; flectatque voluntatem ſæpe ſæpius ad approbata, & conuenientia; reuocet verò, atque abducat à contrarijs; ipſa tamen quoq. vt plurimùm aberrantium opinionum caligine circumfuſa, ſenſus, & appetitum ſequens ità cæcutire conſueuit, vt neque diſcrimina veri & falſi; neque longè diſſitas boni, & mali rationes, labente, atque errante iudicio perſpiciat; hacque de cauſa licet ordine naturæ agens voluntas ductui rationis obtemperet, tamen cum & ipſa infirma ſit, & magna ſit vis aliarum naturalium, & aſcititiarum facultatum, magna appetitionum violentia, quæ nec rationi, nec voluntati congruunt, nec eorum imperium audiunt, aut ferunt, vincitur ſæpè cauſis eiuſmodi; & vel ſua ſe ſponte ſeiungit, & auertit à ratione, vel rapta, atque auulſa aliò propellitur, quantumuis reclamet ratio, atque in ſtatione, & officio voluntatem retinere annitatur. Ex quibus omnibus, licet mala quædam coniectare, pręnoſſe, ac prędicere poſſint Theologi attenta deordinatione naturæ, cum tamen ijs obſtare, atque obſiſtere poſſit libertas arbitrij, fit quoque vt ijs prænotionibus, ac prædictionibus non omnis certitudo inſit, non fidem omnem expoſcant, maximè cum ea omnia etiam diuinitùs gratia opitulante poſſint impedire; nulla ſiquidem libertati noſtrę ab appetitu quantumuis ferociente timenda eſt violentia, cum proſtet peremptorium ſummi Principis, ac naturæ autoris edictum ad hominem latum (Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius:) hincque crebræ illæ & Philoſophorum, & Sanctorum voces, vt appetitui reluctemur pro viribus, ac poteſtate, vt perturbationes ab eo prodeuntes comprimamus, vt effrænibus eius motionibus dominemur: Et licet fortaſſe ex frequenti multorum experimento maximam eſſe appetitus ſeruitutem, qua ità arctari ſolemus, vt licet videamus plerumque ſummoperè dedecere, ac nocere quod agimus, illud tamen ſponte proſequamur iuxta illud Medeæ

Video meliora proboque
Deteriora ſequor
Odi nec poſſum cupiens non eſſe quod odi
Auferor vt rapida concita puppis aqua.

Tamen ex his non ſequitur, lædi aut imminui per appetitum trahentem libertatem arbitrij, ſed dumtaxat genus ſortis noſtræ, atque imbecillitatis eſſe deplorandum, quod ad minimum blandientis appetitus nutum circumferamur, atque in deuia petrahamur.

70 Alterum coniectandi ſignum, ac prædicendi futura illlud Theologis eſt, quod dicitur cognitus diuinæ præſcientiæ, prouidentiæ, atque prædeterminationis ordo, qui vel ex ſacris Oraculis ipſis innoteſcit, vel ex diuinorum decretorum reuelatione, futuros euentus, vel in naturalibus, vel in ſupernaturalibus, attingentium; in his enim error ſubeſſe nequit, neque fides velut incertæ certitudini ſubtrahi poteſt; ſiquidem, quæ per Deum reuelata quoquo modo pate-

pateſcunt,infallibilia putanda ſunt,cum ex vi ſubordinationis,quam creaturę,
vt operentur,habent ad Deum; itemque ex vi indigentię,qua ad agendũ con-
curſum diuinum requirunt creaturæ ipſę,præmittatur in Deo, non tantum du-
ratione æterna,ſed etiam præmotione, atq. prędeterminatione decretũ quod-
dam ſanciens,vt talis actio prodeat à creatura interuentu diuinę potentiæ cum
ea cooperantis. Si igitur innoteſcat Theologo, vt facile ex ſcripturis, aut ex
reuelatione alia, eiuſmodi decretum, facilè ipſi erit iudicium ferre de ſecutu-
ris euentibus; hacque ratione ſciens Theologus peccatoris ſalutem pęniten-
tiæ ipſius promiſsam eſſe,poterit ſtatim futuram ſalutem in homine pænitente
quodammodo coniectare,& prædicare,quemadmodum in peccatore in malo
perſiſtente damnationem,& ſic de reliquis; Decreta namque diuina, licet nec
minuant,nec lædant,nec tollant humanam libertatem, ſtatutos tamen infalli-
biliter ſortiuntur effectus,tametſi effectus eiuſmodi æquè ex diuina,& humana
libertate prodeunte poſſint ſimpliciter, & abſolutè non eſſe: Ex qua infalli-
bili euentuum connexione cum ſuis cauſis poſſunt Theologi,ijſdem cauſis co-
gnitis,aut quomodocunque reuelatis, ſuas prænotiones,ac prædictiones ferre
fidem noſtram non demerentes; ita tamen ſemper vt & Deo primo agenti, &
voluntati noſtræ ſecundæ cauſæ intemerata relinquatur agendi libertas.

Ex qua tamen diuini decreti prædeterminatione ad quoſcunque effectus, & 71
euentus velut cauſa concurrente neutiquam illud inferendum, quod aduerſus
Deum obiectarunt Hæretici quamplures; eſſe nimirum Deum hac vniuerſali
lege conſtrictum etiam malorum, & criminum autorem nominandum; nam
Deus, qui immutabiliter bonus eſt, vnaq. & ſola omnis boni cauſa, non poteſt
eſſe cauſa effetrix mali, quod boni priuatio eſt, ordiniſque diuini euerſio, cu-
iuſcunque boni operis corruptio, ac deformatio; etſi enim Deus reſpectu ali-
cuius boni *maioris, ac præſtantioris* voluntate permiſſiua, vel vt oſtendat, &
declaret naturæ intelligenti diſcrimen inter bonum, & malum; vel vt demo-
ſtret gloriam ſapientiæ,bonitatis,iuſtitiæ,& miſericordiæ ſuæ peccata non im-
pediat, quæ tamen poſſet, ſi vellet; non propterea peccatorum cauſa cenſeri
debet, cum vim effectricem minimè præſtet ad illas actiones, quæ aut labe, &
prauitate malitiæ inquinantur, aut cum ipſa deformitate, quæ a peccato ſolet
actioni accedere, coniunguntur; ſiue peccati turpitudo ſit ipſa turpis actio à
Deo deordinata,ſiue ordinis priuatio qaædam & nitoris; neque res incongrua
ſummæ bonitati diiudicanda eſt, quod ad malum peragendum nullam nobis
ſuppeditet opem,licet inconſentaneum ſit omnipotentiæ effectum quemcun-
que, in quo malum non ſit, ſibi vt cauſæ principi, vniuerſæ,ac potentiſſimæ non
ſubijcere; quapropter in hac re illud pro certo ſtatuendum eſt, nihil omnino
fieri ex parte Dei, quod nos moueat, vel excitet ad peccandum, cum tota cri-
minis ratio à noſtra labente natura corruet,quę prona eſt in malum,licet ſem-
per poſſit mala non agere; viget enim adhuc in omnibus creaturis diuinum
Imperium,ſed cum diuerſa regiminis forma, & ratione diſpoſitum;aliter ſiqui-
dem regit, quæ conſilio agunt, rationales naturas; aliter phyſicas rationis ex-
pertes;

pertes; Aliter bona gubernat, quæ vult ſimpliciter, efficit, & approbat; aliter mala culpæ, quæ non vult abſolutè, nec approbat, ſed tantum permiſſiuè: & quamuis nihil omnino fiat, niſi Deo præſcio, nihil etiam, niſi illo volente, omnino tamen fiunt eo voluntatum diſcrimine, quod rei bonæ, & malæ iudicium eſſe ſolet.

72 Hæc cum ita ſint, non proinde ſequitur poſſe Theologos ex prauâ hominum natura, atque ex ipſorum voluntate ad mala proclinante, certas de futuris euentibus liberis prædictiones ferre, cum vitioſa illa naturæ, & voluntatis diſpoſitio facillimè, aut per gratiam diuinitùs collatam corrigi poſſit, aut per vim diſciplinæ, quæ in diſtortis naturis maximè poteſt; facultates enim ad crimina incitatrices, licet acres, & vehementes, ſi vlla poteſt humana fiænare, ac moderari diligentia, ſola poteſt diſciplina ad reformandam naturam inſtituta; Quod ſi efferos, & incompoſitos motus omnino extinguere, aut ſupprimere nõ valet, tamen velut in gyrum rationis ductos, ac repagulis ſeptos ita domat, hebetat, atque emollit, vt vel tractationem faciliùs ferant, & culturam, vel certè longè minus ferociant; eòque id magis præſtat diſciplina, ſi teneris adhuc adhibeatur animis, quamdiù vt plantulæ teneræ flexibiles ſunt; ſi enim vbi ex radice prodierint pluſculum in alterutram ſe ſe partem inclinẽt, facile aut furculis retorquentur in aduerſum latus, aut deligatæ vinculis reflectuntur, aut circum defixis fulcris coguntur in rectum aſſurgere, & feritas illa hominibus connata quantacunque ſit, optimæ diſciplinæ inſtitutione miteſcit; Sequitur quidem enim ſæpè humana voluntas inſita, atque implantata in primo ortu naturæ incitamenta, at ſi ex accepta diſciplina retrahatur, eam tamquam ſpõte ſibi accerſitum ducem non deſerit, donec pugnantis naturæ incurſus prorſus, aut elumbet, aut prorſus aboleat: Hincque fit, quod licet voluntas libera actionum domina ex ſeſe aptitudinem habeat ſatis exactam ad diligenda, & complectenda, vel recuſanda obiecta propoſita, tamen cum ſaucia ſit, & languida ſua natura, præſideatque contumacibus admodum, atque indomitis appetitionibus, neque in omnibus eodem modo ſit voto bonitatis confirmata, ſæpe tamen victa rapitur ad detorta, niſi præſidio diſciplinæ roboretur.

DIS-

DISSERTATIO XV.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex Poeſi.

73 NON hoc loco Poeſim damnandam cenſemus, quod fuerit ars inuenta ad ſtultorum hominum aures demulcendas varijs laſciuientibus rithmis, Sybillarum numeris, ac ponderibus; quod ſemper fabularum oblectamentis incautos animos deceperit, mendaciorum architectrix; quod etiam ab ipſo naſcentis orbis exordio vitia ſemper propoſuerit in Veneris partibus, in Titanum pugna, in Iouis incunabilis, in Rheæ fraudibus, in Saturni vinculis, in Gigantum rebellione, in Promethei furtis, in Deli erroribus, & id genus alijs vulgatiſſimis Deorum criminibus; quod deniq. Deos ipſos inter fabularum ſuarum inuolucra ſemper malefactores inducat; Sed eò dumtaxat hic omnino improbandam ſuademus, quod ad tantum inſaniæ furoré deuenerint Poetæ quidam, vt ſibimet ipſis quaſdas adeſse diuinitatis partes putarunt, quibus certò de futuris vaticinari poſsent; à vaticinando enim Poetæ vates dicti ſunt; idq. agebant præcipuè, cum quodam furore correpti, ſeù melius diabolico ſpiritu afflati poeticis verſiculis, velut oraculis de rebus euenturis reſponſa præbebant; ex qua vaticinandi ratione apud Veteres ab Homeri verſiculis cognominatæ ſunt ſortes Homericæ, quemadmodum etiam à Vergilij carminibus ſortes Vergilianæ, quarum meminit Spartianus in vita Adriani, vbi eas in propoſito diuinationum refert.

74 Ex eo verò potiſſimum omnem derogamus fidem furétium poetarum vaticinijs, quod ea ſemper ab ipſis lata fuerint quadam mẽtis alienatione, cui nihil ratione firmatum potuit vnquam proponi; & licet etiam Poetarum diuinationes experientiæ titulo ſe ipſas tueantur, cum res ſupra fidem, aut præter rationem ferunt, atq. pollicentur; cum tamen vt plurimum etiam in eiuſmodi experimentis ars vaticinij poetici fallax deprehenſa fuerit, non eſt cur illis vllo modo adhibeatur fides. Quin imo Poetæ eiuſmodi vaticinia ſuo furore fundẽtes prorſus irridẽdi ſunt, eo modo, quo irridet Lucanus Aruũ quẽdam Poetã Thu-

ſcum, qui ſe ipſum fingit Aſtrologum de euenturis vaticinia ſua contexentem ad illa carmina

Quod cladis genus, ò Superi, qua peſte paratis
Sæuitiam? extremi multorum tempus in vnum
Conuenere dies.

Quolibet enim furore Poetas afflante, ſeù futura ſuggerente, ſemper eorum vaticinijs temeritas adiuncta eſt, ac ſola veritatis larua, cum numquam vaticinentur, ſed potiùs mente ab ipſa ratione alienata; cum id etiam ſæpè faciant eo ſolo intento, quo lucrum ex vaticinijs captent ad tranſigendam vitam; quorum fraudem, & inſaniam optimè protulit Campanus vates, qui experimento ſui fortaſſis cecinit

Viuunt carmine inſani Poetæ
Si nugas adimas, fame peribunt.
His mendacia ſunt opes & aurum
Fingunt quæque volunt, putantque palmam
Mentiri benè glorioſiorem

Atque ob id præſertim à M. Catone perhibetur damnatus Q. Fuluius, quod nimiam Ennio Poetæ vaticinanti fidem adhiberet, eaque de cauſa, vt ventura prædiceret, eum in Præfecturis, & Proconſulatibus ſocium ſibi ſemper aſſumeret; ex qua etiam criminis nota narrant hiſtorici veteres Athenienſes Homerum quinquaginta drachmis mulctaſſe, veluti quodammodo in vaticinijs iam inſanientem. Additur Poetas, qui tantum fabulas attexunt; non poſſe niſi fabuloſa prædicere, reſque prænunciare omni certitudine vacuas. Quod ſi à Poetis quorumdam vaticinia adhibeantur ad captandam fidem, quibus experimento conſtat, euentus reſpondiſſe, non proinde ipſis facilè credendũ eſt, cum ea omnia fabularum figmentis innitantur; qualia fuere vaticinia Chalcãtis celeberrimi Græcorum auguris, qui cum ſerpentem Platanum aſcendentẽ, ac primùm pullos quoſdam, qui ibi in nido erant, deuorantem aſpexiſſet, deinde circumuolantem matrem, bellum nouem annos duraturum, ac decimo demum anno Troiam captum iri vaticinatus eſt; & ſic de cæteris, quæ pura Poetarum commenta fuere; licet inter Poetas ipſos, quidam antonomaſticè vaticinatores, & augures dicti fuerint, inter quos pręter Calchantem pręnominatum recenſetur etiam Helenus Priami filius, qui Ænee Romani imperij magnitudinem prædixit; quam prædicendi artem etiam illius ſororem Caſſandram habuiſſe non ignoramus; atque præſertim à Platone vaticinium quoddam Orphei memoratum eſt, quo prædixit carmine illo

Ætate in ſexta ceſſabit machina mundi.

Nec alia ratione Vrania vna Muſarum à Poetis præficitur Cælo ſecũdum Plutarchum, niſi quod Poetæ plures etiam ex cæleſtium corporum notitia ſua cõficiunt vaticinia, quæ tamen nihili facienda ſunt.

Cæterùm ſublatis poetarũ vaticinijs, quæ fabulis innitentia, ſemper fabuloſa ſunt, maximam ex ipſa Poeſi percipi vtilitatem omnibus ferè perſpicuum eſt;

eſt; nam Plato ipſe *lib. 2. de rep.* præcipit poeticum ſtudium ab ineunte ætate eſſe hominibus demandandum, vt altiſſima, & occulta fabularum ſecreta ſuo tempore, nimirum ætate prouecta denudent, vt ſanæ philoſophiæ dogmata ex obſcuris fabularum tenebris in lucem educant, vt ad mores informandos naturæ ſimul, & artis documentis fabularum lenocinijs inuolutis adſpirent, vt denique propriæ vitæ actiones ritè inſtituendas ex fabuloſis exemplis ſibi præſcribant, diſcantque ex alienis factis ſibi diuinare, quid ipſi in poſterùm acturi ſint; ſi enim eò deſigerentur poetarum vaticinia, eſſent ſummoperè commendanda, cum ex alienis euentibus etiam per fabulas cognitis, poſſit quiſque ſibi euentus pares prænunciare, eos præſertim, qui ad ſtatum vitæ dicuntur pertinere.

Digitized by Google

DISSERTATIO XVI.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex Aſtronomia.

75 ASTRONOMICÆ prædictiones eo limite perſtrigendæ ſunt, vt ratione quadam, ſaltem generica, & vniuerſali ab Aſtrologicis, & Genethliacis diſtinguantur; licet enim verſentur omnes circa effectus, vel euentus pendentes ab aſtris, non tamen eodem modo; quapropter hoc loco nomine aſtronomicarum prædictionum eas tantum complectimur, quæ ex mera aſtrorum inſpectione ſumuntur; ſiue ferantur circa aereas varietates, ſiue circa hominum fortunas, ſiue circa tempeſtatum admirandas viciſſitudines ſterilitatem, vel rerum fœcunditatem afferentes. Quo loco obſeruari debet, ſi aliquid pariat notitiam effectus cuiuſpiam futuri, id debere eſſe illius, vel cauſam neceſſariam, qua ſcilicet poſita talis effectus ſemper fiat; vel ſignum neceſſarium, quo poſito talis effectus ſemper ſequatur; Sic quia quoties Sol accedit ad vernum Æquinoctium flores in arboribus creat, & quoties aurora ad orientem conſpicitur, ſuccedentem mox Solem habet; ideo facile eſt prænoſſe, dum tranſigimus hyemem, proximo vere flores futuros; & dum verſamur in aurora, exoriturum breui Solem, illud ob cauſæ, iſtud ob ſigni manifeſtam neceſſitatem: Quod ſi nulla talis neceſſitas ſit, ſed vel cauſa, & ſignũ aliquando ſint abſque eiuſmodi effectu; vel effectus ſit aliquando abſq. cauſa, atque ſigno eiuſmodi, perſpicuum eſt, non certam prænotionem, ſed coniectationem ad ſummum haberi, ſcilicet meram hariolationem, ſeù diuinationem fortuitam. In qua re illud quoq. pro certo habendum eſt prænotionem certam, nec fallentem rerum, quarum connexio neceſſaria cum cauſis, vel ſignis homines latet, haberi meritò diuinam; quippe ſublata notitia huiuſcemodi connexionis, nihil ſubſidij ſupereſt, vnde præuideamus tales res futuras, niſi Deus, cui omnia patent, id nobis reuelauerit; hacque ratione, qui ſolent futura vaticinari, dicuntur Diuini, & ipſa rerum prædictio Diuinatio vocari ſolet:

let: nec ſacra modo Scriptura rerum futurarum notitiam eſſe Dei propriam declarat, iuxta illud Eſaiæ 43. Annunciatæ, quæ ventura ſunt in fututum, & ſciemus, quia Dij eſtis vos, ſed Ethnici quoque illud agnouerunt apud Horatium

Prudens futuri temporis exitum
Caliginoſa nocte premit Deus.

Ex quo futura ſemper Ethnici requirebant ab ijs, quos diuinorum conſiliorum credebant participes, ſiue Numine diuino afflatos; hacque de cauſa Chaldæi diuinatores tanquam quędam terreſtria Numina apud Veteres colebantur; eorumque prædictionibus magna ideò habebatur fides, quod docerent Planetas interpretes eſse voluntatis Deorum, eamque mortalibus indicare, nunc ortu, nunc occaſu, nunc colore, nunc alio adiuncto; ac Zodiacum idcirco luſtrare, quod duodecim Dij Principes totidem ſignis præſiderent, exiſtentibus aliunde triginta ſtellis, quæ forent Deorum Conſiliarij, & omnia etiam occulta mortalibus renunciarent.

His prænotatis, licet ex ſacris literis habeamus Deum, Solem, Lunam, & 76
ſtellas creaſse, vt eſsent in ſigna, & tempora, & dies, non proinde tamen probatur ſidera, & aſtra fuiſse à Deo inſtituta, vt futuros euentus omnes cognoſceremus; cum illud Scripturæ Oraculum intelligi poſſit de ſignis tempeſtatum, de tempotibus feſtiuitatum, alijſque eiuſmodi pluribus, quæ verè ex aſtris prænoſci poſsunt, atque adeò noſtram fidem promereri; Illud verò interpretari de ſignis coniugij, aut cælibatus, liberorum, aut orbitatis; opulentiæ, aut indigentiæ; Amoris, vel odij; honoris, aut infamiæ; virtutis, aut nequitiæ; longitudinis, aut breuitatis vitæ; ſanitatis, aut morbi; mortis naturalis, aut violentæ; itemque rerum proſperè, aut infeliciter gerendarum; belli, aut paçis; victoriæ, aut cladis, & id genus aliorum, ipſimet Scripturæ omnino repugnat; quæ ſupponit hæc omnia tantum prænoſci, ac prædici poſſe tantum à Deo, vel à Prophetis, hoc eſt à viris ſpiritu diuino afflatis, non cælo ſpectando addictis; Quin eadem ſcriptura damnat etiam ipſos Chaldæos, qui profitebantur ſe iſta omnia ex ſolo cælo deducere; tritus nempè eſt Eſaiæ 4. locus cap. 47. dum Babylonem, quam appellat Chaldæorum filium alloquitur (Defeciſti) inquit in multitudine conſiliorum tuorum. Saluent te Augures cęli, qui contemplabantur ſidera, & ſupputabant menſes, vt ex eis annunciarent ventura tibi. Ecce facti ſunt quaſi ſtipula, ignis combuſſit eos.

Ijs itaque aſtronomicis prædictionibus poteſt aliqua adhiberi fides, quæ 77
Aſtrologiæ iudiciariæ fines non ingrediuntur; Plato namque Aſtronomiam eam nominauit, cuius nomen Aſtrologia iudiciaria haudquaquam ſibi vendicaret, eam ſcilicet, quæ ſuas prædictiones efformaret de rebus, quæ euentus humanos, ac liberos minimè tangerent, ſed ſolum varias aſtris affectiones, mutationes tempeſtatum, & id genus alia, prout ſidera orirentur, vel occiderent, ſignificarent; atq. adeo prædictiones eiuſmodi aſtronomicæ apud Gręcos præſignificationes tantum dictæ ſunt, quod ſidera in eis tantum tanquam

ſigna

Digitized by Google

ſigna quorumdam naturalium euentuum haberentur; quæ ſidera licet in multis poſſint eſſe ſigna ſimul & cauſæ, cum tamen non poſſint in omnibus, inde fit, quod ex ipſis nequeant de omnibus indiſcrimatim prædictiones ferri. Quod ſi ex eo nitantur Aſtronomi etiam in reliquis prædictionibus ſibi fidem conciliare, quod eſt omnibus in confeſſo, ſidera, nimirum, pleraque non eſſe mera ſigna, ſed cauſas quoque phyſicas plurimorum effectuum, atque adeo idem ſit circa effectus cæteros, quos ipſi iactant, concedendum; cum notum ſit, non fruſtra eſſe res inferiores ſuperioribus ſubiectas, ac propterea ab ipſis apertè foueri, moueri, regi; Solemque præſertim cauſam eſſe lucis, & caloris; atque acceſſu, & receſſu ſuo inducere ſeriem, ac viciſſitudinem tempeſtatum anni, plantas procreare, & animalia, ſpecialiter hominem cum homine generare, è terra fumos, & vapores excitare, qui poſtea concreſcant in aquam, abeant in ventos, niues, & pluuias; Lunam quoque complere, & vacuare conchylia, oſſaque animalium, ac plurimum valere in res omnes humidas, ac in mare potiſſimum, cuius acceſſus, & receſſus ad eius motum contemperatur; Denique dari influentias, quibus tam hæc duo, quam cætera aſtra vires exerunt ſuas in hæc inferiora; quippe cum & aſtra otioſa eſse non valeant, & effectus ſint, qui ad alias cauſas, quam ad ſidera reuocari non poſſint. Ex his tamen neque idoneam, neque ſufficientem poſsunt probationem attexere, qua demonſtrent etiam reliqua in rebus humanis contingentia à ſolis aſtris eſse expectanda; licet enim experimento conſtet, variare Solem tempeſtates, Lunam implere conchylia, & id genus ſimilia patrare; id tamen de reliquis euentibus conſtare non poteſt, quos in hoc orbe ſublunari quotidiè intuemur, ea præſertim ratione, quod ſidera ſint ad ſummum cauſæ quædam generales reſpectu horum inferiorum, atque adeo ratio poſcat, vt determinatio cuiuſcunque ſingularis effectus, ad aliquam aliam ſingularem cauſam, quæ ſit in his inferioribus reuocetur. Hinc intelligitur, cum ſit præter omnem rationem, vt dum plures alicuius effectus ſunt cauſæ, ſine quibus omnibus concurrentibus effectus ſecuturus non ſit, malè Aſtronomus arbitrari, ſufficere, vt earum vna dignoſcatur, reliquis particularibus ignotis, quæ ab ipſis vt plurimum cognoſci non poſsunt; ex quo ſequitur multas ex eorum prædictionibus, velut ineptas, futiles, ac mendaces eſse accipiendas.

78 Quod ſi repetant Aſtronomi perplures ſub Cælo haberi euentus; qui aliam cauſam habere non poſsunt, niſi Cælum ipſum, & ſidera; Id tametſi concederetur non ſequitur propterea euentus omnes eſse ſoli Cælo adſcribendos; maximè quia in ſublunaribus multos ſpectamus effectus, quibus, quid è cælo conferatur, dici non poteſt, cuiuſmodi ſunt eruptiones ignium, & incendiorum, vaporeſque ab ijs creati ex aquis ſubterraneis; imo ipſa quoque metalla, quæ licet Sol creare dicatur in ipſis terræ viſceribus, ratio tamen difficile probat, cum Sol foueat quidem ipſum terræ corpus, ſed cauſa extrinſecus tantum fouens non obſtat, quin intus vires propriæ ſint, quæ proprias ex ſe exerant actiones. Ad Lunam, & alios Planetas, quod ſpectat, ſi agunt ipſi aliquid

quid in terram, agit quoque terrà aliquid in ipſos; qua de cauſa non poteſt ita facile ab Aſtronomis affirmari Cælum ſaltem, & ſidera eſse omnium euentuum cauſas principales; cauſas vero inferiores particulares eſse tantum ipſius Cæli inſtrumenta; cum Philoſophis omnibus conſtet, plures eſse inferiores cauſas, quæ potius Cęli viribus vtuntur tanquam inſtrumentis. At cum plura in alijs Aſtrologicis, & Genethliacis prędictionibus de hac eadem materia dicenda ſint, non eſt, cur in his refellendis tempus vltrò teramus.

DISSERTATIO XVII.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex Aſtrologia.

79 PLVRA prænoſſe, ac prædicere poſse Aſtrologus abſq. criminis nota, ac propterea pluribus etiam eorum prædictionibus poſſe fidem adhiberi apud omnes eſt in confeſso; poſſunt enim Aſtrologi nedum Solis, & Lunæ vires ad ſublunaria vſque diffuſas perſcrutari, atque ex ipſis, quæ ordine naturæ euentura ſunt prædicere, ac coniectare, ſed etiam cæterarum ſtellarum, ac planetarum motus, proprietates, & influxus ita perpendere, vt ex ipſis quoque plures de ſecuturis euentibus prædictiones ferant. Non poſse tamen Aſtrologos vniuersè de omnibus certò vaticinari, aut fidem in ſuis vaticinijs promereri, in ijs præſertim, quæ ab humano dependent arbitrio, iam apud Catholicos omnes extrà controuerſiam eſt; nō enim aut prima cauſa compedibus vincta cælo eſt affigenda, aut in nobis ſtatuenda eſt Stoicorum delira neceſſitas, qua & Deo imperium naturæ eripiūt, & pecuini ſeruitio premi voluntatem noſtram volunt; eo namque pacto, quo Deus vniuſcuiuſque fata mouere poteſt, eodem prorſus tollere fata poteſt; nec ita hominum voluntates Aſtrorum ſtatutis obſtringuntur, vt ſua vi retundere, ac compeſcere eorum impulſus pro lubito non valeant, ſi velint; ex quo omnis prædictionum Aſtrologicarum incertitudo colligitur: Hacque etiam de cauſa ſuperſtitioſi, atque impij abuſus ars Aſtrologica reprehenditur, ac cōdemnatur, quod multorum Aſtrologorum peruerſitas, vel quæſtus gratia huius ſcientiæ nomen, & dignitatem alijs artibus prætexere conſueuerunt, vel erroris deceptione omnes in Aſtris euentus perueſtigari, omnia tempora, ac momenta pernoſci poſſe aſseuerant, ſic prognoſtica, ac prædictiones ſuas circumferentes, vt hominibus ſuadeant, nihil eſse inchoandum, niſi perquiſitis Aſtris; nec benè proceſſurum, quod inchoatum eſt, niſi ijſdem aſsentientibus; cum tamen id ſit artem ipſam Aſtrologicam prorſus corrumpere, & commentitiorum ſignorum figmentis

Digitized by Google

mentis veritatẽ doctrinę vel elidere, vel obruere, quæ de ipſis phyſicis actionibus, & effectibus ſtellarũ eſſet admittenda; eò etiam abductis imperitorũ mentibus, vt omnia ex Aſtris fieri, atq. Aſtrorum præſcientia dirigi facilè credant.

In Aſtrologicis igitur diuinationibus, quibus exceptis phyſicis, ac naturalibus coniectationibus, minimum fidei adhibendum eſt, ſummam incertitudinem parit coniectandi difficultas, hæcque oritur à ſumma intercidentium cauſarum varietate, quæ omnes non ità facilè inueſtigari poſſunt; quo fit vt Aſtrologi ipſi nihil certi de multis prædicere queant, præſertim de publicè graſſantibus pęnis, vel malis, quæ ſæpè vno eodemq. temporis momẽto plures editos in lucem, ſtatu tamen diſcrepantes afficiunt, cum enim vno eodemque temporis puncto, vnoq. aſtro nati diſſimiles, & naturas, & vitas, & regiones, & cauſas habeant, difficillimè ex hoc deprehẽdi poteſt, cur vnus ſit multorum exitus, cur in vno cadant prælio quamplurimi, vno innumeri terræmotu obruãtur, ruinis opprimantur, conflagrent incendijs, cũ tamen naſcentibus diſſimillima affulſerint ſidera; quemadmodum contra nunquam rationem reddere potuerunt Aſtrologi, cur nati vna ſiderum conſtitutione prodeuntes, alij tamen regum filij, alij ſeruorum in lucem prodeant; qua præſertim ratione eruditorum nonnulli omnem vim aſtris adimunt circa hominũ genituras, licet in cæteris fateantur ſtellarum viribus, motibus, qualitatibus, influxibus actiones quaſdam in natis reſpondere, eas præſertim, quæ progrediuntur à corpore. 80

Præ cæteris Aſtrologorum diuinationibus eas reijciendas cenſeo, quarũ authores nominantur Chaldæi, qui Aſtrologicã artem ad planè inania, & apertè confecta cõmenta reuocantes, ipſam artẽ, & cælũ ipſũ nugis repleuerũt, dũ pręter lucentes ſtellarum globos commenticia alia inſculpſere orbibus ſigna, ex quibus omnium hominũ fata, quæq. quis agere deberet, quantumuis celata, & recondita facilè excuderent, ac proferrent, omniumq. quæ cõtingerent in vita, rationes protinus deducerent; ſic omnem diuinationem aſtrologicam in quinque partes diſtribuentes, nimirũ in conuerſiones annuas, & menſtruas, in mutationes aeris, in liberas electiones, in interrogationes, deniq. in indicia aſtrologica; in quibus omnibus limites phyſicos egreſſi, ſuperſtitioſos tantum errores amplexati ſunt, quibus mortalium mentes facile decepere, vel ad quæſtum, vel ad æſtimationis honorẽ captandum; ex quo fit, quod nullã Chaldæorum prędictionibus ſit fides adhibenda; nõ enim alicui ſanæ mẽtis conſtare poteſt, qua vi, quauè de cauſa talis cęli conſtitutio, ex qua aliquid futurum, & occultum exquiritur, illud promere, ac præmonſtrare poſſit; qua etiã ratione res incertæ, & ambiguæ ſoluantur, & explanẽtur; quo deniq. certitudinis argumẽto incertiſſima proferantur, atq. diſiunctiſſima ab Aſtris tanquã ipſis cognata affigantur; quemadmodũ etiam abominãda prorſus Chaldæorũ deliratio cenſenda eſt illa, qua ſiderum dominio cuncta ita parere autumarunt, vt quidquid hic orbis habet, ſiue liberum, ſiue naturale aſtris facerent eſſe ſubiectũ; hincque vetarent quicquã ſuſcipiendum vel publicè, vel priuatim, domi, vel foris, niſi inſpecto, ac perquiſito cælo tanquam fatalium legum tabulario, atq. euentorũ 81

omnium architecto; deq. præſcripto cęleſtium edictorũ geri quęcunq. inciperentur; vrgeri, ſi aſpirarent ſtellæ, deponi, ſi refragrarentur, vellent.

82 Nec minore incertitudine laborantes æſtimare debemus Genethliacorum prædictiones, qui inſertis ſideribus quibuſdam ſignis ab ipſo rerum, ac naturæ ordine quammaximè alienis, maiores ſtellarũ vires effecere, quã Dei totius cęli molitoris; non ſolũ vitæ cuiuſcunq. curſum, omniumq. fata ſe præcinere poſſe gloriantes, ſi natale tempus certò indicatũ ſit, ſed etiam omniũ actionum, atq. agendorũ decreta relegere inter aſtra glorioſè demonſtrantes; eòq. vſq. progreditur veſana Genethliacorũ audacia in ſuis prædictionibus extollendis, vt non minus referre iactitẽt, qua cęli facie, quoue modo diſpoſitis ſideribus ædificiorũ fundamenta ſtruenda ſint, quo modo texenda, conſuenda, atq. induẽda ſint veſtimenta, quam ex qua cæli affectione nati primũ pueri ſpiritus ſit ducẽdus; eamdem prorſus ſtellarum vim in lateribus, ac cemẽtis agnoſcentes, ac in mollibus natorum corpuſculis; cum tamen ea ad ſummum diuinare, ac pręnunciare queant, quibus ob diuerſas cæli cõſtitutiones natorum corpora affici ſolent, quæ dumtaxat Aſtris quoquo modo regi poſſunt ex ſublunarium, ac cęleſtium ſubordinatione; exẽptis tamen ab his omnino liberis, & animaſticis operationibus. Hincq. fit, quod ex Genethliacorum diuinationibus, quibus ſumma vis Aſtris infertur, ſummus honor arti Aſtrologicæ infertur, & nitor veritatis infirmatur, adimitur, conſpurcatur; id enim tantum ſuo duplici ſtellarum diſcrimine contuetur Aſtrologia, vt de mutationibus naturæ inferioris aliquid diuinet conſiderata ſuperiorum, ac inferiorum corporum qualitate.

83 In his verò præcipua vis duodecim ſignis ſigniferi adſcribenda eſt, atque in ſingulis expendẽdum in quibus cæli verſentur ſpatijs, atque interuallis, quibus inſideant cardinibus, aut intercidentia illis expleant ſpacia; non enim parum momenti iudicijs adferunt penſitatæ ſignorum differentiæ, nimirum, quæ maſculina ſint, quæ fæminina; quæ æquinoctialia, cardinalia, aut ſolſtitia; quæ mobilia, fixa, aut cõmunia; quæ auerſa, & diſiuncta; quæ obliqua, & recta; quæ præcipientia, & obedientia; quæ aliena, & inconiuncta; quę fæcunda, & ſterilia; quæ pulchra, & deformia; ſed præſertim quæ ignea, aerea, aquea, & terrea: à quorum viribus exploratis collatio inueſtiganda eſt, habitudo, atque affectio erga Planetas, ſed Solem præcipuè, & Lunam ſecundum nouem modos aſpectuum ſeù configurationũ, quos tradit Ptolemæus lib. 8. magnę conſtructionis, ex quibus omnibus poteſt Aſtrologorum, atq. Genethliacorum turba aliquas notationes, ac prædictiones ferre, natorũ temperamẽta afficientes, nimirũ roboris, imbecillitatis, aptitudinis ad has, vel illas ægritudines, habilitatis ad certa ſtudiorũ, actionum, morũ, affectuũ genera pro conditione, natura, & conſtitutione triũ præcipuarũ partiũ, quarũ ope, & miniſterio ſuas exercet, & expedit vires, & facultates anima in corporibus; poſſunt enim aliquo modo ex his coniectari euentus tẽperamentis reſpõdentes ob inſitas à natura inclinationes, quæ vocãtur partiales ipſorũ euentuũ cauſæ: affici namq. Elementarẽ orbẽ vniuerſũ, & incluſas orbi res omnes naturales, adeoq. & hominũ corpora varijs mutationibus,

bus,& accidentibus ſubiacere ita perſpectum eſt, & euidens, vt ſtultum omnino ſit id inficiari;& cum non omnia,quæ agunt aſtra in hominum corpora perſpiciamus, ex hoc oritur, quod non omnia, quæ contingunt etiam circa ipſa corpora, diſtinctè cognoſcamus, ac propterea non ritè de cunctis diuinemus, quamuis non ſine ratione de ijs coniecturam capiamus ex Cæli Themate, ex aſtrorum motibus naſcentibus conformatis.

Difficillimum itaque eſt, ac ſemper incertum de humanis euentibus prædictiones ferre præſertim de ijs,quæ ipſorum hominũ conſilio, ac libera facultate diſponi poſſunt, cum remotiſſima ſint de his omnibus indicia, nihil omnino ad liberas actiones conferentibus aſtris,ſed ad ſummum corpora quoquo modo proclinantibus,ac diſponentibus. quo fit,vt ſemper vanum ſit prædictionibus eiuſmodi fidem adhibere,imo crimini obnoxium, atque inſipientiæ,quidquid ſit de genethliacis prognoſticis,quæ feruntur à Ptolomæo,Iulio Firmico, Pontano,& Cardano,qui in hac materia certos canones condiderunt,& etiam euentuum cauſas,& rationes inuenerunt; eo præſertim quod quandoq. experimentis cognouerint latas euẽtuum prædictiones veritati cohæſiſſe, cũ tamen id noſſe debuiſſent,nihil inueniri tam falſum,quod aliquam veritatis ſpeciem, ſeù potiùs laruam præſeferre non poſſit;nulla ſi quidẽ poteſt eſſe illius doctrinæ certitudo,quæ innumeris erroribꝰ ſubiecta,in ſine numero opiniones diſcerpta peruagatur; lubricis namq. coniectationibus innitentes Aſtrologi id ſuis prędictionibus aſſequuntur, quod aſſequitur ille; qui totum diem iaculatur,vt aliquando,ſaltẽ caſu collimet in ſcopum,cum non inueniatur homo adeò effrȩnis mendacij, qui nonnunquàm, licet incogitanter, in veritatẽ non incidat. Erit igitur ſemper abſurdũ,atq. à veritate alienum Aſtrologorũ prędictiones velut infallibiles ſtellis ipſis nedũ proclinãtibus, ſed etiã decernẽtibus ſequi, & tueri. 84

Quod ex eo euidentiùs colligitur, quod hæc aſtrologica prædicẽdi ars non potuit primùm in hominum animos induci, niſi aquiſito experientiæ magiſterio,quo domus Planetarum,ſtellæ,graduſque cælorum nobis imperitant; quis verò Aſtrologorum potuit vmquam earum, quæ iam ſunt, coniunctionum, oppoſitionum naturam inter domos,planetas, & ſtellas experientia notare ab primo naſcentis mundi exordio? cum ſtellæ centum annis vnum gradum tantum conficiant? Quod ſi Hebræi viginti duabus literis varia omnino, quæ ſub cognitionem cadere poſſunt,exprimunt,ex earum omnia copulatione immenſa verborum examina componentes; quomodo ex mille, & viginti duabus ſtellis,& duodecim Planetarum domibus, quarum ſingulæ in triginta gradus diuiduntur, ex ſeptem Planetis, ex alijs eiuſmodi conſtellationibus poterunt facilè ab Aſtrologis omnes aſtrorum aſpectus, concurſus, coniunctiones dignoſci? Addo ſtellam polarem tẽpore Hipparchi Pythagorici, hoc eſt paulò ampliùs centum annis ante Chriſtum duodecim gradibus abfuiſſe à Polo; iam verò quatuor tantum. Sic Solis Apogæum tempore Ptolemæi dicitur fuiſſe in quinto gradu,& trigeſima Geminorum minuta; iam ex Tychone in ſexto gradu Cancri, & ſecundum alios in vndecimo Capricorni. Deinde centũ cęli 85

Solis diſtabat à centro terræ viginti quatuor diametris ipſiuſmet terræ tempore Ptolemæi; iam dicitur diſtare tantum octodecim; & ſic de alijs pluribus, quæ ſola opinionum varietate ſuam commonſtrant incertitudinem.

86 Atq. vt ad ſingula huius incertitudinis fundamenta deſcendamus; primum de duodecim domibus cæli quæro, quæ tandem erit ratio demonſtrandi duodecim ibi eſſe domos, ſeu naturas diſtinctas, viribus, & proprietatibus diuerſas, non plures, neque pauciores? cur deinde quælibet domus in triginta partes diuiditur, vt tota diuiſio cæli fiat in partes omnino 360? Si dicant, diuidi hoc modo cælum ob numeri ad diuidendum opportunitatem, dicemus nos, hoc eſſe præclarum vaticinandi modum, ex ſola diuidendi libidine, non ex cæli natura profectum, ac propterea nullum certitudini vaticiniorũ locum relinquere. Accedit quod hæ duodecim domus ab Aſtrologis fixæ, & immobiles ſtatuuntur, prima quidem in Oriente, decima in medio cælo, in imo cælo quarta, ſeptima in Occidente, &c. cum tamen aliundè pro comperto habeamus nihil in cælo eſſe, quod perenni vertigine non agitetur; & ſi eas ſtatuant in loco imaginatio, nos quoque imaginarias tantum vocabimus eorum prædictiones; non enim imaginarijs domibus vis quædam phyſica ineſſe poteſt ad res mortalium agitandas, & fabulæ tantum erunt, quod pro varijs domibus cæli varij habeantur effectus; ſicque fabuloſum prorſus erit, quod Saturnus in primo loco faciat cum clamore edi partus, atque ex ipſo natos fieri inflatos, ac ſuperbia tumentes; In ſecundo loco quod ſit maximarum turbarum concitor, & ægritudinum maximarum conciliator. In tertio loco quod faciat natos pigros, & negligentes. In quarto infames; In quinto felices; In ſexto erraticos; In ſeptimo hæmoroiticos, & neruorum dolore contractos; In octauo, ſi tamen in Martis finibus fuerit, quod ex alienis mortibus pecunias nato pariet; In nono quod faciat Philoſophos, Mathematicos, Vates; In decimo quod Prætores, Præfectos, Duces, illuſtreſque viros reddant; In vndecimo quod nihil niſi poſt triginta annos boni ſpondeat; In duodecimo denique quod tumultus excitet, & magna pericula; quæ omnia ſanè ridicula viderentur, niſi à tot ſapientibus, in hoc tamen delirantibus, amplecterentur.

87 Deinde cum notum ſit nondum inter Aſtrologos conueniſſe, quomodo cõſtituendæ ſint hæ domus, neque inter ipſos certa quædam prædictionum doctrina conſtare poteſt; nam ſi per æqualem diuiſionem Zodiaci conſtituuntur, Æquator æqualiter diuidetur; ſi per diuiſionem æqualem Æquatoris, Zodiacus inæqualiter diuidetur; ſi per æqualem diuiſionẽ verticalis circuli Æquator, & Zodiacus inæqualiter diuidentur; quarè prout variè à varijs domicilia cæleſtia conſtituuntur, fieri poterit, vt ſtella vna ſit in domicilio prophano, & fortunato ex vnius ſententia, in infauſto, & infortunato ex alterius placito; & ſic in hac re nihil certi proferatur. Additur ex doctrina quorumdam Aſtrologorum malè diſtributas fuiſse Planetarum domos, licet fortaſſe id factum ſit ad contemperandas ipſorum Planetarum vires; ſic etiam malè ſignis, atque conſtellationibus Zodiaci tributas eſſe Planetarum vires, cum ſigna, & imagi-

nes

nes Planetarum non ſint verè Planetarum domus, ſed tantum ſigna. Ad extremum denique dicimus improbari à pleriſque quod inter Planetas contrarios ad diuinandum ſæpè amicitiæ concilientur, cum tamen, qui ſe amant, deberent in vnum coire amoris compagine, cuius viſcarium eſt ſimilitudo, quam ſi ſuſtuleris, amicitiam ſuſtuliſti; Planetæ verò, quos coeuntes faciunt, vt plurimum diſſimiles ſunt, & contrarij, vt ſatis notum eſt in Ioue humido, & calido, & in Saturno frigido, & ſicco, & ſic de cæteris; quapropter cum in hac arte ſua mole ruant omnia certitudinis fundamenta, fatendum eſt, nihil certi prædici poſse.

Quod ſi dicatur Aſtrologos ſæpè vera prædixiſse, non propterea ipſis fides 88
eſt adhibenda, cum omnibus compertum ſit, id potius caſu, quàm ſcientia, vel artis peritia factum eſse; omnis enim qui totum diem iaculatur, aliquando collimat in Scopum; maximè quia adeò perplexis ambagibus ſua conuoluunt effata, vt quodcunque euenerit, prædictum eſſe putetur, quo ipſi diuini haberi poſſint; in hac re Apollini Delphico admodum ſimiles, qui à Pyrro Æaci filio conſultus de belli euentu, reſpondit

Aio, te Æacide Romanos vincere poſſe.

Cui oraculo veritas deeſſe videri non poterat, ſiue Pyrrhus à Romanis, ſiue à Pyrrho vincerentur Romani: vnde merito de oraculis Aſtrologorum dictum eſt, vt plurimum conſueuiſſe falſa prænunciare, quam vera, cum veritas nuda, & nunquam palliata incedat. Accedit, quod ſæpè etiam leuitate conſulentium Aſtrologos fit, vt vera ipſos denunciare contingat; ſi cui enim magnam apud Principes gratiam, ingentes honores, & facultates ſpoponderunt, fit, vt licet fortè nunquam de eo colendo Principe cogitaſſet, iam nihil aliud cogitet animo, *nihil verſet aliud mente*, nullum non moueat lapidem, quo Principi tã-dem gratioſus euadat; cum tamen hoc potius ſtudio, ac labori debeatur æſtuã-tis in Principis beneuolentiam, quam aſtrorum, vel Aſtrologorum ſponſionibus. Sic contra ſæpè prædicunt Aſtrologi quoſdam ſubituros eſſe magna infortunia, ægritudines, infauſtas clades, & id genus alia; hæc audientes, fideque ſua excipientes ſtatim deſpondent animum perpetuò corroduntur quaſi impendentium malorum moleſtia, ſibi fiunt ipſis graues, omnibus permoleſti, & ex his ſequitur aſtrologicæ prædictionis euentus. Omittuntur alia innumera, quæ hic in noſtræ doctrinæ confirmationem poſſem afferri, quæ videri poſſunt apud Valeſ. in ſacra Philoſophia.

DIS-

DISSERTATIO XVIII.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex Genethlia.

89 QVAMVIS maxima eorum pars, quæ de prædictionibus Aſtrologorum vniuersè dicta ſunt, Generhliacis quoq. facilè quear adaprari, ſuperſunt nihilominus quædam, quæ circa eiuſmodi præſertim ſpecialiter dici poſſint; quippe tametſi dictum ſir huius generis prædictiones ferè omnes nugas eſſe prorſus inanes, cum tamen procliue ſit genus humanum, vt fidem aliquam ijs præſertim adhibeat, quæ ad vitam, & mortem, atq. vtriuſque accidenria pertinenr, idcirco in his præſertim conatu non leui contendendum eſt, vt fides omnis eradicetur; ſi quidem experimento ſæpe deprehenſum eſt, per fidem à pleriſque eiuſmodi nugis adhibitum, plura mala tum in vita, tum in morte fuiſſe accerſira, quæ fortaſſe non irrepſiſſenr, ſi mens nimium credula ea ipſa ſua credulirate non aduocaſset; pluribus namq. mors prænunciata apprehenſionem ita moleſtam fecit, vt, ea cogitatione in dies magis radices agente, ac veſano quodam dolore torquente, lærhalis ægritudo tandem inducta ſit; ſic etiam alijs prænunciara vita longa, aut fortunæ felicitate; id poſtea ſecutum eſt, vt vel audenrer nimis ea facerent, vel negligenter ea præterirent, ex quibus vita alioquin futura longa decurtaretur; aut fortuna felix futura, infauſta redderetur; nec deſunt hiſtorijs exempla perplura, quibus conſtat eos vr plurimum infeliciſſimos fuiſse, qui Genethliacis diuinatoribus fidem adhibuere.

Ad reparanda igitur eiuſmodi mala ſponte accerſira, quibus non parum angimus in vita, omnis fides prædictionibus Genethliacorum deroganda eſt; arque cum velint imprimis fata omnia, ſeù quidquid in vita euenrurum eſt ab eo momento pendere, quod infans editur in lucem, ita eo tempore concurrentibus ſideribus, ac præſertim ſeprem planetis, vt nato neceſſitatem quamdam imprimant non ampliùs, nec minus viuendi; moriendi hoc genere mortis;

coniu-

coniugem ducendi tali tempore; naufragium certo die faciendi; certo alio excipiendi vulneris; alio incidendi in morbum; alio ineundi carcerem; alio cadendi à lite, & ſic de cæteris; nullæ ſanæ mentis viro videri poteſt, quomodo his ſit fides adhibenda, cum de aſtrorum impreſſione adeo multiplici, adeo ſpeciali, ac certo nemini conſtare poſſit; incredibile enim prorſus videtur infantes innumeros eodem momento natos in orbe terrarum ea omnia ſubire, quæ vni tantum prædicuntur; ſeptemq. Planetas ſic agere in ſingulos, vt euentura illis omnia pari diſtinctione, præciſione, ac certitudine præſcribant; quæ etiam præſtare deberent in omnibus, & ſingulis, quæ naſcuntur generum omnium, ſpecierumque viuentibus, pro quibus tametſi nulla ſpecialis Aſtrologia ſit condita, non obſtat hoc tamen, quin debeant ſua fata pariter è cælo ſortiri.

Id quoque quo aſſerunt Genethliaci de puncto geniturae nati, quod exqui- 91
ſitè noſci, ac conſtare debet, vt latæ prædictiones certitudinem euentuum præ ſe ferant, contra eoſdem eſt, ac fortiùs retorquetur; nam valdè abs re exquiſitam illius puncti notitiam quærunt; quoniam cum illud dirigant ad tempus vitæ determinandum, patet, ſi vel dimidij horæ ignorantia interuenerit, poſſe errorem in definienda vitæ longitudine ſeptem, aut octo annorum committi; Quam difficile autem deſignetur momentum, quo quis naſcitur, inde ſatis innoteſcit, quod vnuſquiſque cum mora, & ſucceſſione partium editur in lucem; quapropter ſi momentum extremum accipiatur, in quo naſcuntur pedes, neceſſe eſt, caput, quod præexortum iam ſupponitur, ſua accepiſſe iam fata; ſic de corde, Iecore, & alijs partibus ſucceſſiuè prodeuntibus ratiocinandum eſt. Quod ſi dicant, eſſe ſpectandum reſpirationis initium, vt vult Cardanus; id vel gratis dicitur; vel pari iure poterit dici ſpectandum eſſe tempus, aut eradicatæ placentæ, aut reſecti vmbilici, aut rerum aliarum eioſmodi, quæ etiam ſua fata à cælo habere poſſunt. Addo difficillimè Genethliacos certos euadere poſſe de temporis interuallis penè inſenſibilibus, cum vt plurimum ipſis momenta natiuitatis deſignentur ex ſola coniectura, in diurno, vel nocturno tempore, in antemeridiano, vel pomeridiano abſq. aliqua certitudine conſtituta; quæ omnia eos inter tenebras ſemper ambulantes denotant, atq. à veritatis meta ſua ipſa cæcitate aberrantes.

At inuento etiam natiuitatis, vel conceptionis momento, quod tamen dif- 92
ficile eſt, ritèque conſtituto Themate, ac benè diſtributis in Domos Planetis, adhuc ſupereſt difficultas, & incertitudo tempora inueſtigandi, quibus vitæ accidentia euentura ſint; quæ cum pendeant à Directione, à Reuolutione, à Profectione annua, à Tranſitu, quæ inter ardua, difficilia, atque imperceptibilia verſantur, non niſi ſumma cum incertitudine prænunciari poſſunt; & licet quorundam fata prorſus inexpectata non poſſint ad aliam ſpectare cauſam, quam ad Cæleſtem, accinente etiam ad rem hanc Manilio 1. Aſtron.

Fata quoque & vitas hominum ſuſpendit ab aſtris
Quæ ſummas operum partes, quæ lucis honorem
Quæ famam aſſererent.

Quæ-

Quæcumque tamen ſit ſiderum actio, ad ſummum generalis eſt, neque ex illa effectus vllus ſingularis producitur, niſi quatenus coit cum actione cuiuſpiam cauſæ ſingularis: Itaque vt cognoſci poſſit qualis nam effectus ſingularis futurus ſit, nihil iuuat ſiderum actionem cognoſcere, niſi cognoſcatur & actio, & diſpoſitio ſingularis cuiuſcunq. operantis; quæ actiones ſingulares cum vt plurimum in humanis pendeant à libera voluntate, ſint ſua natura abditæ, & occultæ, non poſſunt efficere Genethliacorum cognitiones certas. Quare non eſt requirendum ex ſideribus, quam ob rem natus quis fuerit valens, aut infirmus, iracundus, aut placidus, ſed potius ex complexione, ac temperamento parentum, potius ex conditione ſeminis, alimenti, regionis, & aliorum eiuſmodi: Neque cur aliquis fœdo morbo laboret, ſemper ſexta cæli domus conſulenda eſt, ſed impura domus, in quam ſponte fuerit ingreſſus; neq. cur aliquis globo tormentario impetatur, tota culpa in horoſcopum in quadratum Saturni directum vertēda eſt, ſed in tormentariam machinam, quæ fuerit ex malitia occidentis in ipſum directa; Neque denique cur aliquis gladio pereat, incuſandus erit Mars, aut eius malignitas, ſed potius latro, ſicarius, vel miles, qui reuera fuerit homicida, & ſic de cæteris.

93 Non negatur tamen, quin cōnexio quædam huiuſce mundi inferioris cum mundo ſuperiore ita habeatur, vt quamplura ex ſuperiore in inferiorem deriuent; verum ex hoc non conſequitur mundum inferiorem, præſertim humanum, ac ratione pollentem habere à ſideribus omnia; nullas ex ſe, ſed à ſolo cęlo agendi vires obtinere; nullum intra hominem eſſe agens primarium verum, ac per ſe, ſed inſtrumentarium dumtaxat; hæc enim omnia ab ipſa ratione alieniſſima ſunt, cum agens liberum melius quam cælum ſit cauſa omnia imperans, dirigens, & exequens. Non negatur præterea, quin Sol, & Luna plurima agant, at agunt in ijs rebus, in quas ſuum dominatum extendunt, quemadmodum etiam dicitur de cæteris planetis, non verò in hominem, qui ſi ſit ſapiens Aſtris ipſis dominatur & imperat. Non negatur rurſus, quin homo pro ſua temperie ad amorem, coniugium, ſuſcipiendos liberos, potiùs quam ad continentem, cælibem, liberis orbam vitam feratur; Sed Cardo rei eſt, prænoſſe Genethliacos eius temperiem, prænoſſe occaſiones, ob quas hoc tempore, potius quam illo in amorem incidat; iſtius potius, quam illius fœminæ ſit amans, quomodo non ſit vſurus ſua ratione, & libertate, non ſit prælaturus coniugio cælibatum, non dilaturus nuptias, non ſuſcepturus peregrinationes, & id genus alia, quæ omnino Genethliacis ſemper erunt ignota. Non negatur denique varia eſſe concurrentibus ſtellis hominum ſtudia, varios euentus, fata varia; ſed opus, ac labor eſt oſtendere, quomodo hæc omnia Deus à ſolis aſtris ſuſpenderit, cum experimēto conſtet à pluribus alijs, ac liberis cauſis pendere.

94 Nec deniq. credendum eſt experimentis, quæ afferunt Genethliaci, vt noſtram emerceantur fidem in ſuis prædictionibus; ſi enim alicubi dicitur experientia fallax, id maximè contingit in re, de qua diſputamus; vbi experimenta, rariſſima ſunt, quæ quidpiam cuiuſpiam effectus germanam eſſe cauſam conuincant;

uincant; quare ſemper erit expendenda ratione quæcunque experientia, ne fallacia aliqua ſubſit, quæ iudicium præripiat; & maximè quidem, cum inter experiendum nihil magis familiare ſit viro imperito, quam falli; adeò proinde, vt in tam raro veritatis ſtudio fides adhibenda temerè non ſit quibuslibet experimentis,ac illis præſertim, quæ potiùs auribus, quam oculis hauriuntur; multa enim ſunt, quæ nos cogunt Genethliacorum experimenta in dubium reuocare,cum neque eorum obſeruata ex nimia inter eos opinionum varietate concordent,neq. experimenta ipſa potuerint pluries obſeruari, ex eo quod nunquam licuit Aſtrologo, aut Genethliaco idem experimentum ne bis quidem peragere, cum eadem cæli conſtitutio ne bis quidem redeat etiam poſt ſæcula centum & mille. Addo Genethliacos Veteres ea ignoraſſe, quæ nuper ſolum perſpecta ſunt circa tam inerrantia,quam errantia ſidera,ex quibus variari decreta, & obſeruata maximè potuerunt. Denique falſum abſolutè cenſendum eſt poſſe Genethliacos præuidere, aut prædicere ea,quæ reuera circa alicuius vitam, aut mortem euentura ſunt; quod ex eo demonſtrat Tullius 2. de diuinit. quod multa Pompeio, Craſſo, ac Cæſari ipſi à Chaldæis prædicta fuerint, quæ tamen non contigere, præſertim quod vnuſquiſque illorum eſſet domi in ſenectute ſumma cum claritate moriturus; Idemq. etiam fuſiùs oſtēdit Sixtus ab Hemminga, qui propoſitis triginta illuſtribus genituris, & iuxta artis placita ad exquiſitum examen reuocatis declarat tandem experimenta non conuenire cum Genethliacorum placitis, nec fauſta ſemper fauſto cælo contingere; quod certè magnam vim habet ad fidem Genethliacis adhibendam, licet aduerſus prædictum Sixtum ad confirmandam Aſtrologiæ certitudinem Ioannes Rodulphus Camerarius genituras centum collegerit.

DISSERTATIO XIX.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex Phyſiognomia.

95 ESSE Phyſiognomiam aliquam coniectandi artem ex ſignis in corpore fixis nemo eſt, qui inficietur; at non ita iſtius artis certitudo accipienda eſt, vt latæ ab ipſa prædictiones ſemper colliment in verum, cum pluribus ſubijciantur erroribus, ex eo præſertim, quod plerumque ex infirmis coniecturis; atque ex externis ſignis minimè ſignificantibus internas animorum inclinationes perſcrutetur; licet enim ex certis quibuſdam notis in corpore ſitis ſæpè certa coniectentur, cum tamen plures alij ſint Phyſiognomiæ fontes valde retruſi, non ſemper certò, *quæ in animis latent*, in lucem cognitionis euocamus. Perfectionem tamen Phyſiognomicæ diuinationis ille fuerit conſecutus, qui licet interdum verum non aſſequatur, ex his tamen ſignis, quæ obuia ſunt, vt ratio poſtulat, coniecturas ſumit; & ne adeò facilis ſit in errorem lapſus, vbi de Phyſiognomicis coniectationibus agitur, ea erunt accuratè inquirenda, exploranda, atque inuicem conferenda, quæ ex ſignis conſentiunt, quæ diſſentiunt, quæ idem arguant, quæ ad coniectandum ſuffragentur, quæ refragentur, & id genus alia, ſine quibus neque certæ, neque probabiles prædictiones in Phyſiognomia ferri poſſunt.

Cæterum eſſe aliquam adhibēdam fidem prædictionibus Phyſiognomicis illud in primis ſuadet, quod non paucis illuxit oraculis, ex notis, ſigniſque in corpore humano conſtitutis, æſtimari poſſe, atque conſiderari, quæ in imis deliteſcunt illatebrata animorum receſſibus; notum eſt enim illud Iſaiæ 30. Agnitio vultus eorum reſpondet eis; & illud ex 6. Prouerb. In facie prudentis lucet ſapientia; illud denique Eccleſiaſt. 13. Ex viſu cognoſcitur vir, & ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus; amictus corporis, dentium riſus, & inceſſus hominis enunciant de illo: Hiſque diuinis oracu-

lis

Digitized by Google

lis ſubijcienda eſt magnorum virorum authoritas, qui in eiuſmodi veritatis iudicium, eandemque ſententiam conueniunt, præſertim Hippocrates, Ariſtoteles, Galenus, Triſmegiſtus, Zopyrus, Trogus, Ioannes Baptiſta à Porta, & alij quamplures, qui fidem Phyſiognomicis prædictionibus fecere; neque eſt inter celebres Scriptores Medicos aliquis, qui ſæpius ita exigente argumento Phyſiognomicas iudicaturas ſuis non inſerat monimentis.

At præſertim Phyſiognomicas prædictiones ſemper commendarunt apud Gellium Pythagoras, qui diſcipulorum aduenientium mores è vultus oriſque effigie ſciſcitabatur; Gymnoſophiſtæ, qui eum tantum ad ſummum regni ſupercilium ſubrogabant, qui eximia oris dignitate cæteris anteſtaret, vtpotè quem ad excellentium virtutum dotes natum arbitrarentur. Perſæ homines adunco naſo, quos Gryppos vocabant, honorabant eo, quod Cyrum illuſtriſſimum Principem adunco naſo honorabilem fuiſſe à maioribus acceperant. Æthiopes regni ſucceſſorem ex omnibus pulcherrimum, & pugnaciſſimum creabant; in quam rem aurea ſunt illa Curtij verba, quibus oſtendit non eſſe magnorum operum capaces, niſi quos eximia ſpecie donare natura dignata eſt; qua de cauſa à Phyſiognomo Chalcidenſi Syllæ vultu ſæpius inſpecto pronunciatum eſt, ipſum in magnum virum quamcitò euaſurum; quemadmodum contra illud Zopyri ſcitum eſt, qui inſpecto Socrate, totaque corporis habitudine malas in animo latentes propenſiones auguratus eſt; & Nazianzenus ipſe ſplendidiſſima Græciæ fax propter admirabilem Theologiæ facultatem, cum Iulianum Apoſtatam eſſet intuitus exclamauit (Bone Deus) quantum malum Romanum fouet Imperium. Nec ſilendus hic *Saluſtius, qui Catilinam*, hominem audacem, ſubdolum, varium, cuiuslibet rei ſimulatorem, alieni appetentem, nimis alta ſemper cupientem ex ſola phyſiognomica coniectatione prædicauit. 97

Quorum omnium rationes illæ putandæ ſunt, quas affert Seneca ad hoc argumentum, nec ſcilicet cor hominis eſſet omnino mortalibus inſcrutabile; ne occulta ſemper eſſet ægritudinum in animis latentium coniectura; ne Socratica feneſtra ſemper indigeret genus humanum; ne denique diuina quædam beneficia deeſſent ad inueſtigandas hominum voluntates; idcircò æquiſſimum fuiſſe, ait, certa indere corporibus quaſi ſymbola, quibus decernere de animis, cognita veluti cauſa liceret; ſicut enim gentilitia quædam ſigna in poſteris impreſſa diuinitùs ad notitiam Stirpium legimus in Annalibus, vt Seleucidarum anchora, Lancea Draconteorum, Eburneus humerus Pelopidarum apud Dionem Chryſoſthomum, & Sineſium patefaciunt, ita decuit animorum veſtigia, & caracteres fuiſſe in corporibus expreſſa, quibus quaſi exterioribus notis, ac rimis facilis pateret traiectus ad animum; dicitur namque corpus animæ domus, ac diuerſorium eſſe, è cuius conſideratione de hoſpitis conditione facilè coniectari poteſt; Docet namque Ariſtoteles ipſe in primo Phyſiognomiæ ſuæ limine tanto conſenſionis fœdere conſociata eſſe 98

 corpus,

corpus, & animam, vt alterum alterius affectiones conſequi haud poſsit, idque vbi rationibus euicit, tandem veram ex Phyſiognomia eſſe admittendam cõiectandi artem concludit; Et Caſſius Medicus celeberrimus, cum Problemate 50. quæſijſſet, cur prodigioſæ formæ homines vt plurimùm emota eſſent mente, reſpondit, quia corpori conſentit anima, vt animæ corpus; quo propterea docebat à corporis motibus, & affectionibus non eſſe omnino impaſſibilem animum, vt argumento ſunt, qui mania laborant, quæ eſt mentis alienatio ſine febri, in quo à phreneſi diſtinguitur; poſſunt namq. maniaci facilè medicamentis curari, & ſola temperiei mutatione ad ſanam mẽtem reduci, quod eleganter exemplo demonſtrat Horatius

—— fuit haud ignobilis Argis
Qui ſe credebat miros audire Tragœdos
In vacuo lætus ſeſſor, plauſorque theatro.
Hic vbi cognatorum opibus, curiſque refectus
Expulit helleboro bilem, morbumque meraco
Et redit ad ſe.

99 Phreneſis etiam, quæ animi quique morbus eſt, oritur, ex praua diſpoſitione organorum, quam vbi ſuſtuleris medicamentorum facultate, ipſa quoque euaneſcit. Præterea temulenti, donec vinoſi vapores conſederint, refrixerit caput, cerebrumq. purgatum fuerit, nunquam rationis munia ſunt obituri. Accedit pituitoſos tardè iraſci, biliosos, & ſanguineos celeriter, non aliã ob cauſam, quod illorum temperies frigida ſit, horum calida; præcipuæ namq. corporis affectiones, à quibus patitur animus ſunt internæ externæque membrorum, & partium conformationes, cum in promptu ſit plures corporis partes animi perturbationibus quaſi procellis fluctuare, ex ira ſcilicet cor palpitare, crura tremere, linguam præpediri, faciem igneſcere, oculos exaſperari, dentes acui, labia morderi; quemadmodum etiam qui gliſcentis inuidiæ felle flagrant penali lurore, & miſerrima macie deformantur. Ex quibus omnibus admirabilis cõſenſio inter animam, & corpus colligitur, quæ præſertim in eo ſita eſt, vt docet Angelicus Doctor, quod ad motum formæ moueatur etiam ipſum, ſitq. materiæ diſpoſitio, vel interna, vel externa ipſius animæ indicium; Hincq. fit quod ex ſignis exterioribus poſſint quandoq. Phyſiognomi de animo iudicare, ſuaſq. ſine nota prædictiones ferre.

100 Habendus tamen eſt accuratus ſignorum delectus, ne in vado res hæreat, & ne in latentibus animi morbis inueſtigandis decipiamur; cum enim ad vaticinandum in Phyſiognomia totam corporis conformationem adhibemus, impendio præuidendum eſt, quænam membra, vel partes attentiùs obſeruandæ ſint, quænam cæteris anteponenda; euidentior autem ſumitur coniectura ex illis ſignis, quæ in eminentiſſimis locis ſunt collocata, atque locus eminentior caput eſt; quapropter benè ab Homero Therſites fatuus, & ſtolidus deſcribitur, ex eo quod eſſet capitis acuminati; huiuſq. rei cauſam reddere facile eſt, nam in capite velut in arce omnium ſenſuum miniſteria conſtituta ſunt; ſic

potiora

potiora erunt phyſiognomicę coniectationis ſigna, illa, quę ex ijs membris petuntur, per quæ paſſiones, quas indagamus, exercentur; at quoniam caput rationis regia eſt, ingenij, memoriæq. ſedes, ex eo etiam ingenij, & memoriæ vaticinia potiſſimum erunt ducenda, quemadmodum ex humeris, brachijs, manibus, quibus conſtat corporis robur, roboris, & fortitudinis argumenta petenda. Ita tamen vt ſemper Phyſiognomo præ oculis ſit Ariſtotelis cautio, ne vni ſignorum facilè credat in ſuis prædictionibus ferendis, ſed plura circa vnum penſitanda ſunt, & ad vnum accommodanda, quo ex ijs tutò iudicium pronuncietur; etſi quando ſignorum acciderit contrarietas, eorum teſtimonia, & vires ad trutinam reuocanda erunt. Hæc ſunt potiſſima fundamenta, quibus poſſunt Phyſiognomi aliquas prædictiones ferre, quo fidem promereantur humanam, cum circa naturalia verſentur; quemadmodum etiam docet Ariſtoteles ex vna, vel pluribus animi paſſionibus alias coniectari poſſe, vt ſi quem iratum videas, triſtem; ſi quem animo demiſſum, inuidum; ſi quem inuerecundum, furem pronuncies; ex connexione enim quam in appetitu ſenſitiuo retinent eiuſmodi perturbationes, poteſt ex vna, vel ex pluribus de alijs iudicium ferri.

DIS.

Digitized by Google

DISSERTATIO XX.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex Metopoſcopia.

101 PHYSIOGNOMIÆ pars potiſſima Metopoſcopia eſt; humanumq. caput velut contractum quoddam Cælum Metopoſcopi faciunt ſuis ſiderum characteribus inſcriptum, quo fata mortalibus diſpenſant, atque abdita pectorum fatidico quodam lumine recludunt; volunt namq. rectas ſex frontis lineas, & ſeptimam triplici angulo definitam ſeptem inerrantibus ſtellis reſpondere, cum æquiſſimum ipſis videatur caput in homine cæli appellatione cohoneſtari, dum in ipſo capite diuina pars hominis reliquis ancillantibus imperans facultatibus regnat, ſedet, ac tanquam Numen in Capitolio dominatur; Quæ omnia benè proferrent, ac ſine nota Metopoſcopi, niſi alia ſuæ artis diuinatricis deliramenta in capite, eiuſque lineis conſtituerent, quibus ſanè nulla eſt adhibenda fides; nam & ipſi Metopoſcopi fatentur, ac præſertim Cardanus hanc diuinandi artem eſse cæteris omnibus incertiorem, cum quibuſdam, ac præſertim pueris lineæ frontis haud ineſſe videantur, quibus tamen multa, ac magna contingere ſolent in vita; Sic etiam cum in fronte præter lineas ſint etiam aliæ inciſuræ, aliæ notæ, & varij characteres, vt cruces, circeſci, monticuli, clauſtra maculata, ſtellulæ, quadrata, triangula, lineę capillares, rugæ, & id genus alia, ex his omnibus difficillimum redditur, atque incertiſſimum ex fronte diuinare, cum hæc plerumque ita ſimul confundantur, ac permiſceantur, vt vix vnum ab alio diſcerni poſſit. Similiter cum maximam ſubeant varietatem linearum numerus, quantitas, longitudo, latitudo, profunditas, qualitas, figura, ſitus, & accidentia, hinc etiam fit, quod in iudicio de euentibus proferendo, vt plurimum errent, ac decipiantur Metopoſcopi, vel ex tot rerum, quæ neceſſariæ ſunt, in hac arte ignorantia; vel ſaltem ex accuratæ obſeruationis defectu. Denique quid certi conſtitui poteſt in lineis, quarum quædam ſi magnæ ſint, magnos, & notabiles denotent euentus; ſi paruæ

paruos,

Digitized by Google

paruos,& obſcuros; ſi continuatæ proſperam fortunam; ſi diuulſæ, & interciſæ aduerſitatem; ſi latæ ingenium,& hilaritatem; ſi longæ felicem in negotijs exitum; ſi breuiores negotiorum infelicitatem; ſi ſubtiles laſciuiam, & mollitiem; ſi intortæ animi intemperiem; ſi rectæ moderationem in agendis; ſi in ramos expanſæ animi leuitatem, & peregrinationem; ſi denique diſlectæ loquacitatem, & garrulitatem; his enim omnibus cum nulla ſubſit coniectandi ratio, præter Metopoſcoporum obſeruationem, & experimenta, quæ ipſi ad captandam fidem afferunt; non eſt, cur fidem noſtram tam facilè deuoueamus.

At præſertim in Metopoſcopia eiurandæ ſunt prędictiones illæ, quibus tanquam decretis ineuitabilibus ſtatuitur homini, quod ipſi in vita, vel in morte agendum,nulla habita,aut liberi arbitrij ratione,aut concurrentium cauſarum conſideratione; quemadmodum illæ ſunt,quibus decernitur; lineas omnimodè rectas bonam indicare iuſtitiam, animique candorem, & ſimplicitatem denotare; Lineas mediocriter obliquas bonorum aquiſitionem, nec non longam vitam,ſed non tam validam, & fortem; Lineas multum obliquas rapacem hominem, furem, auarum, peſſimæ indolis, quamuis longam vitam deſignent, præſertim ſi ſint illæ lineæ Saturni, & Iouis, vel Saturni, & Martis, vel tres illæ ſimul Saturni, Iouis, & Martis. Lineas paruas, & multum tortuoſas debilem, & exiguam vitam ſignificare, pręſertim ſi ſint conſtitutæ in tribus ſuperioribus planetis; Lineas aliquam continuitatem habentes, ſed ſimul interruptas nimios exceſſus demonſtrare, inſolita infortunia, vitam laborioſam, graues morbos,& incoſtantiam,præſertim ſi ſint duæ vel plures; quod ſi lineæ ſint paruæ, & diſruptæ, naturam debilem, exiguam vitam, & mortem à veneno, aut peſte ſignificare; Lineas capillares virtutis naturalis debilitatem, & peſſimæ indolis hominem ſignificare; Lineas ſicut ramos varia negotia indicare, hominem etiam vagabundum, proditorem, infidelem, inconſtantem in omnibus; Lineas rectas interciſsas vitæ varietatem, impedimenta damnoſa, mutationes magnas deſignare; & ſic de ſingulis alijs lineis,ex quibus Metopoſcopi omnia vitæ mala, vel bona prænunciant, licet ipſorum hominum, vel aliarum cauſarum arbitrio ſubſint; idq. præſertim nos ſuadere debet, vt ineptas omnino eiuſmodi prædictiones cenſeamus, omnemque fidem eiſdem auferamus. 102

Eodem planè modo ridendas, atque damnandas facimus prędictiones omnes, quæ à Metopoſcopis feruntur ex næuis, qui conſtituuntur in fronte vniuſcuiuſque ſecundum ſigna Zodiaci; nulla enim ratio ſanæ,aut veræ prædictionis excogitari poteſt, vbi nulla eſt connexio euentus,qui prædicitur cum ſigno prędictionis, ac propterea nunquam erunt accipiendæ illæ prædictiones, quibus conſtanter aſſeritur hominem,qui næuum habet in dextro Arietis loco felicem in bello futurum eſſe,bona extra patriam à nobilibus, & fæminis eſſe accepturum; mulierem vero eodem notatam næuo in matrimonio, ac liberis fore fortunatam, eiſeque ingenioſam; præſertim, cum hic næuus næuum ſimilem 103

Digitized by Google

lem indicet in dextra pectoris parte, qui vtrique ſexui proſperam fortunam in negotijs, vitam longam, & optimum finem prædicit; cuius prædictionis nugacitati ſimiles facimus omnes alias prædictiones eiuſmodi, nimirum, quod homo, qui in ſituatione dextra Tauri næuo inſignitur, bonam ſit habiturus fortunam in matrimonio, hæreditates poſseſsurus, bonaq. ſine labore aquiſiturus, cum relatione ad alterum næuum in hypochondrio dextro, qui eadem bona portendit. Quod homo, qui in loco dextro Geminorum notatur, amicitiam ſit cum Potentibus contracturus, lucrum cum extraneis facturus, bonam habiturus fortunam in mercaturis, magnas eſse captaturum dignitates, reſpondente hoc næuo alteri in ſcapula dextra, qui eandem etiam dabit fortunam viro, & mulieri. Quod homo habens næuum in dextra parte Cancri ex paupere diues ſit euaſurus, vitaque longa, ac felici potiturus, hoc nęuo alterum deſignante in inguine dextro, qui ſimilem fortunam prænunciat. Quod homo in dextra parte Leonis næuo ſignatus ſit à magnatibus diligendus, ingenium ſubtile, felicemque memoriam oſtentaturus, alienaque denique bona poſseſsurus, relato hoc næuo ad alium in parte dextra ventris, qui eadem prædicit. Quod homo nęuum obtinens in dextro Virginis loco ſit felix futurus in omnibus negotijs, honores poſseſsurus, vitam lõgam, ac quietam acturus, hoc nęuo alium denotante ſub mamilla dextra, qui vtriq. ſexui ſimilem pręnunciat fortunam, & ſic de cęteris nęuis, ſignis cęteris Zodiaci reſpondentibus qui plures, & plures non tam in fronte, quam in toto vultu conſtituuntur, quibus omnibus faciunt Metopoſcopi ſuos reſpondentes euentus; non enim noſtri inſtituti eſt hic ſingulos enumerare, cum id potius ſpectet ad Metopoſcopos fusè de his omnibus agentes; eòque tantum noſtrum hoc loco collimauit intentum, vt ex ineptijs quarumdam prædictionum, cęterę omnes tales eſſe deprehenderentur ne vnquam illis fidem adhiberemus.

Non inficiamur tamen ex fronte poſſe Metopoſcopos aliquas coniecturas
104 ſumere, quibus poſſint homines abſque criminis nota aliquam præſtare fidem; dicitur enim frons in homine animi ianua, eamq. ſic vocat Tullius ſcribens ad Q. Fratrem, & ſolent homines verſipelles, & ſimulati ingenij vocari bifrontis, vt olim celeberrimus latro Mercurius bifons dicebatur; ex quo etiam frons apud Veteres Genio ſacra facta eſt, vt potè pudoris ſedes; vnde & impudentes dicuntur perfricuiſſe frontem, ideſt, quaſi manu pudorem omnem à fronte abſterſiſſe iuxta illud Martialis lib. 11.

—— perfricuit frontem, poſuitque pudorem.

Cum autem frons ſit illa pars corporis, quæ capillorum radicibus, ſupercilijs, & vtrimque temporibus continetur, ad ſumendas ex ea coniecturas, quãtitatem, figuram, & alia quædam accidentia conſiderare oportet, quæ poſuit natura tanquam multarum rerum indicia, quæ dicuntur ex ipſa natura, ſuadente id ratione, prouenire; ac propterea bene ex parua, & anguſta fronte cum Polemone, & Adamantio imperitiam quamdam, & ſtoliditatem in homine coniectamus, cum hoc ſignum indicet ventriculos cerebri eſſe paruos, vnde ſpiritus nimis

mis conſtringuntur, & incaleſcunt; quemadmodum etiam eodem ſigno oſtenditur anteriorem partem cerebri eſſe valde phlegmaticam, vnde ſpiritus nimio phlegmate debilitantur. Sic contra benè coniectamus ex fronte longa, ac valde ad aures protenſa ingenij præſtantiam, & imaginationis vigorem, qualis fuit in Platone, quem Heanthes author grauis ſcribit Platonem ita eſſe nominatum à fronte ampla, amplaque facie, atque hoc nomen prius illi à Diogene fuiſſe impoſitum; quamuis alij vulgatius velint fuiſſe ita nominatum à latis humeris; & quod hic dictum eſt de longa fronte etiam de lata intelligendum eſt, dummodo tamen ipſa frons non ſit impensè magna, quia ſic homines torpidos indicat, refertque illos ad boues, & ratio eſt, quia ſpiritus in vaſta fronte, & vaſto cerebro maximè dilabuntur, ſicque virtus minus vnita ſemper infirmior.

Etiam aliquam fidem facimus coniecturis, quæ ſumuntur ex frontis figura, 105
& reliquis promiſcuis accidentibus, quæ frontem afficiunt; in his enim omnibus aliqua ratio credibilitatis inueniri poteſt, vt conſtat ex coniectura, quæ ſumitur ex fronte rotunda, & ſphærica, quam qui obtinent, iracundi exiſtimantur, docent namque Ariſtoteles, & Galenus in fronte rotunda ſpiritus facilè reuerberari, & inflammari in anterioribus capitis ſinibus, vnde ſequitur inflammatio ſanguinis, & cerebri, atque adeo cordis, cum nihil aliud ſit ira, quam ſanguinis accenſio circa cor; & licet Diuus Thomas Aquinas rotundam habuerit frontem, non tamen fuit iracũdus, quia magnitudo capitis rotunditatis vitium in eius fronte emendabat; ſed fortaſſe erit meliùs dictum Doctorem Angelicum ſumma virtute innatos furores compreſſiſſe. Eiuſmodi igitur ſignis, & coniecturis ratione aliqua naturali innitentibus fidem poſſe adhiberi decernimus, licet etiam hæc ſigna ex plurium accidentium commixtione ſæpe fiant incerta, & fallaciſſima.

DISSERTATIO XXI.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex Chiromantia.

106 CHIROMANTICIS prædictionibus, quæ phyſicæ vocantur, quæ nimirum ex manus aſperitate, læuitate, longitudine, breuitate, craſſitie, tenuitate, ex linearum poſitu, ductibus, permixtionibus, inciſuris, luciditate, obſcuritate, integritate, internam corporis conſtitutionem, temperiem, compaginem, ac fabricam coniectant, fidem noſtram non inhibemus; ſi quidem hac omni æuo vſos eſſe ſapientiſſimos viros, Ariſtotelem præſertim, Galenum, Auerroem, Auicennam, Albertum, alioſque plures, iam ſatis notum eſt; atque eas omninò licitas eſſe, ac rationi conſentaneas, cum nihil præter id, quod merè naturale eſt, tentent, plura oſtendunt exempla etiam in ſacris literis, in quibus de Eſau præſertim dictum eſt, quod manus habuerit hiſpidas, & piloſas, quæ ſanè feritatem eius animi indicabant. Aſtrologicæ tantum Chiromantiæ, quæ virorum perditorum vitio, multa ſuperſtitioſarum ſordium eluuie, & impiorum vaticiniorum aſpergine commaculatur, omnem fidem adimendam eſſe hoc loco ſtatuimus; eò namque dementiæ progreſſos intuemur huius facultatis profeſſores, vt lineis manus certos Planetas affigentes, ex eorum obſeruatione profiteantur ſe poſſe infortunia, ægritudines, prolem, proliſque numerum, & ſexum, fratrum, ſororum, vxorum, virorumque multitudinem, ſtatus Eccleſiaſticos, militares, iacturas rei familiaris, peregrinationes, itinera, vulnera, afflictiones, beneuolentiam apud Magnates, mortis genus, quodcunque illud ſit, inceſtus, homicidia, captiuitates, vno verbo, omnia, quæ homini euentura ſunt vnquam prænunciare poſſe, omneſque futuros euentus ſua cognoſcere profiteantur; cum tamen ars eiuſmodi Chiromantica nihil aliud ſit, quam ſuperſtitioſorum hominum commentum, quo emungendæ pecuniæ gratia decipiunt imperitos, vt ex dicendis patebit.

Multi-

Multiplici itaque ratione, ac fundamento Prædictionibus Chiromanticis, quæ purè Aſtrologicæ ſint, fidem eſſe derogandam affirmamus; nam præterquamquod ſic iubent Sacrorum Conciliorum, Sanctorum Patrum, Sapiorum Philoſophorum,& Theologorum oracula, prædictiones eiuſmodi ſemper improbantia, id etiam ſuadent omnium Sapientiorum argumenta, eò collimantia vt hanc fidem penitus euertant; licet enim fateantur lineas in manibus non omnino fortuito poſitas eſſe,cum longa Phyſicorum obſeruatione,quam probat Ariſtoteles ipſe,animaduerſum ſit lineas in plures ductus cōfractas,decurtatas,inciſas,aliarum linearum interuentu diuiſas, exiles, velut in ſurculos, & ramulos diſcerptas imbecillitatem corporis præ ſe ferre, atque ex conſequenti vitæ breuitatem; quemadmodum contra integras, & eminentes robuſtum corpus, firmum, ac benè compactum indicare; eo quod natura formationem corporis perfecti intendens, ad hoc etiam lineatum perfectionem, & integritatem diſponit,certas lineas cōgruentes reddens certis, ac Principibus in corpore membris,de quorū conſtitutione,temperie,virtute,affectionibus,robore, & imbecillitate in ijs nō leuia argumenta promūt,cerebri,cordis,& epatis pręſertim;tamen cum eiuſmodi lineæ varia pro temporū varietate ſubeant in manibus diſcrimina, aiunt, nō poſſe de futuris euentibus aliquid certò pręnūciare; experimento ſi quidē intuemur in tenellis infantum manibus rugarū copia, vel penitus aboleri, vel ſaltē parum apparere, ætate vigente eaſdē eminere, ingraueſcente attenuari, ſæpè etiam vel à ſiccitate, vel à cute denſa, vel à compage membrorum laxata extritas omninò euaneſcere, aboleri, ac ſenſum fugere.

Præterea harum prædictionū incertitudo ſatis etiam ex eo innoteſcit, quod alij digitos eorumq. monticulos, variorum Planetarum dominationi ſubijciētes, pollicem Saturno, Indicem Ioui, Medium Marti, Medicum Soli, Auricularē Veneri, Triangulum Mercurio, percuſſionem Lunæ ſubiectant; Alij verò Pollicem Veneri, Indicem Ioui, Medium Saturno, Medicum Soli, Auricularē Mercurio, Triangulum Marti, percuſſionem Lunæ; quæ diuerſitas in diſtribuendis Planetarum cōfinijs, ac dominationibus ſummam etiam opinionum inter Chiromantes incertitudinem parit, omnemq. ipſis eripit fidem; non enim ſatis deprehendi poteſt, quomodo finibus tam anguſtis cōtineantur Planetæ, qui terram magnitudine ſuperant? quomodo ſuis finibus quiq. contēti in alios fines, proximoſq. non inuolent digitos, ac nō valdè diſſitos monteſ? Quomodo pollici, qui aiijs digitis præpollet, potius non dominetur Sol ſiderum præſtantiſſimus? potiùs non Iupiter Planetarum beneficiētiſſimus? Deinde in ijs, qui cum ſex digitis enaſcuntur, non eſſet facilè inuenire ad cuius Planetę imperiū ſextus digitus pertineret; niſi fortaſſis Saturnus falce, Mercurius tecnis, Mars armis, Sol ſpiculis, Iupiter ſceptro, Luna pharetra ſua, Venus ſeminctio ſuo inter ſe contendentes, vnuſquiſque tanquam ſuum ſibi vindicaret. 108

Addendum, quod literæ illæ, ſeù characteres, quibus ad diuinandum vtuntur Chiromantes, velut futura portendentibus, omninò ineptè, ac ſine ratione vſurpantur; cum dicant nonnullas ex illis literis, ſi in prima manus iun- 109

ctura inueniantur, adulterium, & in adoleſcentia diuitias; ſi in ſecunda iunctura, ægritudinem, & immenſas malorum grandines, & in virili ætate paupertatem præſagire; ſic literam A poſitam in loco Iouis diuitiarum abundantiam, in loco Martis iracundiam, in loco Solis fortitudinem, in loco Veneris infidelitatem, in loco Lunæ dilapidationem bonorum portendere. In linea vitæ, vel capitis ſi vnum O, vel duo reperiantur, vnius, vel duorum oculorum amiſſionem ſignificare; quod in ſe ipſo expertum ſe eſſe teſtatur Ioannes Indagine Chiromantiæ profeſſor, homo Lutheranus, qui quoties hanc in manu ſua figuram videbat, recordabatur quomodo in maximum oculorum diſcrimen deueniſſet, cum ad ignem hyeme ſedẽs procidit, ac ſiniſtro oculo in flammam conuolutus eſt; cum tamen id potiùs adſcribere debuiſſet grauitati, ac craſſitiei corporis, quam ſiderum influxui, figuræque à Planeta impreſſæ. Quæ omnia cum ſint libera deprauatæ mentis inuenta nulla fide digna cenſenda ſunt; præſertim cum ſæpe per iſtos Chiromantes eadem litera diuitias, & paupertatem portendat, eadem fauſta ſimul & infauſta, ſi modo vel tantillum ſede ſua demigrauerit, quaſi calculis luſerit ipſa natura, qui pro vario ordine, varij valoris ſint.

110 Fatentur inſuper harum prædictionum incertitudinem varia, quæ ex diuerſis lineis ſumuntur vaticinia, nulla cohærẽte ratione prolata; nam ſi linea menſalis, quam volunt eſſe omnium euentuum, ſiue proſperorum, ſiue aduerſorum indicem certiſſimam, vnde etiam fortunæ, & proſperitatis lineam vocant, habuerit ramuſculos tendentes ad locum digiti Iouis, honores dicunt promittere, exaltationem, ac magnarum diuitiarum poſſeſsionem; ſi verò cruce fuerit notata, crucem, & ſuſpendium; ſi habuerit inciſiones à pauperibus, & potentibus inimicitias, atque infeſtationes futuras; ſi in percuſſione fuerit delicata, & in aſcenſu groſſa, futuram omnium inimicorum victoriam demonſtrare. Si in linea vitæ ſuperior pars fuerit diffuſior, Aquam, ſi reſtrictior, mortem ignis denotare. Ramos in hac eadem linea ſi reſpiciant verſus reſtrictam, hominem extra patriam moriturum ſignificare. Lineam Solarem exeuntem à concauo verſus annularem ſignificare magnum fauorem apud Principes, Prælatos, alioſq. potentiſſimos homines; & eò magis, quo magis extenditur in triangulo versùs angulum dextrum; ſi tamen à naturali verſus annularem aſcendat, effectum minuere; & ſi reperiatur inter naturalem, & menſalem, ſignare amicitiam ſine lucro, & fauore; quæ omnes coniecturæ etiam vaniſſimæ ſunt, vt potè nulla innitentes ratione; ac propterea nemo, niſi qui planè mente deſtitutus fuerit, poterit his fidem adhibere.

111 Denique omnem à prædictionibus Chiromanticis fidem auertit commentum illud, quo ſtatuitur, cuique mortalium vnum præſertim dominari Planetam, cuius arbitrio ipſe arbiter homo regatur in agendis ex quadam genij, & naturæ inter vtrumque conformitate; cuius dominationis indicium ex eo petunt Chiromantes; quod qui in manu locus ei reſpondet Planetæ, pluribus, & concinnioribus literis, lineiſque notatus ſit; adeout Saturnius ille dicatur, qui

digitum

digitum Saturno reſpondentem concinnis linearum anfractibus, literarumque figuris condecoratum ſupra omnes alios habuerit. Adduntque digitos habentes Saturnios eſſe graues, frigidos, melancholicos, ſibimet placentes, peregrinationis amantes, cum hæc ſemper fuerit indoles Saturni; quemadmodum Iouiales aiunt eſse fortunatos, ſanguineos, audaces in periculis, miſericordes, diligendos ab extrancis, veraces, ſagaces, filios denique feliciter procreaturos; talem namq. fuiſse Iouem vetera monumenta teſtantur: Solares verò eſse diuites, ſuperbos, elatos, victores futuros omnium omnino hoſtium, quemadmodum Sol omnia ſemper ſuperat nubium obſtacula. Lunares acutos, ſplẽdidos, pigros, multis obnoxios viciſſitudinibus, quemadmodum Luna ſempet in mutatione verſatur. Venereos fraudolentos, fortunatos, libidinoſos, prodigos. Mercuriales fraudolentos, geometricos, augures, fures, ſcientificos, rerum arcanarum inueſtigatores. Martios macros, impios, ductores exercitus, vt Martem imitatione referãt, & ſic de cæteris, quæ omnia ſunt nugæ nugarum, & ſomnia ſomniorum omnino à Sapiẽtioribus deridenda, quæ etiam merito vocantur vana præſtigiatorum deliramenta, quibus torquetur non ſolum qui diuinatricem hanc manuum inſpectionem profitetur, ſed ille quoque qui

--- ſorteſque ducet, frontemque manumque
Præbebit vati.

Ac propterea huic inſanæ Chiromantum nationi nullam eſſe adhibendam fidem concludimus, cũ ita perditè de manibus argutantes nil aliud agant, quam ex tot interſectæ manus veluti proſciſſę telluris ſulcis mendacia in meſſem colligere, ſponſionibus ſemper diuites, ſed euentibus mendici.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO XXII.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex Meteorologia.

112 EO inſtitutam conſilio de meteorologicis prædictionibus hãc volumus diſſertationem, vt quænam ſint Meteora ſignificantia, ac præſagientia ventura, quænam verò haudquaquam ſignificantia diſcernamus, atque ex hoc quibus ſit nam diuinationibus Meteorologorum fides adhibenda abſque errore conſtituamus; plura namque Meteora in aeris regione formari contuemur, quæ natura nihil omnino præmonſtrant, ſi menſuram quantitate, vel tempore non excedant: quapropter tanquam commenticiæ omnino accipiendæ ſunt illę tonitruis affictæ ſignificationes ab Ethnicis, quibus credebant calamitatis aliquid imminentis à Dijs eo fragore pręnunciari, quibus deterrerentur, aut monerentur homines agentes praua, ſeque criminibus, ac noxis implicantes; ſunt namq. tonitrua de illorum Meteororum genere, quæ nihil aliud omnino perhibent, quam quoſdam de ſuis cauſis effectus, vt ſunt etiam pluuiæ, niues, rores, pruinæ, & id genus alia ad ordinaros naturæ effectus inſtituta: Idcirco nomine Meteororũ ſignificantium, ac præſagientiũ hoc loco tantũ veniunt, quæ ex inſuetis cæli cõſtitutionibus, & inopinatis aeris, ac tempeſtatum mutationibus, ex mirandis ventorum pluuiarum, cometarum excitationibus Regnis, Principibus, ac Rebuſpub. clades, calamitates, bella, ſeditiones, conſpirationes, hoſtium irruptiones, mortes, exitia, earumq. rerum omnium defectus, quæ vitæ vſibus, ac neceſſitati feruiunt, denunciare ſolent. Atq. cum Meteorum ſignificantium alia dicantur pura ſigna, alia ſigna ſimul & cauſæ non eo modo de vtriſq. Meteorologi prædictiones ferunt, non enim eadem in vtriſque ratio prorſus eſt; hacque de cauſa neq. æqua fides illis adhibenda erit.

113 Meteoris, quæ ſigna ſunt ſimul & euẽtuum cauſæ fidei aliquid impendi poſſe non omnino abnuimus, idq. ea præſertim ratione, quod experimento conſtet

ſtet per multas ex ijs mutationes oboriri, quæ euentus ad eas ſubſequentes, vt plurimum annuunt, ac portendunt; potiora verò Meteora, quæ ſunt ſigna, & cauſæ mutationum ſunt Venti, Halones, Irides, exhalationes ignitæ, ac præſertim Cometæ; ex ventis prædici ſolent tempeſtates, aeris ſerenitates, & purgationes, & plura alia Philoſophis non ſolum, ſed etiam Agricolis, & Medicis nota; prçſertim vero de Borea, & Aquilone ea vulgò pronunciantur

Protinus vrget hyems Boream ſi prouocet Auſter
Offendente lutum Borea mox terra gelaſcit
Tertia lux nunquam nocturno Aquilone laborat.

Halonum verò, Iridum, traiectionum, & Cometarum Phyſicos euentus exponunt Ptolemæus in ſecundæ quadripartitæ conſtructionis, Aratus, Plinius, & alij quamplures, ſigna ſimul & cauſas in Meteoris adnotantes. Præterea etiam illa meteora, quæ ex ſua natura dicuntur ſigna non ſignificantia, ſæpe ſæpius ne dum ſiunt ſignificantia, ſed quoſdam effectus producentia; ipſiſque propterea vtuntur plerumque Meteorologi tanquam inſtrumentis ad diuinandum, præſertim experimentis innixi, vt ſunt meteora illa, quæ præter naturam, præterque vſitatum, & conſuetum morem, aut vehementiùs ingruant, vrgeantque, aut inſolito tempore compareant; cuiuſmodi ſunt hyberno tempore ſæpiùs excuſsa fulmina, innundantes, atq. inſtar vorticum ruentes aquæ pluuiæ; turgeſcentia flumina, violentiùs concutientes ventorum impetus, ac turbines, magnæ terræ concuſſiones, tum verò vel maximè Cometarum ardores, ex quibus ſemper aliquid portentoſum obſeruatum eſt; nec enim effuſas vmquam impunè aquas, aut fruſtra ventos inſolentiore tumultu increpitaſſe, ſuis nullæ non gentes experimentis, moxque inſecutis cladibus didicerunt; & etiam noſtra recentiſſima memoria id ſatis conſtat; cum ea, quæ vſitatam, ac tritam naturæ vim excedunt ſint ſemper ad monendos, ſeù conterrendos hominum animos ab ipſo Deo naturæ conditore inſtituta; quod omni æuo deprehenſum eſt non ſolum in exorbitantibus à more naturæ aquarum copijs, in validiſſimis ventorum turbinibus, in horrendis concuſſæ terræ tremoribus, in Cometis, & id genus alijs; verum etiam in alijs ſignis, quæ præter vſum ſolent in Cælo apparere, vt ſunt Solis, Lunæ, & Stellarum colores varij, qui habentur velut indices occultorum conſiliorum aliquam orbi perniciem molientium; vt ſunt etiam Soles multiplices apparentes, ex quibus tamen non tam mala, quam bona ominari ſolemus.

Atque in hoc ordine recenſentur à pleriſque comata illa ſidera rarò apparentia, & conſpectu admirabilia, quæ vulgari nomine dicuntur Cometæ, ſiue diuinitùs in aere incendantur ad denunciandas clades, ſiue ex coaceruata exhalationum materia naturaliter coaleſcant; ex eiuſmodi namque potiſſimum apparitionibus ſolent Meteorologi ſuas prædictiones ferre, quæ tamen vt plurimum fallaces ſunt, cum certos ex ijs arguant, ac denuncient infauſtos euentus, licet ſæpe etiam fauſtiſſimi, ac propitij ex ijſdem oriantur, quod Scriptores plures varijs demonſtrant exemplis. Hacque de cauſa non ita 114

certa

certa de rerum euentibus Cometis eſt adhibenda fides, quamuis pro certo haberi poſſit Cometas, ſiue diuinitùs accendantur, ſiue ex aridis, compactiſque in aere halitibus eorum flammæ in aere conſtituantur, ſemper aliquid portendere, quod tamen non ſit ſemper malum, vt docet Ioachimus; licet vt plurimum in genere malorum mortes, exitia, maris æſtus, & procellas, terræ motus, aeris infectiones, bella, ſeditiones, & id genus alia denuncient. Cæterùm ſi quæ fides prædictionibus, quæ feruntur ex meteoris Cometarum, adhibenda eſt, eam maximè referendam cenſeo ad res communes, & publicas; ſicut enim inſignes Planetarum coitus ſolent Regnis, & Rebuſpublicis felicia ſpondere, ita infeſti Cometarum abortus nonniſi ſeditiones, tumultus, bella, præſidentium, vel regnantum interitus, & quicquid eiuſmodi eſt, obminitari ferè ſemper conſueuere, obſeruata locorum, in quibus occurrunt, conditione, atque diſpoſitione; Id namque cum obſeruaſſent primi Cometarum coniectores, facilè eorum ſignificata perceperunt, qui præter ſplendorem, colorem, & Cometarum durationem multum etiam referre arbitrati ſunt, illius Cæli partis conſiderationem, in qua emicant Cometæ, ſub quo octaui orbis ſidere, an propè commiſſuras abſidum, quas caudam, & caput Draconis vocant; vel procul ab his; & quorum ſiderum tamquam dominatorum imperio ſubiaceant, in quas abeant partes, quàque crines explicent, aut iubam inclinent; quo colore ſplendeant, ſanguineonè, vel rutilo, pallido, aut lucido, vel liuido, ac cinericio; denique an diù conſpiciendos ſe præbeant, vel modico tempore, & ſic de reliquis ad Cometarum apparitiones ſpectantibus: his enim omnibus conſideratis ſi hiſtoriæ recentes, & antiquæ euoluantur, incendia Cometarum nunquam ſine terrore ingenti illuxiſse, nunquam ſine calamitatibus deflagraſſe apparebit.

115 Sic eo tempore, quo Græciam Xerſes decies centum millibus hominum intrauit, Cometes fulſit cornu figura; qui & ipſi cladem, quam ad Salaminem accepit conſilio Themiſtoclis, ac turpem fugam, & internecionem reliquo exercitui, quem Mardonio commendarat, ad Plateas portendit. Sic ante initium belli Peloponneſiaci ingens Cometes poſt Solis occaſum inituit, & continuos ſeptuaginta quinque dies arſit: mox tanta ventorum coorta vis, vt fragmen à monte auulſum in ſublime abripuerit, quod vbi ad vrbem Thraciæ ad Ægoſpotamos decidiſſet, è cælo præcipitatum fuiſſe creditum eſt. Non ita multò poſt bellum Peloponneſiacum exarſit, quod totos viginti octo durauit annos, & toti Græciæ exitiale fuit; atque in fine belli ad illum Thraciæ locum Athenienſes nauali prælio victi à Lacedæmonijs Lyſandro duce cum claſse imperium Græciæ amiſerunt. Sic ante cladem eorundem Athenienſium in Sicilia, quæ accidit Olympiade nonageſima ſecunda, Euclea Athenis Prætore Cometa in Septentrionali parte Cæli, Sole circa hybernas verſante conuerſiones viſus eſt. Ariſtæo quoque Athenis Prætore anno quarto Olympiadis viceſimæ primæ ingens Cometes hyeme Cælo ſereno, & frigore intenſiſſimo veſpere ab occaſu Solis conſpectus eſt, cuius ſplendor tertiam

Cæli

Cæli partem occupauit, ab occaſu Æquinoctiali verſus Auſtrum proceſſit, &
cum ad cingulum Orionis perueniſſet, extinctus eſt; iſque diluuium quod-
dam & terræmotum, quibus præcipuæ Achaiæ vrbes corruerunt, prænun-
ciauit. Itidem Lycomacho Athenis Prætore anno quarto Olympiadis cen-
teſimæ nonæ Cometa viſus eſt iuxta curriculum Æquinoctialis, quem ſtatim
ſequutus eſt ventus horribilis propè Corynthum, & paulo poſt Athenienſes
Demoſthenis ſuaſione cum Philippo Macedone congreſſi ad Chæroneam cę-
ſi ſunt amiſſis duobus millibus ciuium, deſijtque cum hac clàde Græcorum
potentia, & libertas. Anno vrbis ſexcenteſimo ſeptimo arſit Cometes totos
triginta duos dies, & Carthago mox à Scipione capta, & diruta eſt. Ante bel-
lum ciuile Cæſaris, & Pompei aliquot conſpectos Cometas Plinius author eſt,
idque confirmat Lucanus ijs carminibus

Ignota obſcuræ viderunt ſidera noctes
Ardentemque polum flammis, Cæloque volantes
Obliquas per inane faces, crinemque timendi
Sideris, & terris minitantem bella Cometen.

Vel vt alij canunt, mutantem regna Cometen. Omni denique æuo conſpe-
cti ſunt Cometæ ſemper mala quædam publica, & communia portendentes,
neque ad id vlteriùs conteſtandum fas èſt omnia tempora recenſere; quod
etiam dicendum eſt de ardentibus facibus, quæ in cælo viſæ ſunt ad tempus
nunquam innoxiè, vel citrà aliquam cladem accenſæ.

Ex his igitur, alijſque ſimilibus Meteororum ſignis pleriſque obſeruatio- 117
nibus, atque experimentis probatis licet fas ſit quandoque prædictiones fer-
re, ijſque etiam aliquam præbere fidem, cum vel ab ipſa natura phyſicè ad
ſuos patrandos effectus adhibeantur, vel à Deo euentus futuros per talia ſigna
prænunciante, non licet tamen ijs quoquo modo ad res ſingulares, atque ad
certos euentus ab humano præſertim arbitrio pendentes vti, cum diuinatio-
nes ejuſmodi ſumma ſemper incertitudine laborent; idque conſtet maximè
de Cometis, quos aliqui volunt diuinitùs tantum fabricari ad magnarum re-
rum euentus denotandos; Alij verò euentus in materiam Cometarum refe-
rentes, ideò à Cometis furores, & tumultus exſuſcitari volunt quod vehemen-
tia incēdij ita hominum humores torreant, adurant, acuant, ac cumulent, vt ex
ijs nimiùm efferueſcentibus facilè ad malum incandeſcant animi; quæ omnia
adhuc varijs agitata ſententijs non niſi incertitudinem præſeferunt. Neq. ad
ſtatuendam in eiuſmodi pr̨edictionibus certitudinē ſatis eſt eas in genere phy-
ſico collocare, in quo ex comprehēſione cauſarum, & ſignorum poſſunt facile
effectus, & ſignificata pr̨emonſtrari; etenim cum non appareat euidens effectū
cum cauſis, ſignificatorū cum ſignis connexio, neq. poſſumus euidenter, aut cū
certitudine de ijs ratiocinari; Sic licet tanquā certum prænūcietur à Meteoro-
logis Solē purū orientem, & non feruētem ſerenū diem nunciare, pallidū verò
hybernā grādinem, cū tamen id non ſemper eueniat, ſūma certitudine vacat;
quod etiā affirmandū eſt de reliquis qųę ſolēt Meteorologi pronūciare nimirū,

nubes ante exorientem Solem rubeſcentes, ventos deſignare, eaſdem nigris permixtas, pluuias; rubeſcentes circa Solem occidentem ſerenitatem futuræ diei, & ſic de reliquis.

117 Addo diuinationes, quæ feruntur ex meteoris Cometarum eo maximè incertas eſſe; quod certò adhuc non conſtet, qua materia, aut quo loco efformentur; nam noua illa Stella, quæ in ſpeciem Cometæ noſtro ſæculo viſa eſt anno à Chriſto nato 1572. in Caſſiopeæ ſidere ad ſeptimam tauri partem, reſpectu verò polorum mundi in Ariete omnis motus proprij expers, & ſequenti anno ſeptuageſimo tertio paulatim attenuata corpore, & lumine decreuit, donec euanuit: Cometes itidem qui deinceps ſub finem ſeptimi, & ſeptuageſimi anni arſit, circumque Solem volutatus; cauda in partē non Soli directè, ſed Veneris Stellæ aduerſam, motu initio celeriore partium quinque, & lumine ſenſim deficiente à Nona Nouembris anni ſeptuageſimi ſeptimi, vſque ad viceſimam ſextam Ianuarij anni ſequentis in Pegaſi Aſteriſmo expirauit, non immeritò viris doctis,& eruditis totam Peripateticorum doctrinam de Cometarum ortu, materia, ſitu, & qualitatibus adduxerunt in dubium, cum obſeruationibus Parallaxeon deprehenſa ſint,non in Elemētari infra Lunam, ſed ſtella illa in Æthereo ſummo, & Cometes in eodem tractu, ſed poſitu humiliore, qua venus circa Solem vertitur; cum tamen certum ſit elementares motus, & mutationes in regionem Æthercam inuehi non poſſe; fuit namque Epicuri deliramentum quaſdam igneas ſtellas fingere in Æthere, quæ pabulo habituum elementarium indigeant vt reficiantur, ac foueantur. Neque in hac ſola parte de Cometis laborat, & hæret philoſophia Peripatetica, ſed etiam in multis alijs meteoris, vt in ventorum, fulminum, grandinum, niuium, terræmotuum, æſtuum marinorum,tempeſtatum,& ſimilium deſcriptionibus, quorum ſi quis exiſtimat rationes perueſtigatas ſatis, & explicatas, meo iudicio multum errat.

118 Sic etiam licet plerique Meteorologorum ex eo certas reputent Cometarum infauſtas præſignificationes, quod fuerint quampluribus experimentis probatæ, repentinas in Cælo faces veluti infauſtas, ac lethales ſuſpicientes; Alij tamen in Cometis nihil mali, nihil portentoſi inuenere, ſed potius omnia crinita ſidera fauſtiſſima, ac ſalutaria fecere, id primo accipientes à Troianorum temporibus, quorum reliquiæ cum patria iam incenſa ex ijs cineribus ad lucem Italiæ meditarentur, dum caperent de diſceſſu conſilium

------ de Cælo lapſa per vmbras
Stella facem ducens multa cum luce cucurrit.

Ex qua pater Anchiſes felix fauſtumq. omen accepit eamq. feliciſſimum præſagium ſibi atque nepotibus ſalutauit; Id quoque nec diſſimili argumento accipientes à Romanis præſertim à Seruio Tullio plebeio adhuc puero, cuius cū regia Priſci Tarquinij vxor repentinis è cęlo facibus vidiſſet ardere frontē, ſplendido illo admonitu cōdocefacta pronunciauit, Seruiū Tullium quāquam ſerua natum, creſcere tamen ad regiū cum ætate faſtigium; Id deniq. ab alijs innu-

innumeris fauſtiſſimis euentibus captantes, quibus Cometæ præfulſere, non tanquam faces minitabundæ, ſed tanquam flammæ prorſus ſalutares, ac propitiæ. Cum itaque hæc omnia de meteoris, ac præſertim de Cometis adhuc in opinione verſentur, hinc fit neque de meteoris vniuersè, neque ſpeciatim de Cometis poſſe certas prædictiones efformari, quibus omnino adhibeatur fides.

DISSERTATIO XXIII.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex Pyromantia.

119 CONSVEVERE Pyromantes ſuas prædictiones ferre; non ex incendijs quodam naturæ ductu, & ordine erumpentibus, ſed ex illis flammarum, vel cinerum voluminibus, quæ inſano ſimul atq. inſueto quodam impetu hinc inde ad perniciem iactata, ipſius naturæ fines prętergrediuntur; ſemper namq. ipſis viſum eſt eiuſmodi incendia à ſubterraneis ſpecubus rursùm vi quadam præter ordinem naturæ raptata aliquid calamitatis portendere; licet enim poſſint ſubterranea incendia etiam caſu excitari, quemadmodum contigit in illis fodinis, quæ ſub Monfeſtino oppido olím apertæ ſunt, quibus cum lumina à lapidicis fuiſſent imprudenter admota, ſuccenſa repente materia alios flamma prorſus abſumpſit, alios miſeris modis affecit; licet quibuſdam in locis carbones eruantur è venis, qui cum ferro feriuntur, ſtatim exardeſcunt, ac niſi opprimerentur, atque obruerentur, bituminis fomite paſtus ignis adoleſceret in incendium; Licet in eo Colle, qui Villa magna dicitur locus ſit Gagate abundans, lapide bituminoſo, qui ſi à paſtoribus ſuccendatur, fit ignis, qui nulla vi aut arte extingui poteſt; licet denique alijs eiuſmodi modis ſæpe excitentur incendia in ſubterraneis locis, ijs tamen non innituntur Pyromantes, cum de incendijs ſuas prædictiones ferunt, nam eiuſmodi, licet fortaſſe diuinitùs ad aliquem finem excitentur, cum tamen neque à natura ad oſtendendam ſui ordinis pulchritudinem prouocentur, neque ex illis aliquid magni ſequi ſoleat, non præbent idoneam prædicendi rationem.

120 His itaque omiſſis, quæ aut caſu tantum, aut ſola hominum voluntate excitantur, de alijs tantum, quæ ſemper admiranda tulerunt, nobis hic ſermo inſtituendus eſt; vt dignoſcamus, neque ex ipſis Pyromantas ſuas ſemper prædictiones benè inſtituiſse; Quamuis enim admittamus ea omnia, quæ infra Lunam ſunt arcano quodam nexu cum cæleſtibus naturam contexuiſſe, quod

aurea illa apud Homerum catena indicat, ac de Sole potiſſimum interpretatur Plato, non propterea tamen admittendæ ſunt Pyromantarum doctrinæ, quibus omnes eiuſmodi incendiorum cauſas referunt in aſtra, ex quibus poſtea, quæ euentura ſunt, putant ſe certò coniectare; putant enim hæc incendia non aliunde excitari, quam ex octaui orbis aberratione, dum extra orbitam ab Oriente in Occidentem, iteratòque ab Occidente in Orientem accedit, recedirque ſupra verticem Arietis, atque Libræ duobus paruis circulis deſcriptis; cum enim motu acceſſus, & receſſus ad eius circuli parui Cardines peruenitur, ſi Cardo aſpiciatur à ſideribus imbriferis, cuiuſmodi ſunt Hyades, Orion, Hædi, Scorpio, aiunt Eluuiones effici; ſi à ſidereo afflatu igneo, conflagrationes, atque incendia; modò abundè ſuppetat igni cognata materies, hoc eſt, magna vis bituminis, & ſulphuris; Alijs verò in locis, quibus horum vis minor ineſt exæſtuationes tantum fieri: In qua re videntur Pyromantes cum Platone conſentire, qui ait, ea quæ de Phætonte Solis filio dicuntur non eſse extrà omnem prorſus hiſtoriæ fidem, cum dicitur aſcendiſse currum Solis ardentem, aberraſse cum equis Aurigam, excitatum inde orbis incendium; facta namque cæleſtium orbium aberratione, docent neceſse eſse conſequi conflagrationem. Quò etiam illud pertinere docent de quadripartito Aſtrorum conſenſu, quorum alterum igniferum exuſtiones, atque incendia gignat; Imbriferum alterum, quod eluuiones; tertium motiferum, quod agitatione telluris ædificiorum ſubſtructiones, vrbeſque integras demoliatur; vltimum portentificum, quod Cometas, & alias in aere formas prodigioſas accendat; quorum aſtrorum directiones, ac profectiones, cum ad loca definita peruenerint, tunc, aiunt, miras in orbe terrarum conuerſiones rerum fieri; ac propterea relatis in aſtra eiuſmodi incendiorum cauſis, facili negotio ex ipſis, quæ conſecutura ſint, poſse prædici.

At hæc omnia, cum omnino incerta ſint, non valent noſtram Pyromantibus adiudicare fidem; latet enim adhuc apud omnes, quænam ſint veræ incendiorum cauſæ effectrices, quinam fines, vel naturales, vel arcani; atque ex hac tanta rerum incertitudine putarunt nonnulli omnes incendiorum præternaturalium cauſas eſſe in malos Dæmones referendas, qui vetuſto, atque inſito quodam in homines odio perpetuò ardent, quibus nihil aliud eſt propoſitum, niſi communis omnium interitus, cum ipſis vſitatiſſimum ſit in mortalium ſtragem graſsari, præſertim ignibus, & incendijs; Sic etiam eſſe quammaximè incertos, occultos, atque ignotos incendiorum fines ex eo conſtat, quod multa, quæ in dies inſueta conſpiciuntur, non modo abdita ſunt in ipſius naturæ maieſtate, ſed etiam cortina diuinitatis obtecta vix patere poſſunt; & licet Deus æquè, ac natura nihil fruſtrà moliri dicantur, quò tamen ſua ipſorum molitione contendant, ferè omnis ignorat; nec tametſi Deus ſæpe excitet incendia ad deterrendos à ſcelere mortales, atque ad ſuam declarandam vim, ſupremamque poteſtatem omnibus indicendam; non proinde hic vnus cenſeri debet diuinæ illius mentis arcanę finis, cum alios innumeros ſibi obie- 121

ctare

ſtare queat, quæ noſtro nullatenus ſubeſſe poſſunt iudicio; habent ſiquidem incendia omnia, ſuas cauſas, ſuos fines; ſed quid ex ipſis intendat ſummus naturæ molitor, adhuc incompertum eſt; quo fit, vt licet cognitis cauſis, & cauſarum agentium finibus poſſint multa, quæ ſequuntur coniectari, non poſſint tamen omnia, latentibus ſemper ſupremi agentis collineationibus.

122 Ex ipſis denique præſenſionibus, ac prognoſticis, quæ ex inſolentibus incendijs ducuntur à Pyromantibus, eorundem fallaces coniecturę apertiùs deprehenduntur; cum enim ex eiuſmodi incendiorum facibus, ac lumine tetras malorum noctes mortalibus prænuncient, hoc ipſo, quod ſolas regnorum, ac Rerumpub. vaſtationes ex incendijs prædicant, in ſuis prædictionibus falluntur, nullaque fide digni habendi ſunt; cum nihil prorſus ſit, quod Pyromantes ex incendijs in orbis exitium vaticinando deriuent. Quod ſi ad quædam confugiant incendia, quibus ſemper funeſtæ malorum excitatæ ſunt tragędiæ; ad illud nempe, quo Mons Albanus profundum olim aperuit hiatum, flammarumque globos ingentes euoluit in Cælum, ex quo magna Romanorum clades per Cymbros, & Theutones ſuperatis Alpibus orta eſt: Ad illud etiam non minus calamitoſum, quod non multò poſt accidit, cum immani concuſſa motu tellus, ſoloque in mirandam altitudinem depreſſo torrentem effudit igneum, ex quo miſerrima eiuſdem gentis ſtrages conſecuta eſt, pænis eam inferentibus, & peſte quoq. graſſante: Ad illud cum in agro Caleno repente flamma exorta ſciſſo terræ hiatu, fruges omnes, & arbores vna cum ſtirpibus abſumpta ſunt; Ex quo Picentes Romanis noui hoſtes facti ſunt: Ad illa denique Veſuuij, atque Ætnei montis ſe transferant incendia, ex quibus tot mala, tot calamitates, & exitia ſemper orta ſunt; Multò tamen maiora ex eiuſmodi incendijs bona prædici, ac coniectari poterant, quam mala, cum ex ſcriptoribus habeamus longè frequentiùs felices rerum euentus incendia illa vel comitatos, vel ſubſecutos fuiſse; certè namque Gn. Cepione, & C. Lælio Coſs. cum Ætna immaniùs flamma ſæuiret, atque omnis Italia eam ob rem ſuſpicione, ac metu malorum teneretur, tunc annus pacatiſſimus fuit, victo ac profligato Viriaco potentiſſimo hoſte; Sic etiam cum ex agro Vulſienſi repente ignis erupent in incendium, flammarum globis in altum exturbatis, tunc à Romanis Thraces, ac Barbari in Macedonia ſubacti. Poſse alia multa numerando percenſere, quæ Pyromantæ ad ſua prognoſtica roboranda commemorant; Sed ad incendia Veſuuij, ex quibus aliquid ſemper mali prænunciant, properandum eſt; Conflagrauit quidem Veſuuius omni æuo, at non omni æuo mala tulit, aut comminatus eſt; Arſit ſub Aralio Ægypti Rege, ſed eo anno incidit Iacobi conceptus, & ortus ex Iſaaco, quo nihil humano generi auſpicatius; Arſit etiam ſub Tito Imperatore, ſed huius pietas in reficiẽdis ruinis admirationi fuit, quemadmodum in cæteris humano orbi procurandis bonis, ex quo meritò dictus eſt, Deliciæ humani generis; Poſt hæc Veſuuius alij multis arſit incendijs, pręſertim cum Ægyptum, Syriam, Libiam, Bizantium cinere contexit; at tunc Eudocia iunior nupta Hunnetico Genſerici

Digitized by Google

rici filio, Arianum pertæſa torum Hieroſolymam petijt, ibi contemplatura maius diuinæ pietatis incendium. Hæc & alia, quamplura, felicitatis argumenta, quæ ex incendijs afferri poſſunt, aut ſaltem incertas reddunt Pyromantum prædictiones, quibus ſemper mala minantur; vnde à nobis potius damnandæ ſunt, quam excipiendæ, noſtra in nobis ſuſpenſa fide, aut nobis ipſis retenta.

Cæterùm licet ex magnis Planetarum complexionibus multa admiranda infrà Lunam effici ſoleant, atque ex his ſæpe etiam excitentur incendia, ventura quædam portendentia; 123

Nec dubium quin & noctis nitor aurea Luna
Quin & Saturni graue ſidus, & æquior orbi
Stella Iouis; quin pulchra Venuſque & Martius ignis
Ac reliqua Aſtra etiam mutent elementa, trahantque
Perpetuum, & latè magnos dent vndique motus
Præcipuè ſedem, ſi quando plurima in vnam
Conuenere, ſuo vel multum deuia curſu
Longè alias tenuere vias. Hæc ſcilicet annis
Pluribus, & rapidi poſt multa volumina Cæli,
Eueniunt.

Vis tamen, quæ ad immutanda ſublunaria potuit à Natura Aſtris tribui, non potuit tamen liberi animi iura quoquo modo tangere, aut violare, ex quibus cum plura pendeant, quæ à Pyromantibus prædicuntur, ea potiùs à nobis eiuranda ſunt, quam credenda; ſiue fauſta ſint, quæ prænunciantur, ſiue infeſta; cum hęc in omnibus prædictionibus regula ſtatuenda ſit, nihil ex ijs certò presentiri, aut prædici poſſe, quæ ad hominis ſpectant arbitrium.

Si verò Pyromantum prædictiones ſumantur ex ijs ignis affectionibus, quæ etiam Pyroſcopiam conſtituunt, nimirum ex luce, quæ vel ex cineribus emicet, vel affulgeat in ara, aut in capite alicuius, aut ex alijs igneis impreſſionibus, ſed præſertim ex pice, quæ trita in ignem ſpargebatur, ex tædis pice illitis flamma accenſis, & certis characteribus ſignatis, ex flammis ipſis in vnum coeuntibus, aut viciſſim reſilientibus, de quibus dictum fertur apud Silium Ital. 3. 124

——————— Diuinarumque ſagaces
Flammarum

Has quoque ſemper fuiſse inanes, fallaces, ac ridiculas pro certo habendum eſt; quæ enim ratio ferendarum prędictionum in eiuſmodi rebus eſſe poterat, quæ ſolo caſu fiebant, ac regebantur; quæ ratio prædicendi, hæc erat, ſi victimam ſtatim ignis abſumeret, auſpicatum fore; ſi ignis parceret victimæ inauſpicatum, ſi tædis accenſis flamma in vnum coiret, res benè caſuras; ſi diuideretur, ſi tricuſpidem in altum ſurgentem efficeret, gloriæ augurium eſſe exciturum? Quæ ratio prædicendi, ſi ignis in ara ſpectaretur caligine permixtus, vel lucidus? Si plures apices efformaret, vel vnum; ſi in plures ſcinderetur partes, aut

tes, aut

DISSERTATIO XXIV.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex Aeromantia.

QVATVOR diuinationis ſpecies potiſſimæ ſolent, Varrone 125
teſte ab Elemētis mutuari, Pyromantia ſcilicet, Hydromantia, Geomantia, & Aetomantia, quæ pro ipſorum elementorum varietate ſua vaticinia ferunt; atque inter cæteros eiuſmodi diuinatores Aeromantes dicũtur illi, qui ex ſignis, quæ in aere eueniunt, futura prænuntiant, ab ortu præſertim ſigna auſpicata ſumentes, ab occaſu infauſta, à Meridie, & Septemtrione occulta, & non manifeſta; ex quibus tamen, quemadmodum etiam ex alijs in ipſo aere conſtirurionibus, ac mutationibus cum nihil certi præuideri, atque prædici poſſit, neque fidei adhibendæ argumenta decerpi debent; cum verò ea quæ ad prædictiones attinent præſertim circa aeris mutationes, & conſtitutiones latas, penè innumera ſint, hìc tantum quædam perſtringemus, ex quibus reliqua facili negotio poterunt deduci; ſolent namque Aeromantes aliquid prædicere vniuersè de aeris conſtitutione per tòtum annum, aliquid verò rantum de conſtitutione per anni quadrantes, ſiue tempeſtates; aliquid de conſtitutione per ſingulos anni dies; atq. ad prædictionē cōſtitutionis per rotũ annũ erigũt, aut quatuor, aut octo, aut duodecim figutas cęleſtes; quatuor, ſcilicet ad quatuor momenta, quibus Sol in Arietem, Cancrum, Librã, Capricornũ ingreditur: quatuor ad Nouilunium, Pleniluniumuè, quod proximè vnumquemque horum ingreſſuum pręcedit, & quatuor ad Nouilunium, & Plenilunium, quod proximè conſequitur; ac tum notatis ſingulorũ planetarum locis tam in figura, aut domibus, quam in Zodiaco, aut ſignis, colligunt omnes omniũ Planetarum fortitudines, omnes omniũ debilitates; Et acceptis ijs, quorũ plures fortitudines ſunt, quã debilitates, ad illũ tandem attēdunt, qui omniũ reperitur fortiſſimus, ipſumq. totius anni Dominũ conſtituunt; alioq. in ſociũ adhibito, qui plurima poſt ipſũ habet, ſic ex vtroq. de futura totius anni cōſtirutione pronũciāt, quę

vir aliã in aere infectionẽ agnoſceret, quę à duobus Draconibus in ijs mõtibus degentibus proueniret; altè ſiquidẽ intra illos duos mõtes erecto ſpeculo chalybeato cõſpexit illico duos Dracones cõtra ſe mutuo peſtilentẽ ſpiritum exhalantes; quapropter, licet Aeromantes multa prænunciare queant ex perfecta aeris eiuſq. qualitatũ notitia, cũ tamen in hac quoq. ſæpius decipiãtur, idcirco ipſis quoq. non omnino credendum eſt; licet enim ab ipſis quædam portẽtoſæ pluuiæ, nebulæ, grandines, atq. procellæ, quę fiunt in aere, aliqua quãdoq. certitudine prænoſci, ac prænunciari poſſunt, non tamen ſic ea, quæ ex eiuſmodi portentis ſunt euentura, cum hæc vt plurimũ cum liberis, alijſq. particularibus cauſis ſæpiſſimè connectantur, quarum notitiam non ita facile attingere valẽt. Hinc reuocantur adhuc in dubium ea quæ à pluribus ſcriptoribus narrantur, quod nimirum ad denuncianda mala vẽtura in Cherſoneſo toto die piſces depluerint, in Dardania, & Pæonia ranæ; Circa Caſtellum Cariſſanum liquores omnino lactei; alibi cocti lateres, & lapides; nec certum omnino perhibetur, quod Anaxagoras dicitur prædixiſſe, ſcilicet ſaxum magnum è Sole caſurum præcedente Comete perplures noctes in Cælo flagrante.

Sic neque tanquam omnino certa recipitur magna illa fulgentium in aere effigierum varietas, quam non vetuſta ſolum, ſed recentia etiam obſeruarunt tempora; Quod ſcilicet in Oeniponte hæ viſæ fuerint imagines, Aquila ſtans in colle, ac trepidans, cui è regione obuiabant alię tres velut hoſtiles imagines, quarum primam Camelus erat reſpectans flamma in orbem circumdatus; alteram Lupus flammã ore euomens, flammeo itidem orbe ſeptus, quem ſequebatur Leo, cui vir cataphractus ſtans in aditu montium, blandè contrectabat iubã, & viciſſim huic blandiri Leo videbatur, pedem velut ſaltabundus porrigens. Quod paulò ante mortem cuiuſdam Saxoniæ Ducis electoris conſpectæ fuerint in eadem regione hæ effigies in aere, primo arbor antiqua, marcida, & euerſa; ſecundo loco expeditus Eques geſtans arborem, ſed truncatam ramis; tertio canis venaticus, quarto magna, & atra crux in denſa nube; quinto ex ea nube fulmen excuti horribile cum ingenti fragore, ſonituque terribili; tantamque deferre ſecum vim flammarum viſum eſt, vt pagum, in quem traijci videbatur, incenſurum putaretur, & puella exterrita magna voce matris imploraret opem, ſeque ſuſcipi, ac tegi flagitaret. Quod eodem fere tempore, quo fædus Schmalculdenſe ſancitum eſt aliæ viſæ fuerint in aere fulgere imagines, quæ exitum fæderis effiguraſſe iudicantur: licet enim hæc & alia plura in aere diuerſis temporibus contigiſse portenta multi fateantur, quibus plures in orbe terrarum fuerint depictæ, atque præfiguratæ mutationes, tamen non apud omnes eadem certitudine recipiuntur; ac propterea non omni iure noſtrã ſibi vendicant fidem. Fatemur ſiquidem non impoſſibile eſse eas efformari poſse in aere imagines, vel ab halitibus in aerẽ raptis, ac fortuitò concurrentibus, quæ etiã lumine cæleſti poſſunt colorari modo nitore fulgido, modo flãmeo, & flãmanti rubore pro varia fumorum conditione; fatemur etiã eas à Deo, vel ab Angelis cõfingi poſse, atq. delineari ad futura prænũciãda; at 128

 non

non proinde fatemur hęc ita facile euenire, vt ſemper in aere aliquid in promptu ſit,quod nos moueat ad adhibendam fidem Aeromanticis prędictionibus.

129 Attexendum hic quidpiam videretur de alijs prodigioſis rebus, quæ cenſentur vulgo in aere fieri,ex quibus apud Hiſtoricos multæ prædictiones, plura prognoſtica lata inueniuntur; ſed quia nimis fabuloſa ſunt, idcirco relinquuntur; Quod enim pluerint aliquando vituli, vt ſcribit Auicenna, omnino incredibile eſt; niſi quod hæc fabula excuſari ſolet, quatenus potuit Vitulus ex vno loco vi turbinis cuiuſpiam immanis abreptus in alium trāsferri locum, eoque decidere; & ſic qui cadentem vitulum obſeruauerint, exiſtimare potuerunt genitum fuiſſe in nubibus, & ex aere decidiſſe. Quod etiam affirmari poteſt de carnibus, lapidibus, Ranis, & id genus alijs; difficile namque omni Philoſopho videri poteſt,materiam intra nubes,atque in aere ita cogi,ac temperari, vt euadat vera caro, vel verus lapis; ad ſummum enim poterit apparere fungoſum aliquid ſimile carni; vel durum aliquid ſimile lapidi; ac tales fungoſas carnes apparentes, ſcribit Plinius, pluuiſſe L. Volumnio, & Seru. Sulpitio Conſulibus. Sic de lapidum pluuia quam ad ſingulos penè annos commemorat præ cæteris Liuius, ſanè videri hos lapides non alios eſſe, quam grandineos, ſed inſignis magnitudinis, & à quibus ſtrages edi poſſit ingens; ſi enim veri lapides apud Veteres ita frequenter ex aere decidiſſent,hęc res etiam noſtris temporibus fuiſſet obſeruata; nam quod interdum eructentur è terra ſingulares quidam, & pauci lapides, ij tamen dici non poſſunt cadere ex aere inſtar pluuiæ; ac propterea neque ex illis veluti ex quibus in aere natis prodigijs licet vaticinari, atque ventura prædicere.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO XXV.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex Hydromantia.

QVANTA ſit inanitas prædictionum Hydromanticarum, qualis etiam ſit ipſis adhibenda fides, ex eo maximè liquet, quod ex varia aquarum inſpectione, ipſæ quoque varientur, ac ſi futura penderent ab aquis aliter vel aliter obſeruatis, ac varia agitatione commotis. Præſertim vero ex eo inter cæteras ſunt eiurandæ prædictiones eiuſmodi, quod in ipſis ſæpe etiam euocentur Dæmonum vmbræ reſpondentes, quibus nihil horribilius, nihil fallacius; Quin imo, cum apud varias gentes, & nationes fuerint ſemper ridenda quædam obſeruandæ, ſeu inſpiciendæ aquæ inſtituta; ex hoc ridiculas quoque ac nulla fide dignas eſſe Hydromanticas prædictiones apertè colligitur. Tria vero potiſſimum exercentur apud Hydromantes diuinationis genera, quæ omnia omnino cenſemus improbanda; Primum illud eſt, cũ Cyatho aqua impleto annulus ſuperimponitur & fi'um pẽdens à digito, à cuius annulo definitis ictibus per magicũ carmen quæſita proferuntur. Alterũ eſt, cum in aquam ſilentem verbis quibuſdam prolatis tres inijciuntur ſilices, ac ex orbibus implicitis, quos illi efficiunt, futura coniectantur. Tertium eſt, cum in fontibus ad hoc ſelectis placentæ quędam immittuntur, ex quibus ventura eliciuntur; ſi enim placentę in fontem miſſæ fundum petunt, auſpicarum eſt, quod quæritur, ſi reſpuantur, inauſpicatum. Quid his diuinandi modis ſtultius, quid ineptius? 130

At alia proferenda ſunt longè ineptiora, vt clariùs conſtet hydromanticas 131
diuinationes omni ratione carere; perhibetur namq. ad oraculum Apollinis Thyrxei fontem fuiſſe, vbi poſt aliquot verba muſſitata, facies rerum, de quibus conſulebatur, ſtatim apparebant; Sic fertur in ſuburbio Antiochiæ Caſtalium fontem fuiſſe, cui nomen Daphne, habens vandicas venas; eaſq. aiunt Adriano imperium prænunciaſſe; produnt namq. hunc Imperatorem folium intingentem in fontem, inde hauſiſſe futurorũ cognitionem in folio ſcriptam;

cumq.

cumq. iam ad imperium euectus eſſet, fontem illum obſtruxiſse, ne quis alius ex eo futura cognoſcere poſſet. Refert etiam Pauſanias in Achaicis fontem quemdam Cereris fuiſſe, in quem ſi ſpeculum alligatum è fune tenui demitteretur, facies ægroti, de quo fons ille conſulebatur, reddebatur ſtatim aut vt mortui, vel vt conualeſcentis. Ex puteo Æſculapij ne dum aqua tollebatur, quæ homines mutos vocales faciebat, ſed etiam occultorum peritos, ac futurorum vates. Apud Trallos fons quidam conſulebatur, cum belli euentus præſcire vellent eorum populorum principes, ac duces. Penè innumera ſunt de eiuſmodi aquarum inſpectoribus commenta, quorum ſola recenſitio ipſis fidem adimit; neque in ijs omnibus percenſendis operæ pretium eſt diutius immorari, cum ipſa ſibi propriam occinant fatuitatem.

132 Nec validioris argumenti eſſe poteſt ad firmandas Hydromanticas prædictiones mirabilis fons ille Epiri Ioui ſacratus, ad quem ſi faces accenſæ admouerentur ſtatim extinguebantur, ſi extinctæ accendebantur, ex cuius inſpectione quamplura vaticinia fundebantur, quæ vt plurimum comprobabat euentus; nam imprimis pleriq. fabuloſum illum fontem perhibent; & ſi eſſent credenda, quæ de illo, miracula ſeù prodigia circumferuntur, non propterea eſſent recipienda vaticinia, quæ ad eius inſpectionem fiebant; illæ namq. fontis mutationes, quæ frequentiſſimæ obſeruabantur, à cauſis quibuſdam naturalibus poterant prouenire, abſque eo quod cenſerentur diuinitùs immiſſæ ad futura prænuncianda. Quod etiam affirmari debet de alijs eiuſmodi prodigioſis fontibus, præſertim de Gratiopolitano, de fonte collis martij, de fonte apud Ammonis fanum, de quo dictum eſt apud Lucretium

Eſſe apud Ammonis fanum fons, luce diurna
Frigidus, at calidus nocturno tempore fertur.

Et de alijs denique omnibus, in quibus naturæ miranda conſpiciuntur; non enim ex hoc natura dicitur vim diuinandi indidiſse, quam natura ipſa in ſui perfectione nunquam experta eſt.

133 Hinc omnino contēnenda ſunt cætera illa, quæ ad hoc diuinandi genus referri ſolent apud Veteres, præſertim, quod mulieres Germanæ ſonū, vortices, & agitationes omniū obſeruarent, vt futura prædicerent; Quod Eubæenſes, & Siculi ex agitatione Pelagi futura perſentirent; Quod Celtę Rheno fluuio partus legitimos clypeo impoſitos explorarent, atq. de agendis per ipſos eo modo diuinarent; Quod populi quidā limpidā poculis aquam infundentes, in illa aqua imagines futurorum viderēt, ſicq. illa prædicerent; Quod Numa ad diuinandum hydromātia perſæpe vſus fuerit, ideoq. Nympham Egeriā coniugem habuiſse, quod aquā ad hoc exportauerit; Quod apud Clarios, & Colophonios populos duo fuerint fatidici fontes, ad quos gentes cęteræ de fatis cuiuſcunq. conſulturæ magna frequentia accederent; Quod deniq. libri integri de hydromanticis prædictionibus fuerint conſcripti; nam hæc omnia non niſi Veterum deceptionem, atq. halucinationem commonſtrant, ea etenim ad diuinandum adhibentes, quibus nulla poteſt ineſse ratio, nullaq. fides adhiberi.

DIS-

DISSERTATIO XXVI.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex Gæomantia.

DVPLEX diuinandi genus per Gæomantiam Antiquis vſur- 134
patum eſt; vtrumque tamen tanta inſipientia laborans, vt nullam vnquam ſibi potuerit fidem indipiſci; & etenim Gęomantiæ parte, quæ in punctis poſita eſt, atque in quibuſdam certis figuris pari, vel impari numero ductis, atque ad certa cæli ſigna reuocatis, nihil ſtultius eſſe poteſt, cum dicãt, puncta illa, vt vim diuinatricem conſequantur, fieri oportere in terra digito indice, cuius pungentis manus per quoſdam tereſtres ſpiritus moueatur; ita etiam, vt hæc Geomantiæ ars ſexdecim figurarum in puluere nomina artificioſa diſpungat ex ſexdecim additis diuerſis punctorum ordinibus, quæ nomina ſingulis ſuis aſtris reſpondeant. Altera etiam Gæomantiæ parte, qua diuinationes ſumunt ex terræ motibus, crepitu, rumore, tremore, voraginibus, exhalationibus, nihil ineptius potuit excogitari, cum hæc omnia ſuas cauſas habeant in natura, ex quibus, ſi de euenturis vaticinari fas eſſet, ſemper ijdem cõſequerentur effectus, quod tamen non experimur, licet immotus, & conſtans ſit in natura cauſarum ordo ad ſuos effectus. Qua de cauſa Socrates aduerſus Athenienſes querelas intorquens fatuos Gæomantes ſæpè compellat, ſcilicet terræ motus, tremoris, atque hiatus quammaximè obſeruatores, qui ad omnem crepitum comitia ſtatim dirimebant, inde aliquid infauſti auſpicantes, cum tamen ſæpius etiam experti eſſent nihil mali ea ſigna alias attuliſse. Quin habemus ſæpè à Scriptoribus Romanis redargutum Neronem, quod nimium Gęomentiæ fideret, dum ad quemcumque terræ tremorem pauefactus aduerſa ſibi, & Galbæ proſpera ominabatur; nihil enim ex hoc Gæomantiæ genere haberi poteſt, quo liceat malorum, vel bonorum imminentium prædictiones ferre; quemadmodum etiam, neque ex alio genere ſupra poſito. De vtraq. hac Gæomantia eſsent plura alia dicenda, at quoniam multa iam alibi dicta ſunt,

quæ fecimus ad alia diuinationum genera ſpectantia, paucis ideo in hac re contenti erimus; id vnum pro certo ſtatuentes Gæomanticis prædictionibus nullam eſse adhibendam fidem, cum in ipſa quoq. omnia ſint, vel ſuperſtitioſa, vel ratione carentia; qualia erant præſertim puncta illa, quæ ad diuinandum mucronibus quibuſdam imprimebantur, cum impreſſionis obſeruatione, de quibus illud dictum accepimus à Comite mirandulano

Atque frequens bibulam mucro cum pungit arenam.

DISSERTATIO XXVII.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex Teratoſcopia.

PRÆTER nota, conſueta, ac naturæ conformia rerum ef- 135
fecta, interdum noua quædam, inuſitata, rebuſq. naturalibus diſſimillima animaduertuntur, quæ enormi quodam, ac deformi genere, vel ſpecie à cęteris diſcrepantia, ſolent animos humanos pauore corripere, ac veluti pręſagia triſtium, & calamitoſorum euentuum æquè metu, atq. admiratione commouere; Inde Teratoſcopiam oſtentorum, portentorum, mōſtrorum, atque prodigiorum, luctificum quiddam & miſerum portendentium interpretatione nominarunt Gręci; & inde etiam portentorū interpretes, ac coniectores Teratoſcopi dicti ſunt, quorū interpretationibus, ac vaticinijs quęrimus hoc in loco an ſit fides adhibenda; cum enim mētes noſtras pauidas natura, & trepidantes magnoperè id portentorum genus quatere ſoleat, ac conſternare inq. malorū expectationes conijcere, indita quadam ipſorum malorū imminentiū perſenſione, optimum erit, ac ſaluberrimū iſtius diſſertationis inſtitutum nedum quęrere, ſed decernere, quonā modo ſint à nobis accipienda portenta, quæ vulgò habentur velut impendētium calamitatum ſigna, an nimirum ſint omnino deſpiciēda, atq. in ordine ad diuinationem tenenda pro nihilo; ſiue portentorum nomine hic intelligantur tantū errata naturæ elementaris, quæ in hac inferiore regione conſpiciuntur, ſiue inſueta quædam in natura cæleſti, & ſuperiore; nō enim voco hic in quæſtionem, an quicquā poſſit in cæleſti, & ætherea regione innouari, vel id tantum fieri poſſit in regione elementari ex imperfectione materiæ; complector ſiquidē hoc loco portenta omnia, oſtenta, prodigia, monſtra, quocunq. loco fiant, ſiue in quacunq. naturæ parte obſeruētur; ſiue per infauſtos congreſſus, & commixtiones ſtellarū progenerentur, ſiue ob enormia corruptæ materiæ vitia proueniāt, ſiue alio quodā externo, & aduentitio impulſu edātur in lucē; Latini namq. oſtēta vocarunt ab oſtēdendo, mōſtra à mōſtrādo

vt ait Tullius, prodigia à prędicendo, portenta ab intentando, quaſi ea, quæ eueniunt, ipſa portenta intentent; ex quibus Etymologijs ſuas prædictiones extraxere Teratoſcopi.

136 Portenta igitur, ſeù prodigia, & omnia, quæ inſueto naturæ ordine fiunt, non ſemper habere futurorum pręſignificationem conſtantiſſimè affirmamus; etenim apud Philoſophos omnes pro comperto habetur plura exoriri monſtra ex ſolo concurrentium cauſarum defectu, vel impedimento, abſque eo quod aliud malum in natura contingat; eſt namque Elementaris materia valdè prona, ac procliuis ad degeneres, & aberrantes motus, idque obtinet, vel à propria imperfectione, qua valdè diſcrepat à Cæleſti; vel ab alijs cauſis forinſecus accedentibus, quæ à ſuis obtinendis effectibus impediri poſsunt, & auuerti; quapropter, qui ex eiuſmodi effectibus aliquid aliud coniectaret præter malum ipſius naturæ, quod in illo portento, vel monſtro conſtitutum eſt, malè coniectaret; neque eiuſmodi coniectori fides eſset adhibenda; & licet Deus naturæ author plerumque eiuſmodi portentis vtatur ad aliquid aliud efficiendum, vel conſignificandum, cum tamen id ex occulto diuinitatis arcano, vel ex ignoto prouidentiæ diuinæ conſilio nemini pateat, fruſtra ex illis portẽtis prędictiones ſuas ferunt Teratoſcopi; Quod ſi ex euentuum obſeruatione pluries deprehenſum ſit, portenta quædam omnino inſolita ſemper aliquos ſingulares attuliſſe caſus, aut grãdia mala præfiguraſſe, vt funeſtas clades, ſæua bella, & id genus alia, cum tamen in his nullus inueniatur effectuum cum ſuis cauſis nexus, nullus ordo, ideo nihil certi, quod ſit ratione formatum, prænunciari poteſt; Ad ſummũ namq. portenta cum ſuis connectuntur cauſis in diuina voluntate, quæ Teratoſcopis non reuelatur, Quo fit, vt quamuis oſtentis, portentis, monſtris, atq. prodigijs ſępe vtatur Deus ad monendos, vel exterrendos homines de futuris malis imminentibus; non poſſit tamen ex ipſis aliquid certò præſciri, aut prædici à Teratoſcopis, ſed ad ſummum aliquid incertum probabiliter coniectari; idq. ſolum in vniuerſum, nullis certis caſibus in ſpecie, vel indiuiduo pręnotatis; hacq. tantum ratione licet eiuſmodi prædictionibus fidem adhibere.

137 Cæterum ſi loquamur de monſtris, quæ ex animantibus naſcuntur, ea ſuis cauſis adſcribenda eſſe, philoſophia docet; multa enim ad hæc generanda vis eſt, & dignoſcitur in ipſa natura; ſic diſtincta matrix, licet vnum concipiat ſemen, gemellos format fętus, eoſq. abſoluit, ſi ſuppetat materia; ſi verò conſtituendis duobus integris diſtinctum ſemen non ſufficiat, vni ex redundante, & ſuperflua materia plura adiunguntur membra, aut vni thoraci duplicata applicantur capita; & hinc partus bimembres, bicipites, ternis, quaterniſuè manibus, & pedibus; ſæpe enim ex conceptis inchoata ſeminibus, aut peruertuntur, aut ruptis inuolucris, vel dilabuntur ad latera, vel procumbunt, atque ex mutato ſitu diſtortam, atque deformem adipiſcuntur ſpeciem; ſæpe etiam ex permixtione, & affluxu nouæ materiæ turbantur, & vitiantur ducta à natura prima fætuum lineamenta; & præcipua vis monſtrorum formatrix ſeminum redundantiæ, vel defectui deputari debet; quemadmodum

etiam

Digitized by Google

etiam ſi diuerſarum rerum ſemina commiſceantur, ijs ſingula ex ſe ſe propagatas partes figuris conformant, quas habent, atque ita fœtus ex diſcrepantium rerum partibus, ac figuris obſcæno fædoque aſpectu componuntur.

Si ad oſtenta procedamus, hæc quoque ſuas habere naturales cauſas quamplures fatentur; oſtenta autem ea dicuntur, quæ non ſolum in vicino aere, ceù picturis expreſſæ viſuntur imagines, ſed etiam quæcunque in ſublimiori ſiderum cælo perpetuis orbium circumuolutionibus nobis apparent; harumq. fulgentium in aere effigierum magnam varietatem non vetuſta ſolum, ſed recentia etiam obſeruarunt tempora; cum ſæpe nubes & vapores ſtellarum radijs reſperſi varias vario poſitu videantur imagines exprimere. Quanquam enim quæſitum omni tempore ſit, quænam vis talia pingat in aere, vel in cælo ſimulachra; an ſcilicet cum nunquam halitibus aer vacet, halitus illi fortuitò concurrentes lumine cæleſti colorati; an verò intelligentes ea exprimant naturæ futurorum euentuum præſciæ; meliùs tamen ſemper decretum eſt, ea naturaliter fieri, varijs cauſis ad ea concurrenribus, quas Meteorologi non ignorant. 138

Prodigiorum denique licet ſit magna varietas, vt Iulius Obſequens adnotauit, ea dicimus vt plurimum ad Elementorum alterationem, aut confuſionem eſſe referendam, ex aliquo accedente, quod eorum naturas, & qualitates pro tempore immutet; ſic antiquis temporibus imbres ſanguineos, ſcintillantes inter pluendum guttas, & feruidas pluuias frumentaceas, inuſitatæ etiam magnitudinis grandines, ceù figuris hominum expolitas multæ ſenſerunt gentes. Atratas paludes ſanguine fluxiſſe, Terram in cruentas erupiſse ſcaturigines, Ariſtas guttatim ſanguinem extillaſse; ſtatuas, & ſimulachra in templis copioſo ſudore diffluxiſse, etiam ſæpius exterſa, & ſiccata, tradunt hiſtoriæ; quæ omnia commemorare nimis longum eſt; Atque in his etiam ſtatuendum eſt, vel ab ipſa natura, licet aliquo inuerſo ordine, & actione poſitas fuiſſe illas immutationes, vel ſi diuinitùs, id factum quidem eſse ad aliquid portendendum quod tamen Teratoſcopis eſset omnino ignotum. 139

DISSERTAT. XXVIII.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex Magia.

140 MAGORVM ars, quæ apud antiquos Perſas ampliſſima fuit, atque honeſtiſſima; quæ ſolis tribuebatur Sacerdotibus, quorum & dignitas erat ſumma, & authoritas præcipua; Quæ etiam Prophetiarum peritiſſimos ſua appellatione cohoneſtabat, tandem ad Diaboli artificia, & ludibria delapſa eſt, quibus Diabolus ipſe ex euentibus per magos prænunciatis attenta hominum leuitate indebitam ſibi captaret fidem: Inde factum eſt, vt neglecta cæleſtis doctrinæ veritate commenticia quædam Magicæ artis dogmata inualeſcerent, atq. radices agerent ad fallendos ſimul ac perdendos homines præſtigiæ, quibus contaminata religione, & penitùs corrupta anilibus fabulis philoſophia, relicta vera naturæ cõtemplatione neſcio quæ ſigna comminiſcerentur, ex quibus diuinandi artem extruerent, eique ſuperſtitiones rationeſque varias ſcrutandorum euentuum adiungerent, quæ tamen eſſent in ſanioribus ſemper Philoſophis, Theologis, probiſque viris redarguendæ, atq. omnino condemnandæ: Inde etiam ortam tantam ſpecierum magiæ varietatem, ac diuerſitatem à Veterum monumentis accepimus, quarum tamẽ potiſſima ea eſt, quæ vaticinatrix dicta eſt, in plures ipſa quoque partes, ac ſpecies diſtributa, cuius pręſertim errores hic inſectamur, damnamus, ac reprobamus.

141 Primo autem loco occurrit nobis damnanda illa Magiæ pars, quam Græci Necromantiam appellant, quæ nimirum à manibus ex orco accitis, ac vi quadam verborum, ac circulorum extractis futura ſciſcitatur; cui omnino fidem eſſe adimẽdam ſtatuimus; quemadmodum etiam vatibus illis, qui ſacrificijs, execrationibus, alijſq. eiuſmodi ritibus ſuperſtitioſis defunctorum animas ſolent ab inferis euocare ad poſtulandum de futuris; Quod ſcelus præſertim ductum eſt ex errore Antiquitatis Ethnicę, quę videtur in id etiam cum ſanioribus Philoſophis conſenſiſſe, vt putarent animas non interire cum corporibus, ſed ſolutas

lutas

lutas vinculis corporum, & carcere manere ſuperſtites, oculiſque purioribus, omnia contueri, ac perſpicere; & exactiùs, quæ per obtenſas veluti nebulas ac ſordes corporum, pernoſcere, & aſſequi non potuerunt, tunc intelligere, ac complecti, certo tamen diſcrimine, nimirum, vt peritiores redire coactæ certiora futurorum darent reſponſa, imperitiores incertiora.

Sed quæ ſit animarum ſeparatarum, ac ſuperſtitum conditio, quò ferantur, 142
quid agant, quo differant aimæ eorum, qui conſtanter cum virtute vixerunt ab illis, qui ſe omni obſtrinxerunt ſcelere, atque in turpiſſimo libidinum cęno volutarunt, magna eſt apud ipſos Ethnicos diſſenſio, & diſcrepantia. Plato namque animas præſtantium virorum, qui vel philoſophiam excoluiſſent, vel ſerijs virtutum ſtudijs vitam traduxiſſent; qui pro iuſtitiæ defenſione, atque Reip. ſubijſſent pericula, ſuſtinuiſſent certamina, has (inquit) omnes ſtatim laxatas, atque explicatas corporum vinculis recta ſubuehi in cælum doctrina, & rectè factis velut alis ſuſtollentibus: Reliquorum verò, qui turpitudini dediti fuiſſent, ac luxuriæ, vitamq. omnino à virtute alienam egiſſent, ſordes, & vitia aggeraſſent, criminum pondere ſtatim reprimi, terræque affigi; & tamdiù vagari circa ſepulchra, ſuaſque deplorare miſerias, donec meritas luerent pænas contractaſq. maculas expiarent. Plutarchus verò ex narratione Solei cuiuſdam, qui ex lapſu colludente diabolo mortuus poſt triduũ reuixerat diſſimilia Platonicis recitat, nimirum animas omnes promiſcuè, cum emigrarunt à corporibus, bullarum inſtar humana ſpecie efferri ſurſum, dẽſumq. & confertũ agmen animarum volitare per aera, ſed diſſimiliter; Impollutas enim rapidiſſimo motu, diſcuſſo, ac ſuperato aere in ſummam cæli arcem quieti beatorum deſtinatam perferri; reliquas verò pro criminum diſcrimine, quæ ſibi metipſis in vita cumulaſſent, variè huc & illuc agitari, nunc ſurſum contendere, ſed ſtatim retrahi, ac deiici ſcelerum pondere reclinantium; mox etiam in gyrum conuolui rotarum inſtar, nunc denique inter ſe complicari, mutuoque complexu cohæreſcere, ac rurſus diuelli. Ab alijs denique inter Ethnicos communiori fortaſſis errore exiſtimatum eſt, animas, cum ex hoc corpore euolaſſent in certas deferri ſedes aut tranquillitati, aut ſupplicijs deputatas, quas tamẽ prolibito poſſent euocare Magi diuinatores conſentiente Plutone, ac Proſerpina, quorum etiam conſenſione ventura, quæ ſciſcitarentur, inuulgarent.

Quibus tamen omnibus sẽper malè fides adhibita eſt, cum vanidicis illis, ac 143
prorſus vmbratilibus manium, vel animarum imaginibus Dęmones induti proſilirent; neq. enim animæ ſemel à corporibus diſiunctæ, atque in definitas ſedes collocatæ redeunt vmquam, licet Magorum atteſtationibus, aut adiurationibus reuocentur; ſed aſcititia illarum imagine ſe oſtentant Dęmones ad fallendos, ac perdendos homines; quemadmodum etiam vates illi, qui per manes euocatos reſponſa edebant, non à mortuis ipſis, ſed à Dæmonibus accipiebãt; fueruntq. loca, vbi manes euocati reſponſa edebant non multò pauciora Oraculis; ac propterea Homerus Cimmericum ad Auernum Campaniæ lacum celebrat, quod Vlyſſes adijt, vt Tireſiam vatem de reliquo conſuleret itinere; ſic Home-

Digitized by Google

Homerum imitatus Virgilius idem in ſuo Ænea repetit. Simile poſterioribus ſæculis Roma habuit ad locum cognominatum Tarentum iuxta ripas Tiberis. Theſprotium ad Horrhum Orpheus notum fecit; in eo enim flexis, atq. emollitis cantu Dijs manibus reditum Eurydici coniugi ad ſuperos impetraſſe creditum eſt. Heracleum ſatis ex hiſtoria Pauſaniæ innoteſcit; quemadmodum Arcadicum apud Lucanum, Æolium apud Ariſtotelem, aliaq. innumera apud alios Scriptores, in quibus à Manium euocatoribus occulta, ac futura poſtulare valde vſitatum fuit; quæ omnia vel omnino commenticia ſunt, vel à Dæmone inuecta, vt eius dolis, fraudibus, inuentis, ac mendacijs fides adhiberetur.

144 Sic alijs, quę recenſeri ſolent, Magię ſpeciebus, ac diuinationibus nulla omnino præſtanda fides; ſiquidem ſiue ſit diuinatio ex inſpecta pelui; ſiue ſit diuinatio ventriloquorum ex vitro; ſiue diuinatio ex ſpeculo; ſiue diuinatio per cryſtallum; ſiue diuinatio per annulos, ſiue per vngues, ſiue per aquam, ſiue per aerem, omnes cenſendæ ſunt Dæmonis præſtigiæ ad credulorum perniciem, ac faſcinationem inſtitutæ, cum nihil ſolidi, nihil veritatis retineant; Diuinatio enim ex inſpecta pelui Aſſyrijs, Chaldæis, & Ægyptijs in vſu fuit; imponebant namque in peluim aqua repletam aureas, & argenteas laminas, lapideſque pretioſos characteribus certis ſignatos, & poſtquam conſueta verba pronunciaſſent, quibus Dæmon aduocabatur, proferebant quæſtionem; hiſq. peractis tenuis, atque exilis vox inſtar ſibili ex aquis emergebat, referebatque quæ quæſtio expoſcebat. Ventriloquorum diuinatio hoc à priore differebat, quod non voce, ſed picturis reſponſa expediebat; ſtatuebātur ſiquidem etiam in hac diuinatione vaſa vitrea rotunda aquis conferta limpidiſſimis, & circùm collocabantur accenſi Cerei, cumque euocatio Dæmonis occulto murmure abſoluta eſset, & etiam quæſtio recitata, adhibebatur puer impollutus, aut mulier prægnans, quæ vitrea illa vaſa accuratè, diligenterque intueretur, ac circumſpiceret, rogaretque, imperaret, ac flagitaret reſponſa, quæ per quaſdam imagines quæſita exprimentes ex terſa vaſorum ſuperficie refulgebant. Cui perſimilis eſt etiam diuinatio ex ſpeculis, in quibus rerum quæſitarum imagines effictæ redditæue à Diabolo renitere videntur, quo diuinationis genere præſertim vſus Iulianus Imperator perhibetur, qui etiam dicitur pleraq. Diaboli monitu præuidiſſe, ex ijs tamen quæ poteſt præuidere Diabolus; Ad quod diuinationis genus refertur etiam illa, quę exercetur per cryſtalla obſeſſa à diabolo. Diuinatio ex annulis, vel ad certas cæli poſitiones conflatis, vel faſcinis diabolicis conſecratis, vel ab ipſis Dæmonibus occupatis varijs modis exercebatur, de quibus plura, & plura apud Scriptores; Talem verò perhibent fuiſſe annulū Gygis Lydorum Regis, cuius palam quotieſcunque in palmam cōuertiſſet, à nullo videbatur, ipſe verò videbat omnia, & eiuſdem beneficio dicitur Reginæ ſtuprum intuliſse, ac Candaule rege ſublato regnum rapuiſse. Diuinatio ex vngue fiebat oleo, & fuligine in vnguem pueri alicuius impolluti illitis, ſolique obuerſis; confici enim ex mixtione olei, fuliginis, & radiorum ſolarium imagines rerum expetitarum opinio erat, quas tamen formabat impoſtor

poſtor Diabolus, verſabatque ante oculos, vt ex hac mixtura in vngue reddi, ac refulgere viderentur. Diuinatio per aquam varijs quoq. exercebatur modis, at potiſſimum implebatur Cyathus aqua, annuluſque filo ſuſpenſus ex digito librabatur in aquam, atq. ita conceptis verbis poſcebatur declaratio, vel confirmatio rei quæſitæ; ſi quod proponebatur, verum erat, annulus ſuo nutu, non impulſus feriebat Cyathum cōſtitutis ictibus; qua diuinatione vſum Numam Pompilium, & euocatos in aquam Deos conſuluiſſe ferunt. His perſimiles referuntur aliæ magicæ diuinationes dictæ Hydromanticæ, Gæomanticæ, Pyromanticæ, Aeromanticæ, aliæq. plures, quarum enumerationem artium diabolicarum peritis permitto, cum meum hic intentum ſit eas omnes deteſtari, atque obiurare, omnemque fidem illis adimere.

Cæterum prætermiſſis Magicis iſtis diuinationibus ipſo authore Diabolo 145
ad humanam perniciem concinnatis, diuinationes quaſdam ex naturali Magia reductas non cenſemus omnino improbandas, nec ſcelus eſſe autumamus, ſi fidem aliquam ipſis adhibeamus; cum enim naturalis magia ea ſit, quæ rerum omnium naturalium, atque cæleſtium vires contemplatur, quæ reconditas, ac pene latentes in natura poteſtates ſcrutatur; quæ non tam arte, quam natura ipſa in miniſterium adhibita ſtupenda quædam miracula in apertum profert, quæ denique

Quid calor efficiat, qui terra, quid humus & aer
Quid generent vndæ magni primordia Cæli
Vnde maris fluxus, varijſque coloribus Iris
Reddere quid faciat clamoſa tonitrua & orbes
Quæ ſecreta faces noctu, quæ cauſa Cometas
Proferat & tumidas, quæ cæca potentia terras
Concutiat, quæ ſint auri, quæ ſemina ferri
Totaque naturæ vis ingenioſa latentis

Optimo quoque iure ductis ex naturæ principijs quibuſdam ratiocinandi modis poterit quis de ſecuturis effectibus aliquid iudicare, imo etiam prænunciare abſque vlla erroris, vel temeritatis nota; Deus namq. ipſius naturæ author quędam rerum cauſis ità indidit effectuum indicia, vt vix cognitis cauſis ſtatim queat homo de effectibus diuinare. Sic ſpectato Arcturo in proximo imbres, ac pluuias eſſe diuinamus; Ad Sirij exortum in rabiem agi canes, viperas, ac ſerpentes furere, moueri ſtagna, vina in cellis fluctuare, & id genus alia veridicè vaticinamur. Quò referenda ſunt cætera euentuum vaticinia, quæ inſita in ipſius naturæ principijs perhibentur; quo enim natura pertingit, vel etiam artificis induſtria ſolis in miniſterium adhibitis naturæ inſtrumentis, eò nulla poteſt irrepere criminis noxa, qua naturales illæ diuinationes damnentur.

Digitized by Google

DISSERTATIO XXIX.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex Incantatoribus.

146 INCANTATIONES, quæ in varijs exercendis præſtigiarum modis potiſſimùm occupantur, eo vſq. creuerunt vt per furorem diabolico faſcino introductum, omni æuo exiſtimatum ſit, non ſolum mentione nominis diuini, ac recitatione ſacrorum verborum, confici quæ expeterentur; aut naturis rerum, vel nouas indui vires, vel priores eximi, & infirmari; aut ipſius naturæ curſum mutari, aſtra cælo detrahi, fulmina elici, ſerpentes feritate, ac veneno exui, beſtias mulceri, ferrum rumpi; aut noua corpora ſubito creari, nubes ſcilicet pluuias ventos, & id genus alia; ſed etiam ijſdem verbis adhibitis, certis in vſu poſitis characteribus, & ſignis poſſe quæcunque euentura eſſent, quoquo modo diuinari. Hinc apud Poetas nedum Circes venefica, atque incantatrix inducitur, ſed etiam ventura ex incantationibus prænuncians; iſque error apud Ethnicos plures inualuiſſe perhibetur, quod in verbis ipſis, atque incantationibus, quæ adhiberentur, vis quædam diuinatoria ineſſe crederetur; quod tamen apud Sapientiores omnes reiectum eſt, ac præſertim à Platone, qui incantatores vocat præſtigiatores fallaces vaticinia ad decipiendum ſceleſtiſſimè effundentes.

147 Modi verò prædictionum exercendarum per incantationes varij apud Veteres fuere excogitati, qui, licet fidem aliquam apud inſipientes meruerint, omni tamen fide apud ſaniores homines fuerunt indigni, cum fuerint Dæmonum artificio, ac lenocinio infeliciter inducti. Quales fuere diuinationes illæ ex cribro, & ſecuri, quibus ad perueſtigandos, atque aperiendos ſcelerum authores, reſq. alias perobſcuras explorandas, ac reuelandas Incantatores vtuntur, eiuſmodi diuinationes expedientes, vel ſecuri rotundo palo infixa, aptataque ad normam, ac perpendiculum, vel cribro forcipi impoſito, quæ adhibitis quibuſdam verbis, atq. ennumeratis eorum nominibus, de quibus diuinare

nitun.

Digitized by Google

nituntur Dæmonis impulſu mouentur,& circumaguntur : quales etiã fuere diuinationes per caput Aſini, Aſini nimirum capite ſuper prunas aſsato neſcio quibus ritibus vſurpatis : quales deniq. erant diuinationes per gallos gallinaceos pertractatæ, quorum opera, atque indicio obſeruato cognoſcebantur occulta,& futura; peragebantur autẽ hæ poſtremæ diuinationes per literas quaſdam, quę vſq. ad numerum vigeſimum quartum pulueri inſcribebantur, quarũ cuiq. granũ hordei,& tritici imponebatur; atq. in hæc emittebatur gallus gallinaceus priùs carminum adiurationibus in hunc vſum expeditus, ſicq. de quibuſcunq. literis gallus óbripuiſset grana, ex illarũ numero, quæ coniungebantur, res quæſitæ declarabantur,& ventura prænunciabantur; Hocq. diuinationis genere Iamblichum Procli magiſtrum vſum fuiſse memorant, cum ſcrutari veller, quis poſt Valentem Cæſarẽ eſset imperaturus; cum autẽ gallus de ſolis quatuor T h e o ſuſtuliſset, incertũ fuit Theodoſius ne, an Theodotus, vel Theodorus, vel Theodectes deſignaretur; quo vaticinio cognito Valens plurimos his nominibus notos, inſidias metuens, interfecit, quæſitis etiam vatibus ipſis; quapropter Iamblichus ſæuitiam Imperatoris exhorreſcens, hauſto veneno mortem ſibi conſciuiſse dicitur.

Si verò inter vates incantatores etiã illud impoſtorũ genus eſset recenſendũ 148
quos ſpecie deformes, & habitu peregrinos recentes Græci Attinganos, ſeu Cinganos vocant, ex Ægypto, ac vicinis Aphricæ partibus prodeuntes; horum quoq. vaticinijs, ac prædictionibus omnino adimendã fidem aſseueramus; vel quia ab ipſis ſola aquirendi induſtria feruntur, nulla artis, aut ſciẽtiæ ratiocinatione ductis; vel quia ſolis diabolicis innixi pręſagijs ſumma ſemper fraude vaticinantur. Quorum albo adſcribitur etiam illud ſceleſtiſſimũ Cabaliſtarũ genus, qui certis veri Dei,& Angelorum nominibus adhibitis, quæ in ſacris literis inueniuntur, putant ſe ventura certò prænoſcere, ac certò etiam prænunciare, cum tamen hi quoq. ſuo decipiantur errore rebus inanibus, ac prorſus fallacibus detenti; nulla enim ars, nullæ diaboli præſtigiæ etiam rebus ſacris admixtæ eam vim habent, quam ſola ſibi vendicat diuina pręſcientia. Deniq. ſpectant etiam ad hoc genus pręditiones illę, quas ferunt Incantatores Necromantici, qui ad elicienda de rebus futuris reſponſa mortuorum cadaueribus vtuntur; licet enim apud Heliodorum quædam ex his effectuum ſortitæ dicantur, quemadmodum etiam apud Lucanum lib. 6. perhibetur Erictho defuncti cadauer erexiſse ad extorquendum rerum reſponſa, quæ poſtmodum contigere

Protinus aſtrictus caluit cruor, atraque fouit
Vulnera, & in venas extremaque membra cucurrit
Percuſſæ gelido trepidant ſub pectore fibræ
Et noua deſuetis ſubrepens vita medullis
Miſcetur morti. Tunc omnis palpitat artus
Tenduntur nerui, nec ſe tellure cadauer
Paulatim per membra leuat, terraque repulſum eſt
Erectumque ſemel

Q Hæc

Hæc tamen omnia, vel prorsùs commenticia cenſenda ſunt, iuxta id quod ſcribit Herodotus lib. 6. de Meliſsa, cuius anima Periandro marito quærenti, vbi eſsent pecuniæ hoſpitis, reſpondit, ſe reſpondere non poſse, quia nuda eſset frigori expoſita; vel certè diabolica ſunt, nam Dæmones illa cadauera ſolent erigere, atque per eorum ora belli euentus, alioſque caſus inopinatos enunciare; nec enim anima, quæ cadaueris olim forma fuit, poteſt ab inferis ope Dæmonis reuocari, aut in priſtinum reſtitui, cum nulla vi, quæ naturam non ſuperet poſſit à priuatione ab habitum fieri regreſſio. Quodcunque igitur ſit diuinationis genus per Necromantiam, ſiuè per Necyomantiam, ſiuè per Sciomantiam, quæ ſunt ipſius Necromantiæ partes, ſemper ſcelus exitiale eſt, ſemper fallaciſſimum exiſtimandum eſt.

149 His addendæ ſunt diuinationes per exta puerorum ad cognoſcenda futura inſtitutæ, quæ Anthropomanticæ dictæ ſunt, quibus præſertim, refert Strabo lib. 3. vſos fuiſse omnes populos, qui humanis hoſtijs litarunt, qui humanis quoque extis futura non tam prædicere, ac coniectare conati ſunt, ſed etiam præcanere ex eorum indicijs, cum noxia eſsent. Addendæ etiam diuinationes Lecanomanticæ, Gaſtromanticæ, Catopromanticæ, Onychomanticæ, Hydromanticæ, Geomanticæ, Pyromanticæ, Aeromanticæ, Capnomanticæ, Omphalomanticæ, Lythomanticæ, Ceromanticæ, Daphnomanticę, Onomathomanticę, Arithmomanticę, & alię decem, & octo, quas profert Bulengerus li. 3. in quibus aliquid incantationis admixtum ſit, vel aliud eiuſmodi ſpectans ad diabolicas prꝺſtigias, quibus omnibus nulla fides adhibenda eſt, quemadmodum diſcurrendo per ſingulas alibi ſtatuemus.

Digitized by Google

DISSERTATIO XXX.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex Cabaliſtis.

PAVCA quædam hoc loco de Cabala nobis tangenda ſunt, 150
cum plura de hac arte, aut ſcientia proferat Picus Mirandulanus in Apologia, & etiam in ſuis Concluſionibus; licet enim pleriſque horrendum hoc Cabalæ nomen videatur, ſi tamen eiùs ſignificatio rectè accipiatur, nihil aliud indicat, quam ſcientiam quamdam, quæ vocatur ſcientia receptionis, cum idem prorſus ſignificet Cabala apud Hebræos, quod apud nos receptio; refertur namque iſtius ſcientiæ receptionis ortus vſque ad Moyſis tempora, quibus non tantum à Deo in monte legem quinque libris contentam accepit, quam etiam ſcriptam reliquit, ſed eiuſdem legis expoſitionem veram, ac germanam, cum manifeſtatione omnium myſteriorum, & ſecretorum, quæ ſub cortice, & rudi facie verborum legis continerentur; quæ duplex legis receptio duplicem quodammodo etiam apud alios legem receptam fecit, literalem aliam, quæ ſcripta eſt à Moyſe, & ex præcepto Dei populo communicata; alteram verò ſpiritalem, quæ ex eiuſdem Dei mandato non fuit ſcripta, ſed ſapientibus ſolum, qui erant ſeptuaginta communicata, quos idem Moyſes ex præcepto Dei elegerat ad cuſtodiendam legem, eis itidem pręcipiens, ne eam ſcriberent, ſed tantum ſucceſſoribus ſuis viua voce reuelarent; tum & illi alijs, & ſic ordine perpetuo; ex quo modo tradendi iſtam ſciẽtiam per ſucceſſiuam ſcilicet receptionẽ vnius ab altero dicta eſt iſta ſcientia, ſcientia Cabalæ; licet poſtmodum Cabalę myſteria fuerint ſubſecutis temporibus literis conſignata, idque pluribus diſtinctis libris vſq; ad numerum ſeptuaginta librorum Eſdræ tempore, qui fuit Præfectus Synagogæ; nam vſque ad tempus Eſdræ nihil erat ſcriptum, ſed ſolum, vt dixi, per ſucceſſiuam receptionem tradebatur. Fatetur autem Picus Mirandulanus in Cabalæ ſtudio admodum verſatus ſe in illis ſcriptis Cabalæ libris, multa, imo omnia inueniſſe conſona fidei noſtræ.

151 Verum, quia iſte modus tradendi per ſucceſſionem, qui dicitur Cabaliſticus, videtur conuenire cuiq. rei ſecretæ, & miſticæ; hinc eſt, quod vſurparunt Hæbræi, vt vnamquamq. ſcientiam, quæ apud eos habeatur pro abdita, & abſcondita, Cabalam vocent; & vnumquodq. ſcibile, quod per viam occultam aliunde habeatur, dicatur haberi per viam Cabalæ; Atq. in vniuerſum duas ſcientias hoc nomine præſertim cohoneſtarunt, vnam, quę dicitur ars combinandi, & eſt modus quidam procedendi in ſcientijs, ſimilis illi, qui apud noſtros dicitur Ars Raymundi Lulli, licet fortè diuerſo modo procedant; Aliam, quæ eſt de virtutibus rerum ſuperiorum, quæ ſunt ſupra Lunam, & eſt pars Magiæ naturalis ſuprema; quibus duabus ſcientijs, tametſi nomen Cabalæ ex primaria, & propria impoſitione non conueniat, tranſumptiuè tamen potuit eis applicari. Verum ſicut olim Magi tantum dicebantur Sapientes, poſteà verò etiam diabolici viri ſapientis nomen falsò ſibi vendicantes, Magos ſe vocaueruntç ita & quidam apud Hebræos res diuinas falſis, ac vanis ſuperſtitionibus polluentes iactarunt ſe habere ſecreta Dei nomina, & abditas, ac retruſas diuinitatis virtutes, quibus & Dæmones obligarent, & miracula ederēt, & futura prænunciarent; Quorum perdito hominum generi pleriq. alij ſe adiungentes ex eo præſertim Cabaliſtarū nomen ſibi vſurparunt, quod ex quibuſdam literarum, numerorum, figurarum, linearum, punctorum, & accentuum myſterijs planè occultis res omnes venturas coniectarent, ac prædicerent, affirmantes ea omnia, vtpotè vulgo ignotiſſima eſſe magnorum arcaniorum ſignificatiua; cum tamen illa eſſent ex proprio placito inuenta ad decipiendos homines excogitata; hiſque potiſſimum Cabaliſtarum prædictionibus negamus eſſe fidem adhibendam, cum nulla ratione nitantur, imo à genuina Cabaliſticæ artis exercitatione quammaximè aberrent.

152 Quod ſi quandoque deprehenſum ſit artis Cabaliſticæ reuolutionibus ſæpe mira arcanorum, rerumq. abditarum enunciari myſteria; quemadmodum pleraq. confixiſſe Rabanum Monachum latinis characteribus, ac verſibus inſertis varijs imaginibus, qui quàquà verſus lecti, per quælibet ſuperficiei, ac imaginum lineamenta aliquod enunciant myſterium, depictæ illic hiſtoriæ repræſentatiuum, hoc nihil aliud putandum eſt, quam luſus quidam ingenij, quo otioſi homines in literis, punctis, numeris, & characteribus occupati ad quoddam oſtentationis genus exercentur; qui luſus etſi nonnunquam magna ſonet myſteria, nihil tamē ſolidi probare, aut euincere poteſt; cum etiam ex prophanis literis myſteria pro libito queant extorqueri, quod conſtat exemplo Valeriæ Probæ, qui ex Virgilij carminibus compoſitos edidit de Chriſto Centones. Poſſunt namque ad libitum diſcerpti characteres, & numeri ſponte per literas diſpoſiti ad quæcunque exprimenda myſteria adaptari, ſi æquè cum ingenio volentis patientia laboret, & manus. Quò apertè innoteſcat hoc Cabalæ genus tanquam ſuperſtitioſum eſſe omnino improbandum, cum ab eiuſmodi Cabaliſtis verba, nomina, & literæ ſparſim in Scriptura poſitæ pro arbitrio ſuo colligantur, diuidantur, transferantur; ſicque altera ex altero facto membra veri-

veritatis ſoluantur,& parabolę hinc inde ex proprijs fictionibus conſtruantur; ex quo etiam Cabaliſtarum genere dicuntur prodijſſe Ophiras, Gnoſticos, atque Valentinianos hęreticos,qui ipſi quoq. cum diſcipulis ſuis græcam quamdam Cabalam commenti ſunt, omnia chriſtianæ fidei myſteria præuertentes, & hæretica prauitate ad græcas literas, characteres, & numeros pertrahentes, docentes abſque illis literarum, ac numerorum myſterijs in Euangelicis literis non poſſe veritatem inueniri.

Non ſolum autem ijs nugis inflati ineffabilia Dei myſteria, & arcana, quæ 153 ſupra captum ſunt, & ſcire iactitant, prorſus ignorant, ſed neq. poſſunt, vt fingunt, per Cabalæ virtutem aut de futuris diuinare, aut miracula facere; at præſertim quoad miraculorum operationem nemo tam ſtolidæ mentis poterit eſſe, qui credat, ſibique aut alijs perſuadeat poſſe per id artis Cabaliſticæ genus miracula patrari; In qua re pluſquam palmari delirarunt errore, qui putarunt Moyſem ſola Cabalæ virtute tot ſigna edidiſse, ranas, muſchas, locuſtas, & alia mala in Ægyprios immiſiſſe, ſuoſque deducentem mare aperuiſſe, fontem de petra, coturnices de cælo produxiſſe, aquas amaras dulcoraſse, fulgora, & nubes per diem, columnam ignis per noctem ſuis præmiſiſſe, vocem Dei viuentis ad populum de cælo deuocaſse; arrogantes igne, murmurantes lepra percuſſiſſe, malè merentes ſubita ſtrage, alios terræ hiatu abſorptos effeciſse, populum cæleſti cibo pauiſſe, ſerpentes venenatos placaſſe, turbas ab infirmitatibus curaſſe, & id genus alia pleraque edidiſse. Quo etiam errore ducti ſunt, qui dixere hac miraculorum arte Ioſue ſtare Solem præcepiſse, Eliam igne de Cælo prouocaſse, Danielem Leonum ora perſtrinxiſse; tres pueros in camino æſtuãtis incendij carmina cecinisse, Salomonem omnia excantamenta exercuiſse, Chriſtum deniq. tot admiranda peregiſſe; nullum enim Cabalæ genus, quamuis præſtantiſſimum ſit eò pertingere ſua vi poteſt, vbi, quæ fiunt, ſupra omnem naturam attolluntur; quod ex ſe ſatis conſtar, neque tam perſpicua veritas vlterioribus eſt infuſcanda rationibus.

De Cabala numerica, quam alibi reiectam attulimus, non ſupereſt hìc aliud 154 proferendum, quo eius inanes omnino prædictiones vlterius ab omni fide vindicentur; notum enim iam ſatis eſt numeros illos pro hominum lubito ſingulis literis, & characteribus deputatos nihil certi portendere poſſe, aut diuinare, cum deputationes illæ, & combinationes numerorum cum characteribus merè fictitiæ ſint, eo quandoque data opera conſtructæ, vt ea, quæ volumus, nobis enuncient; quemadmodum videre licet in hac characterum, & numerorum combinatione

A.	b.	c.	d.	e.	f.	g.	h.	i.	l.	m.	n.	o.	p.	q.	r.	ſ.	t.	u.	x.	z.
1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.	10.	20.	30.	40.	50.	60.	70.	80.	90.	100.	150.	200.

Henricus,	Quartus,	Galliæ,	Rex,	Occidetur,	Anno,	Domini
305.	501.	42.	225.	324.	101.	112.

1610.

Qui

Qui numeri, ſi diuerſimodè ſingulis characteribus deputarentur, aliæque fierent combinationes, aliquid aliud ſanè enunciaret; nō enim in affigendis eiuſmodis numeris aliqua certa regula ſupponenda eſt; & ſi ſupponeretur, cum ea quoque eſſet ex hominum inuento, nullam poſſet de re ipſa fidem conciliare; præſertim cum hæc & ſimilia ad exercendum dumtaxat ingenium fuerint excogitata, quibus potius ludere licet, inquit Gregorius, quam ſeria quædam ludo interueniente proferre.

DISSERTATIO XXXI.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex Cingaris.

CINGAROS, ſiue Cingalos hoc loco appellamus viros quoſdam errones, errabundos, vagos, ſæpè etiam maleficos, & flagitioſos, quorum colluuio adhuc incertum eſt, vnde fluxerit, licet multi de ipſis multa dicant; noſque hùc eos ea tantum de cauſa vocamus, quod dicantur eſſe de genere vaticinantium, tametſi hoc officium vaticinandi dicatur potiſſimum inter fœminas verſari, quæ tota iam penè palantes Europa quocunque locorum iam permeant, infulſa vbique fundentes vaticinia. Ex qua vero regione, aut cæli plaga ortum duxerint Cingali, non ſatis conſtat apud Scriptores; nam Cælius Rhodiginus lib. 18. cap. 38. putauit fuiſſe Mauriſios quoſdam Africæ populos, quos accepimus fuiſſe ſolitos degere in paruis tugurijs, & humi ſolo nudo cubare; ſemperque caruiſſe bonis illis, quibus humanior ſolet tranſigi vita, qui profectò mores ijs omnino reſpondent, quibus vtuntur hoc tempore Cingali noſtri. Suſpicantur alij eiuſmodi homines profectos ex illo Hiſpaniæ tractu, vbi fluuius eſt Cinga, cuius mentionem facit Lucanus initio lib. 4. 155

Explicat hinc tellus campos effuſa patentes.
Vix oculo prendente modum, campoſque coercet
Cinga rapax, vetitus fluctus, & littora curſu
Oceani pepuliſſe ſuo: nam gurgite mixto
Qui præſtat terris aufert tibi nomen Iberus.

Qui tamen non multam opinionis ſuæ obtinent fidem, cum Cingaros æliunde dictos etiam habeamus. Alij denique & fortaſſe prudentiùs, ac vero ſimilius Scythicam hanc fuiſse gentem, ſiue Tartaricam putarunt à Cingo Fabro magno eius quondam duce ſic appellatam, qui ſalutis anno milleſimo circiter, & centeſimo ſexageſimo latè ditionem habuit, eiuſque poſteri, Tamerlane præſertim

ſertim Imperatore, viciniora loca, & propinquiores Europæ oras, ac prouincias vexarunt; quos etiam partim fuiſſe Iudæos ferunt, partim Turcas, partim adulterinos, ementitoſque Chriſtianos, partim etiam Ethnicorum ſuperſtitionibus deditos, quale prorſus Tartarorum eſt genus diuinandi ſtudio, præſertim per Chiromantiam, addictum; hacque de cauſa Albertus Crantius lib. 2. Saxoniæ hos errones Cingaros ait vulgo Tartaros fuiſſe compellatos, ex eo quod Tartari ſimilem Cingaris vitam ducant, rapacem, irreligioſam, ferinam.

156 Qualecunque ſit, aut vndecunque ſit Cingarorum genus, nullam in diuinationibus ſuis promeretur fidem, ea præſertim de cauſa, quod ſit genus gentis ignarum, ac rude, nullam veram diuinandi artem callens, licet diuinationem exerceat; quod ſatis ex eo conſtat, quod inter Cingaros vaticinantes præſertim ſunt fœminæ, quæ nullius rei, nec ſui interdum benè compotes ſunt; cum etiam ex fœminis ad hoc munus potiſſimum deſtinantur anus deliræ, quæ plura ſciſcitantibus pollicentur, præſertim bonos maritos, vxores probas, filiorum numerum, & id genus alia, quæ ipſæ ex innata calliditate nouerunt grata fore; idque eo ſemper agunt intento, vt nummos extorqueant. Additur non eſſe vero ſimile, quod Cingari hanc artem diuinatricem quoquo modo ſortiti ſint, vel à Deo, vel à maioribus, vel à ſtudio, cum ſit multorum opinio Cingaros ex minori Ægypto primùm fuiſſe digreſſos, immo expulſos Deo iubente, atque impellente, quò pro irrogata Deo iniuria luerent pœnam in continua peregrinatione conſtitutam; ferunt enim Cingaros quotidie patria extorres peruagari, vt tali exilio dent pœnas inhumanitatis, quæ fuit in maioribus ſuis aduerſus Deiparam, eiuſque filium, quod eos in Ægypto peregrinos noluiſſent hoſpitio recipere. Denique cum Cingari ad diuinandum Chiromantia potiſſimum vtantur, huiuſque prædictiones ſint ex dictis à nobis valde inanes, & mendaces exiſtimandæ, ſequitur hinc quaſcunque ipſorum prædictiones vel maxima ſuperſtitione laborare, vel ſanè ſumma ignorantia; Neque in hac re fides adhibenda eſt Silaci hiſtoriæ Conſtantinopolitanæ Scriptori, qui narrat Cingaras Michaeli Balbo primum Orientis imperium prædixiſſe, quod etiam tradit poſtea fuiſſe conſecutum; Id enim alij, ſi quæ fides adhibenda eſt eiuſmodi prædictionibus, adſcribunt quibuſdam Chaldæis, non Cingaris; cum Chaldæi ſemper fuerint artis diuinatricis peritiſſimi; quod de Cingaris affirmari non poteſt.

DIS-

DISSERTATIO XXXII.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex Sortilegis.

INTER Sortes, quibus occulta, ignota, aut futura detegi 157
opinabantur Veteres, celebres potiſſimum ſunt apud hiſtoricos Lyciæ, Deliæ, Præneſtinæ, Antiatinæ, quibus veluti diuinatorijs vtebantur; tantaque colebantur religione, vt eas conſulturi, non niſi ſolemnibus luſtrati ritibus accederent, & adeſse his peculiaria Numina, quæ miſsas ſortes diſpenſarent, crederent; ſed quam fuerint ſemper diuinatoriæ ſortes à veritate alienæ, quam commenticiæ, impiæ, atque artifices ſuos fallentes, vel ipſa ratione, quæ omni æuo vim habuit, ſatis oſtenditur; cum omnis determinatus euentus à cauſa determinante, atque deliberante proficiſcatur, neque fortuitum aliquod contingere poſſit, ad quod vis primæ cauſæ ſuam actionem, ac directionem non præſtet; quo fit, vt nullum habeant diuinatoriæ ſortes, quo nitantur, quiue excuſari poſſint, fundamentum, ac propterea nulla ipſis ſit fides adhibenda. Quin Ethnici ipſi ſapientiores ſortium vanitatem intuentes ſemper in futilia euaneſcentem, ne fortuitas, ac ſine ratione conſtitutas notas, quibus futuri arguebantur euentus, viderentur adſtruere ſine aliqua cauſa eas moderante, ſeù ordinante, finxere ſortitiones omnes notarum, ſeu figurarum ventura præſignantium vel ab aliquo Numine ſpecialiter adſtante gubernari, vel in aſtrorum conſtitutionem eſse referenda, quæ mira quadam vi artificum ſortientium manus regerent; adeò enim aſtris ſubdita, atque addicta eſſe volebant, quæcunque extremus mundi orbis circumflexu ſuo cingit, vt ea non tantum, quæ noto, ac conſueto ordine progrediuntur, afficiant, ſed etiam cætera nobis inſueta, inſperata, atque inopinata moderentur; ex quorum poſtea obſeruationibus interpretes ſortileges ſenſu quodam diuino euenturos caſus non tantum præſciant, ſed etiam declarent, ac renuncient; Cum tamen hęc omnia ſemper in ſupremũ rerum moderatorem, eiuſq. prouidentiã fuerint

contumelioſa, vt conſtabit ex ipſa ſortium enumeratione, ac tractatione apud ipſos Veteres.

158 Prima diuinandi ratio ex ſortibus ea fuit, quæ per talos, ſeu teſſeras exercebatur, quæ nimirum ex iactatis ſorte teſſellis captabatur; & hæc diuinandi forma ita leuis, ac ridenda erat, vt ex ſummis talorum faciebus caſu conuerſis, aut ex ijs, qui teſſeris inſiti erant, characteribus, de euentibus diuinarent, aut ad quæſita reſponderent; non animaduertentes in ea caſu facta iactatione nullā poſſe eſſe cum euentibus connexionem. Quod diuinandi genus vſurpatum eſt præſertim apud Burenſes in Achaia, vbi Oraculum Herculis fuit ex talis, & abaco conſtitutum; ibique de re quapiam conſulturi, poſt reddita Deo vota, preceſque, talos quatuor iaciebant, quorum ſitum, & figuram, cum inſpiceret Oraculi Præſes, quid euenturum eſſet iuxta talos in abaco literis expreſſum inueniebat, erantque tali omnes ex hoſtiarum oſſibus arte fabrefacti: Altera diuinandi ratio per ſortes fuit apud Præneſtinos, quæ diutiſſimè claruit, cum reliquæ penè abolitæ eſſent; hæcque inuenta fuit à Numerio quodam Suffio honeſto, ac nobili viro, qui cum ſomnijs crebris, ad extremum etiam minirantibus iuberetur certo in loco ſilicem cedere, perterritus viſis, ſuis ciuibus licet irridentibus, id agere cæpit; atque perfracto ſaxo mox ſortes eruperunt, ſcilicet quædam ſaxo inſculptæ priſcarum literarum notæ: qui poſtea locus ſeptus religioſè eſt, atque in eodem ſita Fortunæ ædes, ad quam confugiebant per ſortes diuinaturi; hiſque præſertim Domitiano Cæſari mortem fuiſſe prænunciatam creditum eſt. Altera denique diuinandi ratio per ſortes, quæ dicuntur Antiatinæ, apud Romanos fuit, & ferè ſimilis perhibetur cæteris hactenus deſcriptis, quæ præſertim inſignes dicuntur ex morte Caij Caligulæ, quæ per ipſas fuerat prænunciata. Aliæ ſortiendi, ac diuinandi formæ per ſortes, quæ Antiquorum vſu inoleuere, ab his non longè diſcrepantes recenſentur; Quales præter Gelias, & Lycias erant Geomanticæ diuinationes, quæ fiebant ex punctis, figuriſque ſexdecim ſorte conſtitutis; quas figuras primi diuinatores eiuſmodi compoſuerunt ex punctis digeſtis in certas ſpecies, neſcio, an caſu, vel iudicio, atque ad duodecim Zodiaci ſigna, ſeptemque planetas adaptarunt, vt ſic perſuaderent imperitis, è cælo in illas figuras, quæ ab artificum manibus formabantur, vim quamdam illabi, quæ ventura dirigeret, ac deſignaret.

159 In his omnibus, & ſimilibus quanta ſit vana ingeniorum occupatio, ac ſtoliditas facilè rationibus ſuadebitur; nullam enim veri ſpeciem ea omnia præ ſe ferre poſſe veritas ipſa demonſtrat; Etenim fortuitum omne, aut prorſus eſt fortuitum; ſcilicet, aut ſine ordine, lege, authore, principio incitante, & regente fertur ſuopte nutu; aut ab aliqua cauſa prouenit, quæ præter opinionem, & expectationem noſtram illud obijcit, atq. prodire facit; Si primum affirment, facilè reuinci poſſunt, ac cōfutari ex perpetuo totius naturæ rerū conſenſu, ac ſacrarum literarū authoritate, quibus ſatis demōſtratur concinnā hanc, atq. pulcherrimā rerū molē, ac ſeriem, nexas inter ſe, copulataſq. habere cauſas vſq. dū per-

pertingatur ad aliquam primam, quæ omnia moderetur conſilio, ſapientia, ac prouidentia; non enim in effectuum, ac cauſarum ordine, ac ſerie in infinitum poſsumus abire, vt fatentur Philoſophi, & Theologi omnes: Pręterea cum ſit vel ipſo naturæ lumine omnibus inſitũ hoc pronunciatũ nihil fieri ſine cauſa, videtur omnino ab ipſa natura aborrens illud principiũ, quo ſtatuitur, poſſe aliquid contingere ità fortuitò, vt nullam habeat cauſam, nullumq. ſui principiũ agnoſcat. Si verò fortuitũ omne regi ab aliqua cauſa conceſserint, cum in ſortium tractatione, earumque diſpoſitione ad prænunciandos euentus nulla alia vis cauſæ interueniat, quam diuinæ, quæ nemini, quæ agenda ſunt, facilè reuelat, etiam ex hoc ſequitur nullam ex illis poſse certam diuinationem inſtitui; vel ſi inſtituitur, Deo potius quam ſorti eſse diuinationem adſcribendam; vel ſi non Dei, Dęmonis opus eſse cenſendam, cum nihil tale Geomantici characteres, numeri, vel figuræ, quæ in tractandis ſortibus ſolent exerceri, ex ſe ipſis habeant, nihil à materia, qua conſtant, nihil ab artificum manibus, nihil denique à cæli, vel aſtrorum influxu.

Qua ratione neq. fidem volumus eſse adhibendum diuinationi ex nomini- 160
bus, ac numeris inſtitutæ, quam ortam ſcriptores tradunt à Pythagoræis, qui literarum elementis certos, diuinoſq. numeros tribuerunt, & numeris ipſis vim quamdam futurorum, & occultorum pręſagam, numeros cum ſtellis, & planetis hoc modo connectentes, vt ſcilicet vnitatem, & quaternionem Soli, binarium Mercurio, Ternariũ Ioui, Senionẽ Veneri, Septenariũ Lunę, Octonariũ Saturno, Nouenarium Marti; ſic rurſum vnitatem Leoni, Binarium Aquario, Ternariũ Capricorno, Quaternarium Sagittario, Quinariũ Cancro, Senarium Tauro, Septenarium Arieti, Octonarium Libræ, Nouenarium Scorpio, Denarium Virgini, Vndenarium Piſcibus, Duodenarium Geminis accõmodantes; Quæ diſtributio ea fortaſſis ratione facta eſt à Pythagoræis, quod Sol vnus ſit, & vno ac ſimplici motu circumferatur, quod etiam dignitate, luce, præſtantia, ac mole cæteros planetas antecellat, ijſq. lucem communicet, eo modo quo vnitas cæteros numeros præcedit, ac cõſtituit; addito ſoli etiam numero quaternario ob quartũ locũ, quem occupat inter planetas. Lunę quoq. aſſignatum fortaſse voluerunt numerũ ſeptenarium, quod ſeptem dierum ſpatio quartã ſemper cæli partẽ emetiatur, & quater ſeptẽ diebus curriculũ abſoluat integrũ. Sic Ternariũ in Iouem relatũ fecere, quod iſte numerus præ cęteris beneficus ſit, & maximè hominibus propitius, & ſic de cęteris; quæ tamen omnia quacũq. ratione facta ſint, nullam doctrinæ ſoliditatẽ retinent; cum omnis ex numeris diuinatio prorſus commenticia ſit, ac nugatoria, ex eo præſertim quod adhuc ignotum ſit vnde vis ſignificatrix, ac diuinatrix in numeris proueniat. Quo fundamento damnandi etiam illi ſunt, qui de re aliqua diuinaturi nomina eorum, de quibus futura ſcire volebant, reſoluta commutabant in numeros, Alphabetum in tres decadas diſtribuentes, in quarum prima ſimplices tantum numeros cõprehendebant, in ſecunda denarios, in tertia centenarios, ſic Cabalam numericã diuinatricem conſtituentes, quę licet à quibuſdã admittitur ad exercendũ ingeniũ,

Digitized by Google

non tamen omnino ſuperſtitione vacare credendum eſt, ſi numeris ipſis aliqua interna vis, vel extrinſecus accedens ad diuinandum, ſeu ad ſignificanda futura concedatur, cum ad hoc non ſint numeri inſtituti, ſed tantum ad ordinanda obiecta ſingularia ſenſibus ſubiecta, atque ad dirigendas quoquo modo intellectus operationes, ne in demetienda rerum quantitate confuſione percellatur.

Reliqua, quæ ad ſortes vel diuinas, vel politicas ſpectare dicuntur, non eſt opus hic recenſere, vbi tantum agitur de ſortibus diuinatorijs; Præſertim cum earum ſatis meminerint hiſtoriæ tum ſacræ, tum prophanæ. Sorte Athenienſes annuatim Duiros eligebant, erantque Duiri apud Athenienſes illi, qui ciuiles controuerſias, & rerum actiones, de quibus lis communiter popularibus oboriebatur, cognoſcebant, ac diſceptabant; differebant autem ab Areopagitis, quod hi perpetui eſſent, & ſine ſucceſſione, illi verò ſucceſſioni obnoxij, & annui erant ſortitione dati. Sorte Romani præſides iudiciorum publicorum iudicijs adſciſcebant. Apud Homerum Principes ſortiuntur ſortibus in galeam coniectis, eaque vibrata & agitata, quouſque exilirent ſortes, & eo ordine, quo cuiuſque ſors exigebat, vnuſquiſque cæteros antecedebat, idque ijs innuitur carminibus

Ocyùs ærata miſcemus caſſide ſortes
Magnanimi vero Eurylochi ſors exijt illa.

Qui ſortium vſus politicus non parum adfert momenti ad euitandas, ac prohibendas inter Ciues contentiones, ad dirimenda, & componenda certamina, quæ ſortibus ſæpè componuntur, & ſedantur facillimè. Varijs autem modis ſortes exercebantur apud Veteres, apud quoſdam tractabantur fabis, vel nigris, vel candidis; apud alios glebulis, vel calculis, quemadmodum etiam nunc apud Venetos globuli inaurati, & argentei vſurpantur, in quibus etiam tantæ Reip. magnificentia elucеſcit. At cum nihil ex his ad ſortes diuinatorias ſpectet, idcircò multa quæ in hac re dici poſſent, data opera omittuntur.

DIS-

DISSERTAT. XXXIII.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex Auguribus.

PRÆDICTIONES ferri ſolitæ ab Aruſpicibus, inſpectis 162
quibuſdam ſignis vel ex auium volatu, vel ex aliquo alio inopinato euentu Græci æquè, ac Latini certiores diuinationes arbitrabantur, iiſq. præ cæteris maximam impendebant fidem, cum tamen fortaſſe cæteris omnibus deteriores fuerint, ac longè fallaciores. Licet verò diuinationes huiuſmodi varia nomina apud Veteres tum Græcos, tum Latinos ſortita ſint, nequaquam tamen à nobis hoc loco diſtinguenda ſunt, cum pro eadem re communiùs vſurpata ſemper fuerint Aruſpicina, Augurium, Auſpicium, & omen, cũ ex his omnibus tanquam ex vno diuinationis genere, ac fonte futurorum indicia promanauerint, vel per obſeruationes, vel per interpretationes rerum futura portendentium. Receptum autem fuit apud Veteres notari, atque obſeruari quinque augurioru genera, ex quibus auſpicandis rebus, continuandis, aut abrumpendis accommodata præſenſio, ac prænotio futurorum peti putabatur; eorumque primum è cælo naſcebatur, alterum præbebant aues, tertium bipedes, quartum quadrupedes, quintum Diræ monebant. Hiſque adeò deditos fuiſſe conſtat priſcos Romanos pariter & Græcos, vt falſa ſuperſtitioſæ religionis opinione ducti, nihil bello, vel pace, domi, militiæuè ſuſciperent, gererentuè, niſi auſpicato; nec honores conferrent, aut dignitates, nec peractas magiſtratuum deſignationes ratas haberent, atque admitterent, niſi auguriorum accederet conſenſus, atque comprobatio; & Auguribus, vt authoribus, & moderatoribus omnium rerum vterentur, eoſque ad præcipua momenta, & conſultationes de ſumma rerum adhiberent; ſicque ſi quid inſueti accidiſſet, nunciatumue eſſet, ſtatim ad Augures referebatur; qui docerent, quid Dij præmonſtrarent, quiduè poſcerent, & de illorum reſponſis ſacra, aut nouata, aut redintegrata, aut reparata legimus apud Scriptores; quemadmo-

dum etiam veteri lege ſancitum erat, vt priuſquam augurandi ſcientia Romanis innotuiſset, hæc ad Hetruſcos deferrentur. Verba legis ſunt: Prodigia, & portenta, ſi ſenatus iuſſerit, deferunto, Hetruriæque Principes diſciplinam diſcunto; auſpicia ſeruanto, Auguri parento. Ex qua lege decreto Senatus ſex Optimatum filios Hetruſcis in diſciplinam tradi ſolitos, vt augurandi artem ediſcerent, proditum eſt; qua quidem arte Feſulæ claruerunt, vbi & domicilium, & collegium Augurum fuit.

163 Sic à Romulo ab initio conſtitutum fuiſſe legimus, vt in tribus Centurijs Ramnenſi, Titienſi, Lucenſi ſinguli eſſent Augures, qui ſacris cæremonijs, prædictionibus, & explanationibus eorum, quæ Dij monuiſſent, præeſſent; poſtea duobus adiectis collegij numerus in quinarium excreuit (imparem enim eſſe decere numerum arbitrati ſunt) donec tandem ne vltrà nouem augurarentur, Senatus conſulto cautum fuit: Sylla verò hoc Collegium, quindecim adiectis ad viginti quatuor vſque propagauit, & in loca mortuorum ſtatim alij ſubrogabantur; & ſemel collatus auguratus viuenti non adimebatur, etiam grauiſſimis intercedentibus cauſis; idcirco Fabius Maximus duobus, & ſexaginta annis auguratum geſſiſſe, vſque ad ſenectam vltimam magna cum laude memoratur. Munus erat Augurum præcipuum auſpicia captare, & contemplari ſigna rerum futurarum, Deorumque monita, lætauè eſſent, an piacularia; quiduè apporiarent, proſpera ne, an verò minacia, & calamitoſa; cum verò eſſent augurаturi congregabantur in fano, vt auguria concepta, vel relata interpretarentur; Augurumque dignitas tanta fuit, vt velut internuncios, & interpretes Deorum in Senatum adſcribi, & inter Patres legi fas eſse duceretur, & à primo orbis ortu ijdem & Reges, & Augures fuere.

164 Auguriorum illa, quæ ex Augurum diſciplina annuere, ac ſuffragari deliberatis, ſpondereque ſucceſſus rebus motis, aut de conſilio Senatus incipiendis proſpera, ac fauſta cenſebantur; Contrà verò quæ propoſito aduerſari, vel abrogare, aut improbare latas ſententias, & facta decreta de rebus quibuſcunque, vel detrectare ſucceſus infauſta, & piacularia putabantur. Vtrorumque alia oblatiua dicebantur, quæ non poſcebantur; alia Impetratiua, quæ optata veniebant; hæcque capturi Augures ex arce cælo non turbido, non procelloſo, ſed ſilenti, placido, ac ſereno lituum hoc eſt baculum à ſummo inflexum in parte, quæ robuſtior eſſet, manutenebant, & erat is inſigne augurale, quo cæli regiones deſcribebant, & deſignabant metas, intra quas ſe obſeruaturos ſigna conſtituerant; & quod dextrum eſſet, quodue ſiniſtrum, oculis animoque metiri poſsent. Aderant Augures augurijs ſuis velato capite, & duplici amicti toga augurali, quæ læna dicta eſt, vel trabea ex purpura, & cocco, vt Græci Augures, vel toga candida, vt Romani, defixis in cęlum oculis, & attentè, ac ſollicitè circumſpectis, ac perluſtratis cardinibus omnibus, ſicque expectabant, quid eueniret.

165 Varijs tamen modis auguria captabantur. E cælo tonitrua, & fulmina auguria

guria dabant in hunc modum. Si impari numero intonuiſſent; ſi ex ortu emiſſa fulmina in eamdem partem redijſſent; ſi excuſſa nubibus à terra reſilijſsent, ſi crebris in ſublimi ignibus fulſiſsent, ſi fulgura à ſiniſtra in dextram emicuiſsent, proſperos euentus, & ſummam felicitatem nunciare hæc à Dijs putabantur; non enim tam aduentus ſpectabatur fulminum, quam reditus; & ſi ſerena tempeſtate tonuiſset, lumineſque, aut ædes ſacræ tactæ eſſent, infauſti auſpicij eſſe notabatur. Si ab occaſu tonitrua increpitaſsent, aut per Septemtrionem in Occaſum tranſcuriſsent, diros euentus, & calamitates portendebant. Sic Marco Craſso, quæ trans Euphratem metatus fuerat bis icta fulmine, cladem, quam paulò poſt perpeſſus eſt; deſignauere. Sic Paulo Æmilio ſacrificanti ad Amphipolim fulmen Cælo elisum, cum ſacra combuſſiſset, regni amiſſionem denunciauit. Diſtinguebantur autem ipſa fulmina authoribus, vſu, & finibus; Romani diurna Ioui, nocturna Sumano, quem Plutonem dicebant, attribuebant; & ea quæ ſolus Iupiter eiacularetur, læta promittere, quæ vero habito Deorum conſilio, aduerſa minitari putabantur.

Ex auibus diuerſimodè etiam ſumebantur auguria. Aquilæ ſi dextra par- 166
te aduolarent, ſique patulis, & porrectis perſtreperent alis omen futuri boni certiſſimum præbebant, Homero teſte. Sic Ariſtander augurio Aquilæ traijcientis in hoſtes Alexandrum victorem portendit ante conflictum. Cum Tarquinio Priſco Aquila Pileum detractum capiti euexiſset in ſublime, moxque repoſuiſset, regnum ei ominatum ferunt. Fætus Aquilarum implumes à vulturibus roſtro, pedibuſque à paſtu abacti, & raptati, conceptique cum ipſis nidis Tarquinio ſuperbo exilia portenderunt, ac regni amiſſionem. Iaculum de ſatellitum manibus roſtro extortum, & deiectum in profundum ab Aquila Dionyſio Syracuſano regnum abrogauit, & diras incuſſit calamitates. Penè innumera ſunt deſumpta ab Aquilis auguria, quæ non licet hic recenſere. Hirundinum circumuolutationes, decubitus, vel inſeſſiones ſemper infauſtæ habitæ ſunt; Earum conſpectus Dario in Scythas cum exercitu proficiſcenti interitum, conſeſsus verò in Pyrrhi tabernaculo, & naue Antonij funeſtas vtrique clades attuliſse creditum eſt. Columbam augurium deſignare felix Homero placuit. Præpoſteros, aut Veſpertinos gallorum cantus optimi euentus ſigna aliqui notauere, ac præſertim Themiſtocli pridie quam in Perſas mouit, galli triumphale carmen cecinere, & cantu certam declarauere victoriam. Gallinarum cantus nunquam exauditi, niſi quando dirum aliquid immineret. Corui inauſpicatæ garrulitatis aues, ſi ab ortu occinerent clara voce præſentem fælicitatem ſignificabant, ſi ab occaſu proclamarent, exitium apportabant. Bubo funebris, & maximè abominatus publicis præcipuè auſpicijs, noctis monſtrum; nec cantu aliquo vocalis, ſed gemitu, ſi in luce viſeretur, dirum oſtentum præbebat. Milui diri ſemper, atque inauſpicati ominis fuere. Noctuam ſi volaſset, victoriam nunciare, ſi ſereno cecinisset, turbare aerem; ſi tempeſtate occineret, ſerenare, obſer-

uatum

uatum eſt. De alijs quoque animantibus vel bipedibus, vel quadrupedibus plura alia extitere auguria, quæ tamen omnia hic commemorare non eſt opus, cum ſint ſatis ea, quæ tacta ſunt de alijs animalibus, vt clarè deprehendamus omnia ſuperſtirioſa fuiſſe, nullamque ipſis adhibendam fidem, quemadmodum etiam apud Veteres malè adhibitam fuiſse hoc loco teſtamur, & ex dicendis magis patebit.

167 Cum itaque omnem augurandi rationem hominum ſuperſtitio ex Dei omnia prouidentis, ac diſponentis ignorantia orta pepererit, ſtatuendum eſt, eam ſemper commenticiam, ac falſam fuiſse, nullaque fide proſequendam; nulla enim explicari, aut inueniri cauſa poteſt, cur hæc potiùs illauè per auguria deſignentur, quam alia, quæ tamen ijſdem penè augurijs ſæpiſſimè conrigere; & licet auguriorum euenrus ſæpè compleuerint Dæmones, ipſis Auguribus adſtantes, animalia ipſa mouentes, atque inſolita edentes auſpicia, vt plurimum tamen aberrarunt inſcij euentuum, vt plurimum etiam ipſos Aruſpices decepere, vt violatæ religionis ſuperſtitionem augerent; nihil enim ea omnia ſemper fuere ad effectus cauſarum, qui ordinantur in natura; neque auium, vel cęterorum animantium genera in eum condita ſunt finem, vt motu, cantu, vel volatu de Dei voluntate circa ventura teſtificentur. Et licet plerique ex catholicis doctoribus affirment non eſſe inficiandum, poſſe aliquid aliquando inuſitatum contingere, quod futura portendat, vel Deo ipſo mouente, vel Dęmone tumultuante, atque imminentes calamitates ex Dei permiſſione parantes; tamen ex his neque captanda auguria, neque anxia ſollicitudine, arque ſuperſtitione obſeruanda, aut penſitanda eſſe iubemus; non enim quilibet euentus in omen conuertendum eſt; quemadmodum nec locum habet hic obſeruationum diuturnitas, & monumentis teſtata, ac conſignata antiquitas, aut ſignificationum, præſenſionumq. cum euentis conſenſio; affert ſiquidem longinqua vetuſtatis obſeruatio in ijs rebus, quæ cauſam habent à natura, mirabilem ſcientiam; verũ in eiuſmodi auguriorum diuinationibus, cum nullus euẽtuum cauſas rimetur, ſed ſolum pro libito inter fallaces coniecturas vagetur, nihil ſolidi ad veritatem euentuum pertinentis erui poteſt; & cum mundus ſola diuina prouidentia adminiſtretur, hæc ſola ſit, quæ rebus conſulit humanis, valdè ineptum eſt id augurijs, atq. inopinatis caſibus adſcribere; quapropter augurij damnatio extat etiam in ſacris literis rigoroſa ſententia confirmata Deut. 18. Ariolus, Aruſpex, & Augur abominatio eſt Deo.

168 Quin etiam apud Ethnicos antiquiores, & ſaniores ſtultiſſima auguriorum vanitas ſemper improbata eſt, ac reiecta; præ cæteris Marcus Varro ſapientiſſimus vir intuens errores augurantium futura ex animalium extis, ex auium motibus, ac volatibus, dixit Deos non tantum otioſos eſſe, ſed etiam ſordidos, cum in iecorum, & viſcerum ſterquilinia ſua occulãt conſilia ab inſanis ſacerdotibus manifeſtanda: Et Hector apud Homerum grauiter Polydamanti metu augurij pugnam detrectanti reſpondet, Vnum eſſe augurium optimum, & a Deo mandatum, fortiter, nimirum, patriam defendere

Tu verò

Tu verò me præpetibus parere iubeſque
Augurijs, quæ ſperno equidem, quia vana videntur.
Seù dextrâ ſpectentur aues, phaetontis ad ortum
Siue ſiniſtra petant obituri limina Solis.
Conſilio magni Iouis, at nos fidere oportet
Quem penes eſt hominum Diuumque æterna poteſtas
Optimum id auſpicium eſt, patriam pugnando tueri.

S DIS

DISSERTAT. XXXIV.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex Somnijs.

169 OMISSIS hic Artemidori ineptijs, quibus conatur omne ſomniorum genus interpretari, ijſque omnibus vim aliquam vatidicam inſerere; relictis etiam Stoicorum deliramentis, qui ſomnijs, cuiuſcunq. ordinis eſſent, aliquid fidei habendum eſſe putarunt, adhærentes Orpheo, qui ea protulit verba

Alas extendens mitte ſomnium
Nuntians futura hominibus.

Neglectis tandem Poetarum fabulis, qui poetico more cum Homero ludentes duo prima faciunt ſomniorum genera, quorum alterum ſemper verum eſſet, alterum falſum, de quibus ea habet Virgil. 6. Æneid.

Sunt geminæ ſomni portæ, quarum altera fertur
Cornea, qua veris facilis datur exitus vmbris
Altera candenti patefacta nitens Elephanto
Sed falſa ad Cælum mittunt inſomnia manes.

In quatuor tantum potiora capita ſomniorum numerus eſt contrahẽdus, quorum alterum dicitur purè phyſicum, alterum præſagiens, alterum diuinum, alterum deniq. diabolicum; & licet hæc omnia dicantur aliqua quoquo modo præſagire, nimirũ vel verò, vel falsò, ea tamen dumtaxat præſagientia ſomnia cõpellantur, ex quibus nulla vi interpoſita ſiue phyſica, & naturali, ſiue diuina, ſiue diabolica aliquid euenturũ coniectatur, quod etiã vt plurimum vulgo creditur; atq. de his præſertim hoc loco diſſeritur, nam de cæteris, quæ ſuas habẽt cauſas cũ euentibus connexas, ipſiſq. adaptatas, nõ erit fortaſſe à veritate, atq. à ratione alienũ fidẽ aliquã ſubire, quẽadmodũ cõtingit in medicis, qui nõ rarò ex ſõnijs morbos imminẽtes diuinãt, & etiã in Philoſophis, qui ex ſõnijs de humorũ, ac corporis tẽperamẽto iudiciũ ferunt. Sõnia verò præſagiẽtia, ſeu varidica quatuor ipſa quoq. gradibus diſtinguũtur apud cõiectores; primus illorũ eſt

quæ

quæ & ipſa ſpecie, quæ offertur, læta ſunt, & ſignificatis proſpera, ac ſalutaria pollicentur, quale dicitur fuiſſe ſomnium Pincernæ Pharaonis; Alter gradus eorum eſt, quæ & ſpecie ipſa terribilia, triſtia, aduerſaq. ſunt, æquè minitantia malum atque incutientia, quale deſcribitur Bruti ſomniũ de ſpectro ad Philippos comparituro, & Heliogabali de patre Seuero. Tertius eorum, quæ ſpecie quidem ipſa blanda, exitu verò triſtia ſunt, & denunciant, atque adferunt mala, quale perhibetur fuiſſe ſomnium Regis Ægyptij in ſacris literis. Poſtremus denique gradus eorum eſt, quæ ſpecie quidem horrendum aliquid præſeferunt, ſignificatis verò & euentibus fauſta ſunt, & felicia, vt matris Octauij ſomnium de inteſtinis; Adriani de igne illapſo iugulis; Antonini de eburneis manibus aliorumque eiuſmodi; eſt namque apud ipſos ſomniorum coniectores diu obſeruatum ſæpe ſomnia contrarios euentus ſortiri; ex quo ſaniores ſomniorum interpretes ſolent inferre nullam omnino certam fidem eſſe ſomnijs adhibendam, illis exceptis, quæ immiſſa diuinitùs dicuntur ad aliquid ſignificandum, vel portendendum.

Exceptis itaque ſomnijs diuinitùs illatis, quibus neque pro libito fidem 170
adhibendam ſtatuimus, niſi ſint ſacris oraculis apertè firmata, vel communi Sanctorum Patrum authoritate explicata, reliqua omnia præſagientia ſomnia omnino improbamus, cum nihil certi retineant, etiamſi à certa quadam naturæ temperie pendeant, vel ab aliquo aſtrorum concurſu, qui præſenſionem impendentium euentuum inducat; licet enim diuinationes medicæ ex phyſicis ſomnijs deductæ quibuſdam internis cauſis concurrentibus, quibus plerumque ſui reſpondent effectus probentur à Deo, quemadmodum etiam probatur ars medica, ac propterea non ſint ſemper à ratione, atque à veritate aberrantia, tamen cum ſemper conſtent etiam apud ipſos medicos exuberantium humorum ſigna, ex quibus certa ducatur notitia, inde fit, quod neque his, licet certiora videantur, ſit ſemper tribuenda fides, quod plurimis exemplis demonſtrat ipſe Galenus, quorum numero illud de Phyſico quodam adſcribit, qui cum ſomniaſſet ſe in ſuo natare ſanguine, & Medici poſtridie ſomnium de redundantia ſanguinis interpretati venam incidiſsent, cum ſanguine animam exhalauit, de quorum etiam ſomniorum genere, ea præſertim dicta ſunt

Somnia fallaci ludunt temeraria nocte
Et pauidas mentes vana timere iubent.

Poteſt enim diabolus ad humanam perniciem plura in dormientibus ſomnia concitare, quæ tamen contrarium ſortiantur effectum, quod ſæpè contigit Lacedemonijs qui in fano Paſitheæ ſomniandi cauſa excubabant; & licet plerumque coniecturæ quibus explicantur ſomnia, videantur credulos quoſdam ad veritatem dirigere; vt plurimum tamen fallunt; qua de cauſa in ſacris literis ſæpiſſimè damnatam inuenimus ſomniorum obſeruationem, ipſoſq. etiam eiuratos ſomniorum obſeruatores præſertim in 18. Deuter. in 37. Ieremiæ in 19. Leu. & alibi. præterquamquod multi Reges, ac Principes ex ſomniorum

obſeruatione decepti infeliciter periere; inter quos recenſentur potiſſimum Pompeius, qui vt poſtremum cum Cæſare prælium committeret, ſomnio motus eſt; Darius, qui ante congreſſum cum Alexandro ſomniauit videre ſe exercitum Macedonicum ardentem incedere per Aſiam, & Babylonem venire, ibique Alexandrum indutum veſte Perſica templum ingredi, & ſtatim euaneſcere; Cambyſes, & Iulius Cæſar, quibus ſpecies quædam in ſomnis viſa, quæ regio ſolio inſidebat, Cælumque tangebat, vtrique cladem portendit, tulitque exitium; Alij denique plures, quos omnes recenſere in re tam aperta non eſt opus.

171 Quod ſi præter ſomnia diuinitùs immiſſa, quę ſemper euentuum veritatem, quam prænunciant aſſequuntur, vt conſtat ex ſomnijs, quæ deſcribuntur in ſacris literis, alia quoque in exemplum adducantur, prænunciatos effectus vt plurimum ſortita, ideo à Diabolo factum eſt, vt magis ſomniorum credulitas, & ſuperſtitio inualeſceret, quo magis homines ipſi ea inanitate detenti deciperentur, ac potius diabolico artificio, quam diuinæ prouidentiæ ſuam fidem exhiberent: Quæ hominum fraus ſolet à Dæmone varijs ſomniandi modis concinnari, modo ſcilicet per propria ſomnia ad ipſum ſomniatorem ſpectantia, modo per aliena, nimirum ad alios pertinentia; modo per ſomnia nobis, & alijs communia, modo per ſomnia res publicas, & ſtatum publicum afficientia, modo denique per ſomnia ipſius mundi ordinem, vel inuerſionem portendentia. Cuiuſmodi fuere illa quæ deſcribuntur, in Aſpaſia Phocenſi, quæ primùm apud Cyrum iuniorem, poſtea apud Artaxerſem fratrem fuit, cui viſa eſt in ſomnis oborta ex tuberculo oris deformitas eſſe abitura, ſi detritis de ſertis Veneris roſis aſpergeretur; nec fefellit ſomnij promiſsum euentus: In Veſpaſiano, qui ſomniauit ſe Principem Romanum fore tunc, cum Cæſar Nero dentem perdidiſset; idque poſtridie quam ſomniauit, accidit: In Antonino Caracalla, qui cum poſtremam adornaret ex Antiochia profectionem Pater Seuerus adſtare dormienti viſus eſt, & gladio ictum intentare: In Iulio Cęſare, qui antequam in citeriorem Galliam mouiſſet arma, in ſomnio viſus eſt inferre ſtuprum matri ſuæ, ſicut & Hippias Piſiſtrati filius ante occupatam Athenis tyrannidem: denique in Lucullo, in Adriano Imperatore, in Sylla, in Petitio Pompeianæ nauis gubernatore, in Cicerone, Catullo, Octauio, alijſque innumeris, qui omnes quædam ſomniaſse perhibentur, quæ probauit euentus; Licet enim vel ex vniuerſa ſupremi conditoris rerum moderatione, vel prouidentia, vel ex Dæmonum fraude, & artificio hæc contingere poſſint, cum tamen nullam habeant euentus rerum cum ſomnijs obligationem, nullamque connexionem cum ijſdem adipiſcantur, inde conſequitur nullam ſomnia, vt ſomnia ſunt, promereri fidem.

172 Et inde factum eſt, quod licet vnus Protagoras Cicerone teſt. 2. de diuinat. putauerit omnia ſomnia vera eſſe, plures tamen, & plures ijſdem ſomnijs cum Xenophane, & Epicuro fidem omnem detraxere, ex eo præſertim, quod ſi ſomnia vera eſſent, veras quoque haberent cauſas effectrices, Deum nimirum

& natu-

& naturam; atqui Deus potiùs futura aperiret vigilantibus, & ſapientibus, quam ſopitis, & ſtertentibus; Sic natura, quæ in rebus ſuis eſt amica ordinis, & conſtantiæ, non ità facilè operatur in ſomnijs, in quibus nulla firmitas eſt; ac propterea ex hac doctrina ſcitè illa hauſit Petronius

Somnia quæ mentes ludunt volitantibus vmbris
Nec delubra Deum, nec ab æthere Numina mittunt.

Et hac ipſa ratione etiam Plato in Sympoſio omnia ſomnia futurorum prænuntia exiſtimauit à Dæmonibus proficiſci, quæ ſemper varia fluxa, ac vanida ad hominum perniciem moliuntur; ac propterea inanis quædam ſomniorum doctrina inualuit apud coniectores, quæ ſuam ex ſe profert inanitatem, dum affirmat certiora à dormientibus ſomniari ſtatis quibuſdam horis, ac temporibus, præſertim ſub extimis noctibus, quaſi iam emergente animarum vigore producto ſopore; ex anni temporibus verno magis, quam hyemali certiora ſomniari; ex vario corporis ſitu dextero potius decumbentes latere, quam ſiniſtro, & ſic de cæteris, quæ inaniſſima appellat etiam Tertullianus ſcribens ad Montanum.

Faceſſant igitur hinc prolixiores de ſomniorum interpretationibus diſqui- 173
ſitiones, nec portas ſuas corneas, & eburneas patere nobis ad diuinandum iubeat Homerus; nec ſua ludrica ſomniorum interpretamenta obtrudat ampliùs nobis præſtigiator Artemidorus; licet enim adeò conſtans de ſomniorum diuinitate, ſeu diuinatione exactis retrò ſæculis inoleuerit opinio, vt oraculis etiã locum fecerit, quibus iam ſtipatus erat orbis, Amphiarai ſcilicet ad oropum, Amphilochi apud Mallum, Sarpedonis in Troade, Triphonij in Bæotia, Mopſi in Cilicia, Hermionis in Macedonia, Phaſiphae in Laconica, apud quæ ſomniorum reſponſa de venturis patebantur; quorum etiam monitu quid perſequendum ſibi, quidue fugiendum vnuſquiſq. ſtatueret; eoſdemque haberet, & vitæ magiſtros, & ſomni arbitros, & ſomniorum artifices; Ad extremum tamen vis religionis, ac veritatis ita inualuit, vt exceptis ſomnijs diuinis, nulla cæteris adhiberetur fides; quod ita firmiter tenendum eſt, vt nemini liceat in poſterum hæſitare. Qua ratione reijcienda ea ſunt tanquam pura commenta, quorum vi, ac ſi eſſent validarum rationum momenta, ſomnijs fides adſtruitur, præſertim quod ſomnia non fruſtra à natura hominibus indita ſint, ac propterea ad id maximè inſtituta, vt ex ijs ventura coniectemus; tollitur enim ſatis ſomniorum otioſitas per id, quod per illa facultas ſentiens etiam in ſomno non omnino torpeſcat, ſed quodammodo vigilet, & quædam etiam in ſomno agat, aliquamque muneris functionem exerceat; quemadmodum etiam facultati intelligenti aliquod opus eſſe demandatum in ſomno experientia teſtis eſt, cum intellectus ipſe in ſomno ſæpiſſime ratiocinetur, ac optimè diſcurrat, ſpeciebus in vigilia acceptis ipſum intellectum in ſomno etiam excitantibus. Sic improbandam ducimus quorumdam Accademicorum ſententiam, qui docent in anima, cum magis fuerit à corpore libera per rationes quaſdam cælitùs inditas ideis reſpondentes ſomnia nonnulla excitari, quæ diuinationem

præ

Digitized by Google

præ ſe ferant ob nexum illarum rationum cum Ideis diuinæ menti conuenientibus; Hoc namque vel gratis dictum eſt, vel Idearum deliramentis innituntur, quæ à Peripateticis damnantur; vel admiſſis etiam eiuſmodi rationibus, & Ideis, nullam inde ſequitur poſse aſſignari rationem, ſi ad eas ſomniantes reſpiciunt, cur potius vna quam altera ad ſui cognitionem nos excitet, cum eodem modo ſe habeant in anima. Sic denique ridicula cenſenda eſt Arabum quorundam apud Auicennam opinio, qui docuere futura animæ in ſomnijs patefieri per virtutem intelligentiarum cælo aſſiſtentium, etenim neque Intelligentiæ ipſæ poſſunt futura prænoſcere, vt à nobis dictum eſt de prædictionibus Angelicis; & nemo ſanè poteſt alteri dare, quod ipſe non habet,

Digitized by Google

DISSERTAT. XXXV.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex Sacrificijs.

OMISSIS ſacrificijs veteris, & nouæ legis à Deo ipſo inſtitu- 174
tis ne dum ad plura efficienda, ſed etiam ex diuino conſilio
conſignificanda, quibus fides idcirco nullo modo derogari
debet, alia hìc proferimus Ethnicorum ſacrificia, quorum
inanitas omnino eſt eiuranda, cùm fuerint potius Dæmonis
blandimenta ad homines irridendos, quam religionis inſtru-
menta ad eoſdem ritè inſtruendos; vtebantur enim ſuis ſacrificijs vt plurimùm
Ethnici, non ſolum ſine veri Dei cognitione, cuius reuelationi, atque authori-
tati omnis noſtra fides innititur, ſed etiam ſine eorum notitia Numinum, ad
quæ ſacrificia ipſa dirigebant; hacque ratione in ipſis perficiendis pluribus
ſemper erroribus, atq. illuſionibus decipiebantur; præſertim verò cum ex ho-
ſtiarum ſeù victimarum viſceribus, aut ex aliorum fortuitorum euentuum ſu-
bitis inuerſionibus coniecturas quaſdam futurorum comminiſcebantur, qui-
bus ſuas tanquam certas prædictiones ferrent, affectioneſque Numinum erga
ventura indicarent.

Eiuſmodi prædictionum generibus, quę vel ſacrorum abuſu, vel cętis picum 175
ritibus perficiebantur, fidẽ inepte ſemper adhibitam fuiſſe aſſeueramus, hanc-
que doctrinam ex ſola rituum in ijs peragendis obſeruatione tanquam omni-
no certam ſtatuimus; tot enim fuere apud veteres ridenda prorſus ſacrificio-
rum inuenta, vt vix recenſeri queant, licet ea omnia paucis carminibus com-
plectatur Homerus ad illa verba

Protinus bis ſuperi portenta oſtendere pelles
Serpere humi, verubus carnes mugire cruentæ
Aſſataque boum qualis vox prata fatigat

Apud Ægyptios namque legimus fuiſſe ad diuinandum adhibita ſexcenta ſe-
xaginta ſex ſacrificiorum genera; apud Romanos, & Græcos non multò pau-

ciora,

tiora, quæ ſanè ſolius numeri exceſsu errorum centurias denotant, quibus tenebantur veteres illi ſacrificatores; Atque vt eorum dementia, ac ſtoliditas conijciatur, ſatis eſt inſanos prorſus ſacrificandi modos obſeruare, quo magis fides perceptis ex ijs diuinationibus denegetur.

176 Romani in ſuis ſacrificijs diuinatorijs eos obſeruabant ritos. Cum Sacerdos victimam ad aram adduxiſſet, ſtans manu aram prehendebat, preceſque fundebat. Principium precationis à Iano, & Veſta fieri oportebat, quæ in omnibus ſacris præcipua Numina erant, & in votis nuncupandis compellationem primam meruerant inde, quod per eos aditus ad cæteros Deos patere opinio erat, & obſeruabatur in ea precatione, vt Iupiter pater Opt. Max. omneſque Dij cæteri Patres aduocarentur. Ne quid verò verborum præteriretur, aut præpoſterè recitaretur de ſcripto præire aliquem, rurſumque alium cuſtodem dari, qui attenderet ſedulò alium, qui fauere linguis iuberet, & tibicinem canere, ne quid infauſtum eueniret, aut exaudiretur. Mactabant autem vt plurimus oues, ſues, capras, boues, gallinaceos, & anſeres, maiores victimas inauratis cornibus producebant, minores coronatas; ex hædis & agnis rectiùs Deos conſuli, futuraque prænoſci cenſebant, quod mitiores eſſent, ideo diuinaturi ſæpius ex ouium genere aliquid cædebant, & mactationi ſemper immolationes adiungebant.

177 Græci Romanos, & Deorum numero, & ſacrificiorum ritibus vicerunt, quæ omnia ennumerare nimis longum eſſet, & ſuperuacuum; Præterea fuere vtriſque communia multa; nam vt alia plura, ita & ritus certorum ſacrorum Romani à Græcis ſunt mutuati, & vtrique tandem eò ſceleris, ac dementiæ redacti ſunt, vt etiam humano ſanguine litarent; illud tamen erat diſcrimen potiſſimum inter Græcos, & Romanos, quod Romani mola ſalſa libabant, quæ ex farre toſto, confractoque ſale, & aqua parabatur, ſine quibus nulla fieri ſacrificia rata, & vim ſali peculiarem ad placanda, commouendaque Numina ineſſe ſentiebant; Græci vero hordei primitias, & placentes ex hordeo ſale conſperſas libabant. Græci etiam de cæſis victimis caput, & ventrem retinebant, cætera dabant Dijs, linguas verò præconibus.

178 Ægyptij deniq. caput à victimis abſciſſum diris execrabantur, & cum precatione ſolemni deijciebant in flumen, vt ſi quid aduerſi eueniret, in illud caput redundaret. Porro apud eoſdem ſingulis Dijs propriæ victimæ deputatæ erant; Superis albæ, & impares; Inferis nigræ & pares mactabantur: Ioui prodigiali thure, & mola ſalſa, Ioui flamini boue candido litabatur. Neptuno, Apollini, & Marti tauro, verre, & ariete. Heroibus tauro, capro, & ariete. Cereri primùm lacte, vino, & fauis, poſtea porca; Cybeli itidem porca; Æſculapio capris, & gallinis; Laribus gallo; Soli, & Marti equo; Lunæ tauro; Iunoni agna; Veneri columba; Pani, & Mineruæ capra; Dianæ cerua. Libero patri melle, vino, & lacte, interdum capro, & hirco; Siluano porco; Fauno agna, vel hædo, & ſic de cæteris.

179 Variæ quoque erant diuinationum ſpecies, quemadmodum varia erant rerum

rum diſcrimina, quæ in ſacrificijs adhibebantur; nam ad diuinandum, aut hoſtias ipſas priuſquam iugularentur, conſiderabant; aut earum exta poſtquam mactatæ eſſent, atque diſſectæ; aut flammam, quæ ex incenſis, & ardentibus euolabat victimis, aut quædam id genus alia, ſine quibus ſacrificia non peragebantur; atque ex his quæ ſacrificantium manibus tractabantur, indicia, & notæ futurorum obſeruabantur. Sic mali ominis erat, ſi victima ductorem ſponte non ſequeretur, ſed vi trahenda eſſet; vel ſi ex ducentium manibus ſe ſe proripuiſſet, ac profugiſſet; vel ſi mactator in ictu aberraſſet, vel percuſſa aut exilijſſet altiùs, aut horridiùs exclamaſſet; aut non ſtatim, ac quidem placidè concidiſſet; vel ſi ſemianimis in terram peruoluta in eumdem pedibus calcitraſſet, vel difficulter expiraſſet, vel iugulata nequaquam copioſo ſanguine deffluxiſſet, vel ſi inter iugulandum triſte aliquid infauſtumque oculis, auribuſque occurriſset. Signa hæc offenſi, atque alienati Numinis, pænaſque minitantis eſſe putabantur. Contrà verò læti ominis indicia, ac Dei fauentis teſtimonia adferebat victima, cum emiſsa ad aram ſponte accelerarct, & ſine tumultu ictū ſuſtineret, collapſaq. placidè, ac ſine deformi ſtrepitu, aut pedum comploſione animam exhalaret, & confoſsa tandem copioſum effunderet cruorem. Talem victimam cum gratulatione, atque acclamatione excipiebant; quemadmodum ad prænarratæ conſpectum expaueſcebant, & animis conſternabantur; ſumebant enim ex his varias de euentuum conditione coniecturas, atque ex ijſdem ſcrutabantur in quam partem Numen, cui adornabatur ſacrificium, inclinatum eſset, ac propenderet; quæ tamen omnia vt ſæpiùs dictum eſt leuiſſima in diuinatione cenſenda ſunt.

Præſertim verò damnanda eſt illa apud Græcos diuinatio, quam ex inſpe- 180
ctione Epatis inſtituebant; quamuis enim explorarent Græci ea omnia, quæ viſcerum nomine continerentur in victima; iecur tamen vaticinij ſedem, ac fontem conſtituebant, eoque rectè conſtituto, ac optimè temperato pro victimæ natura læta promitti credebant, eodem vitiato, aut mutilato aduerſa portendi opinabantur, ſpectata ſemper etiam perſona, in cuius gratiam diuinatio illa inſtituebatur, quemadmodum de Cæſare narrat Lucanus, qui victor contra Pompeium renunciatus deſcribitur ex extis victimarum

Quodque nefas nullis impune apparuit extis
Ecce vides capiti fibrarum increſcere molem
Alterius capitis pars ægra & marcida pendet
Pars micat & celeri venas mouet improba pulſu.

Et licet apud Romanos obſeruatum ſit, mala ſemper contigiſse, cum Catoni Conſuli immolanti exta victimæ emarcuerunt, cum Marco Marcello iecur ſubito extabuit, cum Lucilio Lupo caput iecoris euanuit, id tamen non eſt adſcribendum alicui nexui, qui inter ſigna illa, & euenta intercedat, ſed facultati cuidam ſupremæ, quæ pro libito moderatur euentus. Neque diuinationibus eiuſmodi aliquid fidei præbendum eſt ex eo, quod Romani ipſi ſemper permagni eas fecerint, atque curauerint, vt & libris rationes conſulendi in hac re

Digitized by Google

deſcriberentur, eaſque mandauerint inſtar oraculorum publicè cuſtodiri; plura namque etiam apud Romanos ſapienriores ex errore acta ſunt, quæ nunc temporis etiam à rudioribus improbarentur.

181 Atque ad id genus etiam referendæ ſunt diuinationes ilæ, quæ ſumebantur ab igne victimas ipſas comburente; inſederat enim in veterum animis error ille, quod inflammatis cælitùs victimis Deus ipſe crederetur flammea ſpecie ex alto delapſus, victimaſque quas acceptaret, ſtatim deuorare; ex quo propitia augurabantur; quemadmodum etiam ſi flammam victimæ admoram puram, ac nitidam inſpexiſſent ſine fumo, ſine ſtrepitu, ac ſine fauillarum eiaculatione turbulenta, in qua obſeruabant etiam ad fauſta prædicenda, ſi flamma turbinaræ Pyramidis inſtar recto ductu attolleretur. Contra verò prænunciabant infauſta, ſi flamma atras fumi vertigines præ ſe ferret; ſi motu quodam obliquo, vel in orbes cōtorto, aut complicato agglomeratione quadam in tortiles ſpiras aſcenderet; cuius præſertim diuinationis videtur meminiſse Statius ad illa carmina

Vincatur pietas, pone eia altaria virgo.
Quæramus ſuperos: facit illa acieque ſagaci
Sanguineos flammarum apices, genitumque per auras
Ignem, & clara tamen mediæ faſtigia lucis
Orta docet, tunc in ſpeciem ſerpentis inanem
Ancipiti gyro volui, frangique rubore.

Diuinationes vero eiuſmodi flammeas præſertim factitabāt pice, quæ ex tædis colligebatur in puluerem comminura, & puluere in ignem ipſum coniecto; qui ſi exardeſcens inde flamma coiret, nec diſpergeretur, fauſta; ſi diuideretur, aut diſſiliret, infauſta deſignare credebant; ita tamen vt in his omnibus fallerentur.

DIS-

DISSERTAT. XXXVI.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex Hiſtoricis.

NON pauca ſolent etiam prædicere hiſtorici, quibus fides 182
aliqua ſine nota poteſt adhiberi, ex longa nimirum obſeruatione, quæ à primis vſque temporibus ab ipſis facta eſt, præſertim de periodis fatalibus, quibus Imperia diuinitùs comprehenſa ſunt, ac definita; teſtantur ſiquidem hiſtoriæ omnium temporum, ſi à prima antiquitate repetantur, Regna, & Reſpub. potentiores quingentis annis plerumque floruiſse; multa circa medium huius periodi vix ducentis quinquaginta annis completis defeciſſe, aut certè vltimum terminum non attigiſſe; nulla aut pauca eodem ſtatu rerum hunc ſuperaſſe, ſed in ipſo penè quingenteſimi anni articulo, aut aliquantò ante mutationes incidiſse, quibus vel euerſa Regna, ac deleta funditùs, vel oppreſſa, vel aliò translata deſierunt, vel in nouam commutata ſunt formam. Sic peregrinationis Abrahæ, ſeù a tempore vocati Abram ex Haram vſque ad egreſſum ex Ægyto, & datam legem elapſi ſunt anni quadringenti triginta quinque; à nato Abram vſque ad natum Moſen anni quadringenti viginti quinque. Anno ab exitu populi Iſraelitici ex Ægypto quadringenteſimo octogeſimo cæptum eſt extrui primum Templum à Salomone, & tanto ferè ſpacio temporis rexerunt populum Duces, & Iudices. Idem Templum anno quadringenteſimo viceſimo ſecundo poſt Nabuchodonoſor Rex Babylonis direptum, ac dirutum ſolo æquauit, totumque regnum Iudaicum, abducto in captiuitatem Rege Zedechia, ſuſtulit, ac finiuit, quod floruerat annos quingentos, & quinque à Saule ad vltimum Zedechiam, vſque ſecundum templum, quod dimiſſi ex Babylone Iudæi, poſtquam ſeptuaginta annorum captiuitatem ſuſtinuiſſent, Cyri iuſſu conceſsuque ſecundo à reditu anno inchoarunt, annos quingentos integros ſtetit; etenim quingenteſimo primo anno à prima inſtauratione Herodes gratificaturus Iudæis totum renouauit;

uauit, & magnificè exornauit annis ante natum Chriſtum quindecim; idque tandem Veſpaſianus capta vrbe incenſum deleuit funditùs. Succeſſio, & gubernatio Regum in populo Iudaico compleuit annos quingentos à Saule vſque ad captiuitatem Babylonicam. Eumdem terminum attigit reſtituta poſt captiuitatem politia gentis Iudaicæ ab Eſdra vſque ad Veſpaſianum, qui totam illam regiminis formam deſtruxit, vt fuerat prædictum multò ante, reliquijs Iudæorum diſſipatis, ac diſperſis in totum terrarum orbem; nec à Veſpaſiani temporibus ampliùs cernitur reſtaurata; licet enim ſub Hadriano ſe ſe quodammodo recollegiſſent Iudæi receptis viribus, licet Iuliani Cęſaris permiſſu denuo in patrium ſolum confluxiſſent, vrbis Hieroſolymæ muros exædificaturi, cum tamen fundamentorum cauſa terram ſubruerent, ignis ex dehiſcente terra ſponte exiliens, omnes operarios abſumpſit, quo factum eſt, vt deſiſtere à ſtructura cogerentur.

183 Annos quoque quingentos, & viginti Aſſyrij tenuerunt Aſiam; poſtea Medi illam occuparunt, illis excuſſis teſte Herodoto. Annos quadringentos nonaginta Athenarum Regnum durauit à Cecrope vſque ad Codrum, cui abrogatam, & ademptam Monarchiam in imperium populare Athenienſes mutarunt; fuit autem Codrus non ex poſteritate Cecropis, ſed Periclymeni in Meſſeniaca. Totidem annos floruit Lacedæmonum Reſpub. ſub Regibus Heraclidis à Lycurgo, qui eam Reipublic. formam primus conſtituit latis, & ſancitis legibus vſque ad Alexandri Macedonis ætatem, ſub quo concidit; fuerunt aut Heraclidæ vtrique & Macedonici, & Spartani Reges, Macedonici à Temeno, Spartani ab Ariſtodemo, filijs Ariſtomachi, qui quintus ab Hercule numeratur. Annis quingentis ab expulſis Regibus, vſque ad Monarchiam Auguſti rexerunt Rempub. Romanam Conſules, forma gubernationis mixta ex Ariſtocratia, & Democratia. Anno quingenteſimo poſt deuictum ab Auguſto Antonium ad Actium, & conſtitutam Monarchiam, cæſo Romæ Valentiniano vltimo Occidentis Imperatore, qui filius fuit Conſtantij, & Placidiæ ſororis Honorij, & Arcadij, Imperium Occidentis dilaceratum concidit & eſse deſijt, Vandalis, Alanis, & Sueuis primo Galliam, deinde Hiſpaniam, tandem & Aphricam, & in ipſa Italia Vrbem Romam Genſerico Duce inuadentibus, occupantibus, ac diripientibus; nec poſt hunc Valentinianum certa aliqua, & firma fuit Græcorum Imperatorum in Occidente potentia. Annis denique ferè quingentis elapſis ab eo tempore, quo Conſtantinus Imperij ſedem Conſtantinopolim tranſtulit ex Italia, Carolus Magnus, victis, & domitis Longobardis, qui Gottos ante debellatos pepulerant, Imperium Occidentis in libertatem aſſeruit, atque inſtaurauit.

184 Sed Regna non pauca dimidium tantum huius periodi quingentorum annorum exegiſse ex annotationibus hiſtoricorum deprehenduntur; Medorum namque potentia annorum fuit ducentorum ſexaginta. Perſarum Monarchia, quæ à Cyro vſque ad Darium vltimum opibus, & potentia floruit, anno ducenteſimo trigeſimo armis Alexandri Magni diſsoluta corruit. Ducentos

tos quinquaginta annos, vel circiter durauit Græcorum Monarchia inchoata ab Alexandro, & in ſucceſſores deriuata, complexaque initio ſuo penè maximam partem orbis terrarum, & tandem poſt dimicationes longas addiſtinctos Macedoniæ, Syriæ, Ponti, & Ægypti Reges douoluta. Hanc Romana potentia ordine ſublatis Regulis, & Regnis in prouinciæ formam redactis poſt exactum dimidium totius periodi tempus demolita eſt. Romani ſuis etiam Regibus ante conſtitutum Conſulatum abrogarunt regnum quinquennio ante dimidiæ periodi finem, ideſt, anno ab vrbe condita ducenteſimo quadrageſimo quinto. Totidem annorum fuit Imperium primorum Regum Franciæ à Clodoueo Chriſtiano, qui interfecto Syagrio, quem Sueſſiones expulerant, & reliquis Romanorum Præfectis ſubmotis, & abactis, Galliam à Romano Imperio prorsùs auulſam ſibi ſubiecit, vſq. ad Pipinum Caroli Magni patrem, cuius poſteritas, & imperium, & præcipuè Galliæ regnum gubernauit vſque ad Hugonem Capetum annos ducentos triginta ſeptem.

Periodos etiam Septingentorum annorum attuliſse mutationes Regnis, 185
& Rebuſpublicis inſignes, hiſtoriarum ſeries docet. Carthaginenſis annos ſteterat ſeptingentos, quando à Scipione deleta eſt. Ciuile bellum Pompei & Cæſaris, quod Romanam Rempublicam euertit, incidit in annum ab vrbe condita ſeptingenteſimum quintum, concurrentibus duabus periodis ſimul, quingenteſima vna ab initio Conſulum, ſeptingenteſima altera ab exordio Vrbis Romæ. Annis poſt deſtructam Carthaginem ferè ſeptingentis Totila Gottus Vrbem Romam, abductis inde veteribus familijs, deuaſtauit, quod Scipio incendium Carthaginis contemplatus, præſagijt, & futurum prædixit cum lachrymis recitatis his verſibus

Iamque dies aderit, quo concidat Ilion ingens
Et Priamus Priamique cadat plebs armipotentis.

Septingentis annis elapſis à Miramolino Maurorũ Principe Hiſpanię omnis domitore Ferdinandus auus maternus Caroli Quinti Imperatoris, deuictis, ac domitis Mauris, & potentia Regulis illis erepta, vniuerſas Hiſpanias recuperauit.

Nec verò tantum ceù præſcriptis, ac definitis periodis vertuntur, & con- 186
ſiſtunt Reſpublicæ, Imperia, & Regna, ſed etiam in alijs rebus priuatis, ac ſublimibus illuſtrium familiarum gubernationibus, ſi caſuum, qui accidunt, momenta expendantur, variationes periodicæ reperientur, vt ex mutationibus eiuſmodi, quaſi in certos temporum articulos diſtributis, euidentia diuinæ prouidentiæ, ac ſapientiæ argumenta, & teſtimonia habeamus, quibus etiam mente ſtatuamus, neque caſu confluere, & naſci Imperia, neque caſu conſiſtere, & vigere; neque caſu colliſa ruere, & interire, ſed omnia diuinitùs fieri. Sic Dauidis potentia cum Salomone filio floret, eo ſublato diuellitur, ac frangitur. Cyri potentia poſt Cambyſen aliò transfertur. Philippi Macedonis, quem Macedonici Regni vindicem, inſtauratorem, atque amplificatorem Sybyllina teſtata ſunt oracula

Commoda nunc pariet regnans, nunc damna Philippus.

Huius

Huius (inquam) inchoata felicitas cum Alexandro filio completur, & deſinit. Veſpaſiani potentia cũ Tito: Marci Antonini cum Commodo: Valeriani cũ Galieno: Cypſeli Corinthij cũ Perintho: Attali Pergamenſis cũ Attalo iuniore ex Eumene filio finitur. Quod ſi quandoq. ſic conſtrictos prætergrediatur limites, vlteriùſque propagetur, rariſſimè ad nepotes, abnepotes, & trinepotes extenditur; quin frequentiſſimè in ipſo ſucceſſionis articulo conuerſiones incidunt, quibus nepotes vel accepta exuuntur à parentibus felicitate, vel excutiuntur veſtigijs, in quibus antea conſtiterant; cui rei potiſſimum exemplum eſt in Cræſo Gygis abnepote, qui Candaule opera coniugis interfecto, cum regnum Lydiæ per fraudem obtinuiſſet, repente deiectus, regnoque ſpoliatus in vincula conijcitur velut mancipium.

187 Ex eiuſmodi obſeruationibus longiſſima temporum ſerie, rerumque experimentis plures euentu firmatis duci ſolent hiſtoricæ prædictiones, quibus nos fidem inhibere omninò non debemus; cum enim non diù intra terminos conſtitutos ſeſe res humanæ, ſiue publicæ, ſiue priuatæ continere poſſint, neceſſum eſt, vt à medio exorbitãtes propriæ imbecillitatis fato in aliquod extremorum ruant, criminibus ipſis, ac flagitijs ſemper in deteriùs cogentibus, & impellentibus; fuitque ſemper perexigui temporis rerum humanarum, & Imperiorum felicitas illa, quæ ſine iuſtitia, probitate, ac pietatis norma ſtetit; Et hæc cum aperta conſtent veritate, cum ipſa innoteſcant experientia, non erit à recto alienum, aut diſſonum quaſdã de futuris hiſtoricas prędictiones efformare, iiſq. fidem adhibere, relata tamen ſemper in Deum omnium rerum moderatione, atque euentuum diſpoſitione; in eiuſmodi etenim prædictionibus potiùs rebus ipſis vtimur, vt ait Euripides, quam diuinatione, cum in ipſas intueamur imperiorum formas, & adminiſtrationes, in principum, & populorum ſtudia, in leges, ac Rerump. ſtatuta, & id genus alia, quibus ex eo quod factum eſt retroactis temporibus, quid venturis agendum ſit nõ ſine ratione penſitamus, & diuinatione quadam prænuntiamus; præſertim cum omni æuo deprehenſum ſit idololatria, tyrannide, libidinibus, diſcordijs, ambitioſis Ciuium, vel Principum contentionibus Imperia laxari paulatim, ac labefactari tandem, ſi illæ ingraueſcant cauſæ; extremoque denique impetu conuulſa, ac diſiecta corruere; Quod præſertim prædictum eſt Athenienſibus cum mutatis moribus à primo Cecropis inſtituto aberraſſent

E fera tempeſtas vrgebit Cecrope natos
Fraude Ducum; ſed certa aderunt ſolatia victis
Namque vrbem hoſtilem euertent pænaſque repoſcent

Quod euenit, cum Pericles magis odio Megarenſium, quam iuſtis alijs de cauſis moueret bellum Peloponeſiacum, & Alcibiades bellum inferret Siciliæ ſtulta, & iuuenili ambitione, & cum tandem Athenienſes incuria ſuorum Ducum vincerentur prælio nauali à Lyſandro ad Ægoſpotamon.

DIS-

DISSERTAT. XXXVII.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex Politicis.

CONSVETVM eſt etiam Politicis ſuas prædictiones ferre de regnorum, ac Rerumpublicarum mutationibus, ſi quæ incidant rerum, ac temporum reuolutiones, ex quibus facta prius præteritorum obſeruatione, de euenturis poſſint duci præſagia; ac primum ipſi quoque ad quoddam Aſtrologiæ politicæ genus recurrentes, Aſtra illa ſolent conſiderare, quæ ſigniferi, vel Zodiaci ſigna conſtituunt, quorum vires ad Regiones, & Prouincias mutandas, ad Imperia transferenda maximè validas eſſe nouerunt. Hincque docuere quidam ex ipſis, quod translatis aſtris Leonis, ac præcipuè eius cauda in Virginem, Imperium quod in Italia fulgebat, à Conſtantino translatum eſt in Græciam; Italiam enim Leoni ſubiectam faciunt, Græciam Virgini iuxta Ptolemæi doctrinam; Atque cum Stellæ Cancri in Leonem tranſierunt, tunc diuinarunt, Vuandalos, Gothos, & Herulos Italiam eſſe aquiſituros. Præ cæteris verò Campanella lib. 2. Aſtrolog. articulo 2. Eam tulit prædictionem politicam ex ſignis Zodiaci, quod cum Baſiliſcus in Virginem tranſibit, quod eueniet poſt ſexcentos ferè annos, Italiæ dominatum eſſe funditùs ruiturum, atque Barbarico Imperio eſſe ſubiectandum, cum Stellæ exteræ (vt inquit ipſe) exteros Dominatores inducant, iuxta varia exempla, quæ ibi ipſe affert de varijs mutationibus Regnorum, ac Rerumpublicarum propter fixarum ſtellarum translationes de ſigno in ſignum. 188

At his inanibus Politicorum Aſtrologorum pronunciatis nullam fidem eſſe adhibendam cenſemus; docet namque Diuus Auguſtin. 5. de Ciuit. cap. 1. mutationes magnas in Regnis, & Imperijs non fieri per translationes Aſtrorum de altero in alterum ſignum, ſed per Diuinam Prouidentiam regna humana prolibito conſtituentem, diſponentem, ac transferentem; ſi enim fie- 189

rent

rent per tranſitus ſtellarum vnius ſigni in aliud ſignum, aſſerendum eſſet, ſtellas Leonis, cui ſubiecta eſt Italia, migraſſe tempore Caroli Magni in ſtellas Arietis, ſub quo eſt Gallia, cum ipſe ſupremum Imperium, & dominium habuerit in Gallia, & in Italia, cum tamen nullus Aſtrologus hoc impoſſibile facile admittat. Quoniam verò translationem Throni Imperialis à Conſtantino factam ab Vrbe Roma in Vrbem Bizantij adſcribunt præſertim migrationi ſtellarum Leonis in Virginem, precor hic vt mihi detur venia, qua cauſam illius mutationis afferam à Zoſimo traditam in lib. 2. quæ nimirum fuit: Cum dies quidam feſtus Romanis ſolemnis illuxiſset ritu vaniſſimo, atque ſuperſtitioſo celebrandus, Imperator Conſtantinus Chriſtianæ iam deditus religioni celebrationem illius diei acriter deteſtatus eſt; quo factum eſt, vt Senatus, Populiq. Romañi acerbum odium ſubiret; & inde Conſtantinus, vt à Romanorum odio declinaret, anſam arripuit aliò ſolium Imperatorium transferendi, vrbemque aliam regiam exædificandi; ad hoc fortaſse diuino etiam monitu excitatus. Quare non ad ſtellas, ſed ad Diuinam Prouidentiam, atque ad peculiarem Superni Numinis afflatu referendam cenſemus Throni Imperialis translationem de Vrbe in Vrbem per Conſtantinum factam.

190 Quibuſdam verò Politicorum Prædictionibus, quæ præſertim veris malorum cauſis innituntur nunquam fuit à ratione alienum fidem adhibere, at ijs præſertim, quibus ex veræ religionis contemptu Regnis, & Rebuſpublicis interitum, & ſubuerſionem prænunciarunt; Etenim ſi diſſoluta, ac rupta *hominum* ſocietate, nec Regia Maieſtas faſtigium tenere, nec Imperium quodcunque diuulſis à ſe inuicem membris ſtare poteſt; quid obſecro de illo regno, aut de illa Republica ſperandum erit, vbi vera non adeſt religio, quæ ſola vinculum eſt ſocietatis humanæ, cuius ſanctitate fœdera iurantur, firmantur commercia, ſocietates omnes ſanciuntur? Cum igitur religio nil aliud ſit, quam quædam rerum humanarum, ac diuinarum conſenſio, atque adeo ſola firmum ſit Regnorum, ac Rerumpublicarum fulcrum, ſi ea concidat, optimo iure prædici poteſt omnis boni politici caſus, & interitus; nec alia de cauſa citò collapſurum Orientis Imperium præuiſum eſt, niſi quod religionis contemptus illius ruinæ præuium fuerit indicium; quemadmodum enim ex inopina cæli caligine, ipſiuſque Solis repentina infuſcatione licet animo præſagire aliquam euenturam orbi calamitatem, ita prorſus cum ex regnantum incuria deficit religio, propinquam Regnis, ac Rebuſpub. perniciem fas eſt augurari, ac tandem conijcere præ foribus exitium adeſse; id namque ſibi met ipſis Romani populorum prudentiſſimi vaticinati ſunt, cum intuerentur paulatim in Repub. Deorum cultum obliterari.

191 Ex alijs etiam cauſis ſolent Politici ſuas prædictiones ferre, quibus nec fidem vetamus; ſi nimirum Iuſtitiæ, ac Legum contemptum in Repub. ac regimine animaduertunt; inde non longè abeſse Reip. interitum coniectantes, occaſum etiam in ipſo ortu Reipub. prædicunt; & ſanè maximè ad rem, cum dicat

dicat Plutarchus etiam Ioui exturbationem à ſolio eſſe prænunciandam, ſi abſque Iuſtitia principatum gerat; cum enim Iuſtitia, legumque obſeruatio ſit omnis Reipub. baſis, inde fit, vt collapſa iuſtitia, ac legum obſeruatione, nulla ſtare queat Reſpub. habetur namque etiam ex ſacris literis Eccleſ. 10. Regnum degente in gentem transferri propter iniuſtitiam, iniurias, contumelias, & dolos. Hinc Spartanis ſummis legum, ac iuſtitiæ cultoribus Imperij felicitas ſæpè promiſsa eſt; nec alia de cauſa ſcribit Pauſanias in Meſſenicis diuturna triumphorum præſagia Athenienſes habuiſse. Ex his igitur cum pendeat omnis regnantum induſtria, omnis virtus, & potentia, fas eſt politicis proſpera ſemper augurari Reipub.. quemadmodum contra ex cauſis ipſam Rempub. euertentibus infauſta prædicere fas politicis ſemper fuit; ſunt enim quædam politicorum denunciationes, quæ licet prodigijs, ac vatum oraculis non innoteſcant, ſuis tamen cauſis aut conuerſionem, aut ſubuerſionem portendentibus palam fiunt; quales potiſſimum ſunt regentium, ſeu Rempub. adminiſtrantium Iniuſtitia, Auaritia, Libido, Superbia, Ambitio, & id genus alia, quæ ſemper Rerumpub. interitum præloquuntur. Præ cæteris verò, ex quibus ſolent diuinari euerſiones, & conuerſiones Rerumpub. à Polititicis, ennumeranda eſt impietas, diuinique cultus deſpectio; quippe vt inquit Seneca in Thyeſte

---- vbi non eſt pudor
Nec cura iuris, ſanctitas, pietas, fides
Inſtabile regnum eſt.

In qua re perhibetur Seneca veridicè vaticinatus, cum vaticinij veritas ex ipſis experimentis clariſſimè innoteſcat.

Quod ſi dicant quidam, nihili pendendas eſſe eiuſmodi politicorum prædi- 192
ctiones, cum fato ſuo vel euertantur, vel conuertantur Reſpub. ex eo præſertim quod interitus, vel mutationis expers eſſe non poſſit, quod originem traxit à mutatione, ex eo etiam quod certis deſcripta periodis ſtare ſemper, ac durare nequeant, quæ nata ſunt, vt intereant; cum tamen plerumque nullum aliud ſit fatum Rebuſpub. conſtitutum, quam boni vel mali perſecutio, inde fit, quod etiam excluſo communi fato, poſſint bona ex virtutibus, mala verò ex vitijs omina parari, quibus adhibeatur fides; neque enim temerè tantum, ac fortuitò, nulloque ordine, ac Conſilio Reſpub. oriuntur, vel extinguuntur, cum certa ſit Diuinitatis prouidentia, à qua legem accipit, quidquid naſcitur, aut interit; nec tam humani conſilij quam diuinæ ſapientiæ opus eſſe, quidquid in Rebuſp. rectè agitur. Sic etiam ex nimio alicuius Reip. argumento benè prædicitur à Politicis eam Rempub. in tanta magnitudine conſtitutam diutiùs durare non poſſe; nam ſicut Gyganteæ corporum moles magnis, ac varijs non raró malis agitantur, ita etiam vt quandoq. mole ruant ſua; ita magna imperia in dies excreſcentia ſuis viribus, ſua magnitudine, ac granditate tandem fatiſcunt; quod optimè teſtatus eſt etiam Lucan. lib. 1.

In ſe magna ruunt, lætiſque hunc Numina rebus

V Cre-

Creſcendi poſuere modum

Non fert enim humanarum rerum conditio, vt ſemper creſcant, cum etiam decrementum illis à natura inditum ſit; propterea ex nimio argumento dicuntur tandem perijſſe Reſpub. plures, Chartaginenſis præſertim, & Romana, quæ in tanta amplitudine diutius ſtare non potuerunt; Imperij namque cuiuſcunque felicitas non tam magnitudine, quam firmitate æſtimanda eſt. Hæc ſunt, quæ præſertim à Politicis de ſtatu Rerumpub. prænunciari poſſunt, quibus etiam poteſt adhiberi fides.

DISSERTAT·XXXVIII.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex Medicis.

QVALIS ſit, ex quibus deriuata fontibus, quibus incedat, 193
atque inſiſtat vijs, & rationibus Medicorum diuinatio, quæ eſt illa medicinæ pars, quæ de ſignis agit, hoc loco à nobis breuiter, vt noſtri moris eſt, inquirendum; cum enim perplura ſigna ſint, quibus adhærentes Medici, ſuas prædictiones ferunt, ea præſertim proferenda erunt, quæ maiorem euentuum, qui prædicuntur certitudinem conſtituunt, ne ipſis deludantur Medici, & cum Medicis illi quoq. qui eorum præſagijs, ac prognoſticis nimiam fidem adhibent; Ex ſignis namq. arguentibus in ſanis valetudinem aut firmam, aut affectam, aut labentem in deterius, aut omnino collapſam ſolent Medici omnes ſuas prænotiones, ac prædictiones eruere, quibus indicent de morbis imminentibus, atque oborituris, de conualeſcentia, de vita, & morte, ac de reliquis bonæ, vel malæ valetudinis Symptomatibus. Prædictionum verò ſigna, quibus innituntur Medici, alia omnino certa ſunt apud ipſos, alia verò ſolummodo probabilia; hancque diſtinctionem ſignorum à Galeno accepere, qui docet ea eſſe ſigna certa, quæ rem vnam, atque eamdem ſua natura perpetuò, ac neceſsariò citrà vllam ambiguitatem demonſtrant, nec fortuitis notantur obſeruationibus, ſed ratione logica, ac firma demonſtratione tamquam ex veris cauſis, aut effectibus certò cognitis colliguntur; Signa verò tantum veriſimilia ſeu probabilia ea eſse tradit, quæ nec neceſsario, nec perpetuò, ſed tamen vt plurimum eamdem rem indicant; conſtantque, ac nituntur conſentientis experientiæ argumentis.

Ex tota igitur ſignorum congerie, quæ aut ſigna tantum ſunt, aut ſigna ſimul & cauſæ, aut ſigna & ſymptomata, ijs præſertim in prædictionibus medicis fides adhibenda ſunt, ex quibus certiora euentuum ducuntur indicia, qualia præſertim ſunt, quæ vim, & rationem ſignorum habent, ſimulq. cauſarum, & ſymptoma-

Digitized by Google

ptomatum, ſunt enim hæc ſigna ita cum euentibus colligata, vt ſnopte nexu ſint ſatis ad eos producendos, cum ea ſit ſignorum ratio in arte medica ad res ſignificatas, quæ eſt vel cauſarum ad effectus, vel effectuum ad cauſas, vel eorum, quæ cauſis, & effectibus adiuncta cohærent, correlatiua; ac propterea non ſine ratione medici ſuas prædictiones ferunt, vel de integra, & conſtante valetudine, vel de valetudine paulatim degenerante, vel de iam malè affecta, & proſtrata; quod etiam ritè agunt, cum ſigna tantum probabilia ſunt, & ambigua, cum etiam ex his ſufficiens ſuppetat ratio probabilium morbi, vel valetudinis prædictionum; habentur enim loco ſignorum præſagientium ea omnia, quæ vel notantur in ægris ad indicandum naturæ vincentis robur, vel ad indicandam conualeſcentiam ex morbis, recuperationem, atque corroborationem virium amiſſarum; vel quæ aptitudinem, propenſionemque demonſtrant ad morbos in corporibus neutris, aut aliquando erupturas, quæ ſenſim gignuntur ægritudines; vel denique quæ ægris iam malè affectis morbi prorogationem, aut interitum præmonſtant; hæc etiam in duplici ordine conſtituũtur à Galeno, alia enim in neutris obſeruantur corporibus, ijs, nimirum, quæ nullius adhuc actionis læſionem euidentem, nullamuè, quæ officiat actionibus, noxam percipiunt; Alia verò in ægris ipſis; & primi ordinis ſigna docet Galenus affectionem neutram exquiſitè declarare, & morbum prænunciare, & medium quiddam habere inter ea, quæ ægris, & ſanis accidunt; ordinis verò ſecundi omnino exitioſa eſſe, & vel mortem prænunciare, cum natura languet, ac deficit viribus deſtituta, vel morbi durationem, cum ſuppetunt naturæ vires, vt morbum aliquandiu ſuſtinere valeat.

195 Prædictionibus etiam, quæ ex ſignis coctionis, & cruditatis in humoribus ſolent afferri, multam fidem adhibendam eſſe cenſemus; etenim coctionis ſigna, quocunque morbi tempore apparuerint, ſemper bona ſunt, & morbi ſolutionem indicant, quemadmodũ contra cruditatis ſigna, ſiue in primo morbi principio exilientia, ſiue quocunque morbi tempore ſeſe promentia non ita celerem valetudinis reſtitutionem pollicentur; cum enim ſigna cruditatis coctu elaboratuque difficilem materiam indicent, longiori etiam tempore perduraturos morbos arguunt, & quantum in ipſis eſt, non mortis periculo ægrum liberant, ſed interitum accelerant, vt habet Hippocrates 7. Epidem. idcirco non eodem modo, vt coctionis ſigna ſalutem ſemper, ac ſecuritatem ſpondent; licet etiam ſæpe ad coctionem accidentia, ſuperandum à natura morbum, moxque ceſſurum, atque abiturum confirment. Sic etiam ex ſignis cruditatis cognitis ante morbum ſolent medici morbum ipſum prædicere, ac prænunciare, idque ſane optimo iure, cum plerique morborum tanquam prænuncios habeant, præcurſores, ac præcones ſuos cruditatem, ac motus difficultatem, cum præſertim quędam ſegnities neruis ineſt, atque ſine labore laſſitudo, oſcitatio, & horror membra ſine cauſa percurrens; docet enim Hippocrates grauitatem membrorum, & defatigationes ſponte ortas ſemper morbum indicare, nimirum ob plenitudinem humorum neruorum ſpiritu compreſſo, & obſtructo; ex his

his namque omnibus ſolent medici periti de hominum ſalute, morbis, & interitu preſagire, quemadmodum etiam ex ægrotantium apperitionibus, vigilijs, ac ſomnijs ſolent de imminentibus morborum periculis ſuſpicari, & iudicare, arguenres vel humorum craſſitiem, vel ſaltem eorum conturbationem iuxta id, quod de ſomnijs canit Horat. 1. de art. Poet.

—— cuius velut ægri ſomnia, vanæ
Finguntur ſpecies.

Quæ tamen de ſomnijs prædictiones non probantur in medicis, cum ex ſomnijs ipſis ea diuinare ſatagunt, quę ad euentus liberè contingentes ſpectant, cuiuſmodi fuit diuinatio illa, quam tulit medicus Augusti ex illius ſomnio, quo monuit vt è tabernaculo egrederetur in Philippenſi acie, quamuis ipſe prius propter valetudinem non egredi ſtatuiſset.

Prædictiones deniq. quę feruntur à medicis ex pulſuum, vel arteriarum motibus fallaciſſimæ ſunt, licet quibuſdam innitantur obſeruationibus, ex quibus arguuntur euentus; licet enim non ſit aliud certius, aut firmius indicium, vel viuidæ, & conſtantis virtutis, vel nutantis, ac proſtrati roboris pulſu; exploratio tamen, cognitio, ac diiudicatio pulſuum exacta ſemper fuit difficillima, & vix pauci licet toto vitæ tempore in ea tractatione exercitati tandem eorũ diſcrimina perdiſcunt; plurimi ne quidem variantes eorum motus attingunt; quapropter ad pulſus comprehendendos opus eſt aſſuefactione longa, attentione accurata, aſſiduitate non intermiſſa, iudicio denique exquiſitiſſimo, vt ritè eorum ſubitæ, ac momentaneæ mutationes obſeruentur, ex quibus morborum prædictiones confinguntur; prædicitur enim hominis prius ægrotantis valetudo, dum pulſus imperturbata mobilitas modum ſeruat. 196

Dumque ſuo tentat ſalientes pollice venas
Ac peragit ſoliti vena tenoris iter.

Cum tamen difficillimè ea omnia medicus aſſequatur, inde fit vt ſemper incertas prædictiones ferat; quemadmodum etiam euenit in reliquis medicæ artis diuinationibus, quæ cum ſolis rerum coniecturis adhæreant, ſemper incertæ habendæ ſunt, nullamque certam, ac firmam à nobis fidem expoſcere poſſunt.

Quod potiſſimum de illis ſtatuẽdum eſt, quæ ex cælorum aſpectu, aſtrorum, ac planetarum influxu medici ferre ſolent, cum in curandis morbis impenſiùs occupantur, nulla namq. medico illi fides adhibenda, qui omnem humanum euentum cæleſtibus adſcribens, omnem hominis curationem, valetudinem, atque interitũ ab aſtris pendere pronunciat, neminemq. victurum, aut moriturũ eſse diiudicat, niſi diſquiſita dumtaxat aſtrorũ, & planetarũ ratione; licet enim mũdus omnis elementaris quoquo modo à cæleſti gubernetur, vt Ariſt. docet 1. met. non ſunt tamen medicorum mentes ita occupandæ, vt caligine quadam circũfuſæ poſthabito in ſublunaribus terrenorum obtutu, neglecta humorũ, ac tẽperiei hominem conſtituentiũ obſeruatione, omnia referant in cælum; neq. enim vt vera à medico tenẽda eſt Heraclidis opinio, qui homines ab orbe Lunæ decidere affirmabat, adeoq. homines cũ Luna incremẽtũ, diminutionẽ, atq. 197

inte-

interitum eſſe paſsuros; fuere enim hæc omnia præclara veterum deliramenta, licet ipſis fortaſse ſubſcripſerint quidam Philoſophi, ac præſertim Theſpeſius quidam Cilex, qui teſtatus eſt ſe cum Luna interijſse, ac reuixiſſe. Ad ſummum igitur bonum eſt medicis anni tempora, & tempeſtates ſedulò obſeruare in quibuſcunque medendi rationibus, cum eiuſmodi obſeruatio hominum valetudini ſummoperè faueat.

198 Non omnino tamen damnandum eſt in medico ex animi affectuum notitia, atque obſeruatione quaſdam prædictiones ferre circa ea, quę corpori euẽtura ſunt; cum quatuor primis humoribus temperamentum in homine conſtituentibus reſpondeant quatuor primi animi affectus, iiſque ſint prorſus addicti, calori nimirum, ſeù bili ira, frigori, ſeù pituitæ manſuetudo; ſiccitati, ſeu melancholiæ triſtitia; ſanguini denique gaudium, qui affectus ſi accuratè in homine animaduertantur à medico, poteſt facilè iudicium, & prædictionem ferre de ijs malis, vel bonis, quæ homini ex vi, & abundantia eorum humorum ſunt euentura; poſsunt enim animus, & corpus conſenſu quodam ira ægrotare in homine, vt queat medicus ex eorum ægrotatione ſalutem, vel interitum vtriuſque quodammodo prænunciare; ſic quemadmodum ex moderatis animi affectibus optimam inferunt medici corporis conſtitutionem, ac valetudinem, ita verſa vice ex nimium effuſis ſæpe ſyncopen, & repentinas mortes cum fundamento prędicunt; quę pręſertim prędicta perhibentur à medico Dionyſio Sicilię Tyranno, qui ſolebat in nimium ex rebus lętis gaudium effundi, & ideo gaudio perijt.

DIS-

DISSERTAT. XXXIX.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex Stoicis.

STOICORVM cætus ferè omnis ſuas potiſſimas prædi- 199
ctiones tulit de interitu mundi, quem condicto tempore, ſic vrgente fato, periturum voluere; at de modo quo interitum ſit mundus ſubiturus, non eſt vna omnium Stoicorum doctrina; nam plerique docuere mundum eſse abſoluendum per exuſtionem, Alij verò per ſubmerſionem, Alij denique per elementorum naturalem quamdam diſsolutionem; At quod in hac re mirandum prorſus eſt, Stoicos Philoſophos ſine diuino afflatu vniuerſam mundi combuſtionem agnouiſse; ex qua Stoicorum cognitione excitata ſunt poſtmodum illa Poetarum carmina, præſertim apud Ouid. 1. met. de fine mundi

Eſſe quoque in fatis reminiſcitur adfore tempus
Quo mare, quo tellus, correpta Regia Cæli
Ardeat, & mundi moles operoſa laboret.

Hancque fortaſse de mundi interim cognitionem hauſerunt Stoici, & Poetæ à pronunciatis Hebræorum, qui multarum rerum notitiam ad Ægyptios tranſtulerunt, à quibus ad Græcos plurima cognitio peruenit.

At licet nũquam ſatis celebrare poſſimus Stoicorum prædictiones de mun- 200
di Cataclyſmo per combuſtionem, vt potè ſacrarum literarum oraculis valdè conſentaneas, ſic etiam nunquam ſatis mirari valemus, quomodo tam celebris Philoſophorum Senatus ita deſipuerit, ac delirauerit, vt putaret aſtrorum pabula eſse vapores, & aquarum expirationes, cuius pabuli defectu, quem ipſi naturaliter præuidebant, dicerent poſtea mundum eſse ab Aſtris inflammandum, cum Aſtrorum ſubſtantia ex ipſorum doctrina ignea conſtituatur. Quod fortaſse erratum dicitur emanaſse ab Homero, qui ſtellas vaporibus nutriri fabularum tegumento indicauit, Iouem ſcilicet cum cæteris Dijs, ideſt, cum ſtellis ad Oceanum perrexiſse fabulatus eſt, Æthiopibus ad epulas inuitantibus,

bus, quam fabulam interpretatus eſt Macrobius in Som. Scipionis, de ſtellis, quæ natura flammeæ ſunt, & indigent humoribus nutriri; hincque idem Macrobius diuina prouidentia factum putat, vt ſub zona torida locaretur Oceanus, quo Sol inde ſubiecti humoris alimoniam haberet; & ideo forſan cecinit Lucanus lib. 9.

Quod rapidus Titan Ponto ſua lumina paſcens
Æquora ſubduxit Zonæ vicina peruſtæ

Et faceti ſſimus Anacreon vates ad potandum ſatis pronus ea ad hanc rem non inſipienter eructauit.

Et potat æquor aquas
Phœbuſque potat æquor.

201 At Stoicis in hoc freto natantibus, atque difficultatum pondere penè ſubmerſis nulla fides eſt adhibenda; quemadmodum enim à veritate alienæ ſunt eorũ prædictiones de poſtrema mundi conflagratione producenda à ſideribus igneis, quod nimirũ illis ſint defecturi vapores vel humores alimentarij; ita non minus reprobandum eſt eorũ crimen, quo neceſſitatem rebus omnibus imponentes, Mundi occaſum fatalem, ac neceſſarium condicto tempore prædixere; Neque enim vapores & humores ita excitari, ac euehi ſurſum poſſunt, vt ad ſidera vſque pertingant; neque aliud fatum rebus humanis, elementaribus, atque cæleſtibus conſtitui poteſt, quam illud, quod à diuina prouidentia liberè rebus omnibus impoſitum eſt; licet enim mundi interitus à Deo pro tali tempore cognitus ſit, non proinde aut neceſſarius, & fatalis dici poteſt, neque à nobis cognoſci, aut quoquo modo prædici poteſt; cum arcano quodam conſilio voluerit Deus ignorari; & licet infallibili, qualis eſt diuina, ſit cognitione ſubiectus, contingens tamen ſemper erit euentus illius occaſus, cum euentus infallibilitas neceſſitatem abſolutam non importet, vt melius Stoicis ſciunt Theologi, ad ſummum in rebus humanis quamdam ſuppoſitionis neceſſitatem adſtruentes, quæ nec Deo, nec creaturis adimit libertatem.

202 Occaſus igitur mundi neque ex naturali aſtrorum incendio, neque ex alijs cælorum motibus, aut qualitatibus potuit à Stoicis certò prædici, cum ea omnia, quæ Stoici ad ſuas fingendas prædictiones attulere vel omnino futilia, atque inania ſint, vel à ſolida veritatis ratione admodum aberrantia; non enim ſunt in cælo, aut in aſtris occultæ illæ qualitates exitioſæ, ac læthales, quas Stoici ſomniabant, à quarum influxibus, quemadmodum peculiaria funera, & infelices pendere euentus ipſi autumant, ſic pendeat totius mundi fatalis occaſus; non enim intelligi facilè poteſt quanam ratione cæleſtes virtutes, & qualitates illæ exitiales è tam remotis regionibus prouenire poſſint, abſque eo quod in medio tranſitu non euaneſcant, ac penitus diſſoluantur in nihilum, cum ſenſu ipſo experiamur ſpecies ſpiritales viſibiles è longinquis obiectis dimanantes per longum ſpatium traiectas, tandem ità fatiſcere, vt ad oculum non perueniant valdè diſtantem. Addo de incertitudine harum occultarum qualitatum nihil certi potuiſse à Stoicis prædici.

Cæte-

Cæterum prædictiones omnes, quas de mũdi interitu, aut de aliarum rerum ſublunarium occaſu quoquo modo attulere Stoici, eam fidem promerentur, quæ in ſimili vaticinio quondam apud Romanos adhibita eſt; cum enim quidam Sybillini carminis Interpres omnia luctibus, & eiulatibus confundere cępiſſet, adeſſe iam fatalem mundo diem, quo rerum vniuerſitas conflagraret, inclamans, Sybillæ etiam carmina proferens 203

Africa cum fuerit Romanis victa ſub armis
Tunc Mundus cum prole cadet

Vatis, & vaticinij inanitatem ridiculus comprobauit euentus; licet enim apertiſſima Sybillæ verba viderentur, & quæ nulla explicatione indigerent; tametſi iam capta eſſet à Romanis Africa; atque ex alijs euentis dubitari iam non poſſet hoc etiam ſuum habiturum effectum; præſertim cum circa eadem tempora alia multa prodigia animos concuſſiſsent, & ſeneſcenti iam mundo tot bellis attrito impendens vltima calamitas timeri iam poſset; tamen in tanto omnium pauore, ac trepidatione lętiſſimus adfuit nuncius, qui iuſſit omnes bono animo eſse, ac ab omni perturbatione ſoluto, eò prę̨ſertim, quod ipſe omnibus renunciaret, mundũ cum ſua prole, prout vaticinatæ erant Sybillæ, iam cecidiſse; Atque cum homo ille inſanire putaretur, menteque moueri, quod tam inepta loqueretur, idem ipſe affirmabat magis, magiſque conteſtabatur ſe vidiſse mundum cum prole deiectum, atque collapſum. Quale fuerit lepidum hoc vaticinij euentum, ex eo tandem coniectatum eſt, quod eo tempore pugnaſset aduerſus Gothos fortiſſimus quidam Beliſarij Dux Mundus nomine, qui filium habebat eiuſdem animi roboris, nomine Mauritium; atque Mundus pater dum Gothos nimio furore perſequeretur in ſua ipſe victoria à fugientibus hoſtibus vnà cum filio interfectus eſt; quod erat illud Sybillæ vaticinium, quod interpretis ignoratione mortales omnes metu concuſserat, nimirũ Africa deuicta Mundum cum prole periturum; ſicque tam horribilis exitij denunciatio abijt in riſum; & ſi in interpretatione verborum, quæ videbantur apertiſſimè eam calamitatem communem ſignificare tam ridiculè eſt erratũ, quid erit dicendum de obſcuris Stoicorum prædictionibus, quæ mundo denunciant interitum nulla innixi ratione?

DISSERTATIO XL.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex Coniectoribus.

204 SVPERSVNT plura alia prædictionum genera, quibus fidem adhibere non minus ineptum eſt, atque ab omni ratione alienum, ſed etiam impium, & ſacrilegum; Præ cęteris, ciurandæ omnino ſunt, atque deteſtandæ prædictiones Necromanticę, in quibus ſcilicet futurorum reſponſa à mortuorum cadaueribus elici ſolent; non enim id fieri poteſt, *niſi* aliquo Dæmone ad cadauera aduentante, atq. reſponſa reddente, cum *id* agere non liceat animabus, quæ olim fuere cadauerum formæ, ex eo quod vi naturæ ad priuatione ad habitum non fiat regreſſio; quapropter omnino fabuloſa cenſenda illa ſunt, quibus dicitur Ægyptiam Magam apud Heliodorum animas functorum ad ſanguinem euocaſſe, eoq. guſtato reſponſa reddidiſſe; quēadmodum etiam poeticæ fabellæ putandæ ſunt, quod Hippolitus, Glaucus, & Adonis fuerint ab inferis excitati, & vitæ redditi; his namq. & ſimilibus nulla fides adhibenda. Pari ratione differendum eſt de prædictionibus Anthropomanticis, quæ fiunt per exta puerorum, quibus nīl dirius excogitari poteſt, licet omnes penè gentes, quæ humanis hoſtijs litarunt, humanis quoq. extis ad futura præuidenda vſæ fuerint; quod præſertim narratur de Iuliano impio Deſertore, qui diſſecto pręgnantium fæminarum vtero ad diuinationem vtebatur; à qua impietate neque abſuit Sapor Rex, de quo Catullus ea protulit

Fata per humanas ſolitus prædicere fibras
Impius horrenda religione Sapor.

205 Eodem modo ſtatuendum eſt de alijs Coniectorum prędictionibus, ac 1. de Lecanomanticis, quas vocant diuinationes ex pelui, quibus præſertim vtebantur Aſſyrij, qui ad prædicenda futura, qui in peluim aqua plenam Dæmonem immergere putabant, & cum ad fundum perueniſset, vocem quamdam tenuem ſibi exaudire videbantur, quæ futura, ſeù quæſita enunciaret. 2. de

Gaſtro-

Gaſtromanticis in quibus vas ventris inſtar adhibebatur, ſed vitreum, rotundum, aqua plenum; cereis accenſis vndequaque cinctum, Magis carmina quędam admurmurantibus, puero integro, & fæmina prægnante adſtantibus. 3. de Catopromanticis, in quibus adhibebatur ſpeculum in peluim aqua plenam immiſsum cum puero integro adſtante, & etiam fæmina prægnante, quæ nondum nonum menſem attigiſſet. 4. de Onychomanticis, in quibus pueri tenelli, & integri manus vola, & pollicis vnguis fuligine, & oleo illinebatur, apparentibus in vngue imaginibus rerum, quas præſcire ſatagebant, maximè ſi puer ad ſolem ſe obuertiſſet. 5. de Capnomanticis, quæ ſumebantur ex fumo, vel in orbem ſe voluente, vel in obliquum ſe flectente, vel in rectum ſe porrigente; quas fumi obſeruationes ait Teophilactus fuiſſe in vſu etiam apud veteres Hebræos, qui maximè ſpectabant in ſacrificijs, an fumus rectus in altum aſcenderet; quò fortaſſe pertinet illud Salomonis (ſicut virgula fumi ex aromatibus) & etiam apud Romanos, Dione teſte, obſeruatum eſt, quod antequam necaretur Seianus, eius necem prædixit Fumus, qui copioſus ex eius ſtatua emerſit

Libata Bacchi dona permutat cruor
Ambitque denſus regium Fumus caput.

Habet Seneca in Oedippo. 6. de Omphalomanticis, quas præſertim exercebant obſtetrices, quæ per nodulos vmbilico, & ſecundis adhærentes conijciebant, quoties puerpera eſſet in poſterum paritura. 7. de Pythomanticis, in quibus ad diuinandum capilli adhibebantur. 8. de Ceromanticis, ad quas ferendas ſpectabantur variæ figuræ, quæ fiebant ex cera igne colliquefacta, imprecatione quadam præcedente. 9. de Daphnomanticis, quæ fiebant ex laurei rami crepitu in igne, iuxta illud, quod innuit Claud. lib. 2. de rapt. Proſerp.

------- *venturi præſcia Laurus*
Fluctuat.

10. de Onomatomanticis, ſeu Arithomanticis, quæ futura prænunciabant ex nomine eorum, de quibus futura quærebantur; fuere enim quidā Onotomantes ita ſuperſtitioſi, qui ex ſolo nomine illius qui conſulebat, valetudinem proſperam, vel afflictam, ipſam etiam mortem vaticinabantur. 11. de Aegomanticis, quibus per capras, per coruos, vel per aliud eiuſmodi animalium genus diuinabatur. 12. de Tephramanticis, quibus fiebat diuinationes ex cinere, cum quærentis, & quæſitę rei nomine cineri inſcripto, flante vento, ex literis quę remanſiſſent, & in verba coaluiſſent futura coniectabantur. 13. de Botanomanticis, quę habebantur quibuſdam nominibus in Saluiæ folijs, vel alijs eiuſmodi herbis, quas vaticinatrices vocabant, inſcriptis; inſcribebantur enim apud veteres quæſitarum rerum nomina in herbis, vt ex ipſis quodā magico murmure prolato furta pręſertim, & fures indicarētur; de quarum ordine etiam recenſentur Sycomanticę, in quibus folia fici adhibebantur, ſed diuerſimodè, quibuſdam adiunctis magicis excantationibus, quibus prolatis, ſi ſtatim exaruiſsent folia, inauſpicatum erat, quod pręducebatur, ſi tardius, auſpicatum.

14. de Rabdomanticis, quæ erant diuinationes apud Scythas teſte Herodoto lib. 4. quæ fiebant per virgas; & de Germanis etiam refert Tacitus, quod virgas amputabant in ſurculos notis diſcretos, vnde futura coniectarent.

206 Mitto hic reliqua prædictionum genera non minus enarratis ſuperſtitioſa, impia, & ſacrilega, quibus nulla fides adhibenda; ſunt enim penè innumeræ pro multiplici gentium, ac nationum varietate inuentæ, atque vſurpatæ, quæ ſanè potius excitare poſſunt riſum, quam fidem; quales erant Axinomanticæ quæ fiebant per ſecurim proiectam in aquam, ex cuius motu in aqua futura præſentiebant; Libanomanticæ, quæ fiebant ex Thure in ignem proiecto; refert namque Dio. lib. 41. Nymphæum quemdam locum fuiſſe, vbi ex Thuris accenſi fumo, & crepitu de omnibus rebus monebantur, niſi vel de morte, vel de matrimonio ageretur; cuius loci morem fortaſſis innuit Statius lib. 10. Theb. ad illa carmina

Thurea nec ſupra volitante altaria fumo.

Amniomanticæ, quæ futura proferebat ex tribus membranis, quibus inuoluitur fætus in vtero matris; teſtatur namque Lampridius Diadumenum Macrini filium eiuſmodi prædictionibus ſtetiſſe, cum tamen ex his potius deprehendatur anicularum fatuitas, quæ ex colore membranarum cuiuſcunque infantis fortunam ariolantur. Coſcinomanticæ, quæ ſunt diuinationes factæ per cribrum per forcipem ſuſpenſum; hæque merè diabolicæ putantur, ac iure ab Eccleſia damnantur. Lampadomanticæ, quæ fiebant per Lucernas clarum, vel obſcurum edentes lumen, de quibus Propertius lib. 4.

Sed neque ſuppletis conſtabat flamma lucernis,

Parthenomanticæ, quibus diuinabant de puellæ virginitate, atque integritate exhibito quodam probationis poculo; quibus non abſimiles erant illæ, in quibus exhibebantur probationis pocula fæminis adulterij ſuſpectis, de quibus ſcribit Ioſephus, licet ab alijs alij modi proferantur explorandæ in mulieribus virginitatis, vel caſtitatis, nimirum per quoſdam funiculos, de quibus illa extant apud Catullum

Non illam nutrix orienti luce reuirens
Heſterno poterit collum circumdare filo.

Dactyliomanticæ, quæ habebantur per annulos, in quibus aiebant Dæmones teneri; cuiuſmodi dicitur fuiſſe annulus Gygis apud Platonem, & Herodotum Oenomanticæ, quæ habebantur per vinum Dijs libatum, ex cuius mutatione futura prædicebantur; de quibus Virgil. 4. Æneid.

Vidit Thuricremis cum dona imponeret aris
Horrendum dictu! latices nigreſcere ſacros
Fuſaque in obſcœnum ſe vertere vina cruorem.

Et etiam Pauſanias teſtatur Xerſi Græciæ exitium paranti vina iterum & tertio fuiſſe Thebis in ſanguinem mutata. Aleuromanticæ, & Crithomanticæ in quibus placentæ ex hordeo, tritico, & ſimilagine inſpiciebantur, vt futura coniectarentur. Ooſcopicæ, quibus oua inſpiciebantur in ſacris, & futura prænuncia-

nunciabantur; ad quod genus reuocari poteſt illud Liuiæ delirium apud Suetonium, quæ prægnans cum varijs captaret ominibus, an marem editura eſſet, ouum incubanti gallinæ ſubductum nunc ſua, nunc miniſtrarum manu per vices eouſque fouit, quoad pullus inſigniter criſtatus excluſus eſt: Hæc enim omnia ſatis erroribus, criminibus, inſanijs, atque delirijs ſe produnt ſuis, & hinc non eſt opus, vt amplioribus rationibus ea inſectemur; quo perſpectius fiat non modo nullam eſſe adhibendam fidem eiuſmodi ineptijs, ſed ipſa quoque fide noſtra eſſe ad ſummum deteſtandas.

DISSERTATIO XLI.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex ſignis temporum.

207 DE ſignis temporum plura habet Auguſtinus Niphus in ſuo libello; nos pauca, vt moris eſt, eaque ad prædictiones ferendas, ac fide proſequendas ſpectantia, delibabimus; ſi quæ enim prædictiones futurorum inueniuntur, quæ noſtram fidem expoſcant, illæ præſertim ſunt, quæ ex quibuſdam temporum ſignis ducuntur, id ſatis conteſtante nobis *Democrito*, qui metente eius fratre Damaſo ſub ardentiſſimo æſtu, orauit, vt reliquæ parcens ſegeti, deſectam iam quam citò raperet, atque ſub tectum traſueheret, paucis mox horis ſæuo imbre vaticinatione approbata; Quemadmodum etiam fertur Anaximandrum Mileſium ex quibuſdam ſignis in ſublimi apparentibus Lacedęmonijs prædixiſſe, vt vrbem, ac tecta cuſtodirent, inſtante iam terræ motu, ac totius vrbis ruina. Innumeri penè fuere ſapientes viri, quorum meminit Theophraſtus in libro de ſignis aquarum, qui ex ſignis in ſublimi apparentibus, rerum euentus, ac temporum mutationes præſenſerunt, quos omnes non eſt opus hoc loco recenſere, vbi tantum ſigna illa proferenda ſunt, ex quibus fides adhiberi poteſt futurorum prædictionibus, quæ ſigna vocantur ipſis naturæ indicia, ad hoc condita à ſupremo molitore; quorum pleraque licet certis temporibus incerta ſint, vt plurimum tamen euentuum certitudinem præ ſe ferunt.

208 Atque in primis fidem eſſe adhibendam cenſemus prædictionibus illis, quæ feruntur de temporis ſerenitate ex ſignorum obſeruatione, quam facit Ptolemæus in lib. 2. Apoteleſmatum, qui præcipit pro diurna temporis qualitate obſeruandum eſſe Solem cõſtitutum in ortu, pro nocturna verò temporis conſtitutione, Solem ipſum in occaſu collocatum, cum ortus diei, occaſus noctis principium ſit, atque à rerum principijs cætera, quæ ſequuntur animaduertenda ſunt; nec tantum Solem, verum etiam Lunam, & cæteras ſtellas obſeruandas

das eſse monet, vt ſuo loco exponemus. Si igitur Sol erit purus, lucens, rutilus, limpidus, nulliſq. nubibus coopertus ſereni tempori nuntius erit, diei quidem oriens, noctis autem occidens; eaque ratione ex hoc ſigno prædicere ſerenitatem licebit, quod ex illo coniectetur, vaporum, quibus nubes, & pluuiæ exoriuntur, omnimodam carentiam in aere eſse; quam coniectandi, atq. prædicendi rationem Ariſtoteles ipſe ſæpè probauit in Problem. quemadmodum illam etiam admiſit, quæ ab ijs accipi ſolet, quæ cooriuntur Soli, atq. cum Sole ipſo cooccidunt, vt ſunt colores, iris, caligo, ros, & id genus alia; rubedo namque veſpertina, Solque occidens croceus, vt Theophraſtus aduertit, præſertim in hyeme ſerenitatem ſignificat; quo enim magis rubedo veſpertina, clara, ac purpurea eſt, tanto magis, ac magis ſerenitatis nuntia eſt; cuius ſigni cauſa eſt, quod vapores in die ſole trahente eleuati, rurſus nocte decidere videntur; cumque vapores deſcendunt, ſemper ſerenitatem portendunt, cum ab eo loco recedant, vbi conuertuntur in nubes, vel in pluuiam. Quæ omnia dici poſſunt etiam de albedine clara, quæ apparet occidente ſole, & de ipſa caligine, quæ alba ſit, & quæ appareat etiam oriente ſole; nam alba caligo efformatur per partes nubium tenuiores, quæ facile in aquam conuerti non poſsunt, & ideo cum valdè tenues ſint, citò à ſolari calido diſsoluuntur, & ſerenitatẽ relinquunt; quod argumentum euincit etiam à rore eſse accipiendum ſereni temporis ſignum, cum enim ros ſit materia nõ pinguis, ex qua pluuia fieri facilè poſſit, ſed tenuiſſima, quæ ſola noctis frigiditate denſatur in rorem, ſuoque pondere ruat in terram, enunciat aeris ſerenitatem, relicto aere ipſo vaporibus exonerato; idemque de Iride iudicium ferendum eſt, præſertim ſi apparuerit in plaga occidentali, ſole exiſtente in plaga orientali.

Prædictionibus quoque, quæ ex ſignis feruntur circa Lunam apparentibus, 209
fidem adhiberi poſse non inficiamur; eaq. præſertim vel circa Lunam tertiam, vt vult Ptolemæus; vel circa Lunam quartam, vt aſserunt Plinius, Virgilius, & Beda ex Ægyptiorum ſapientum authoritate; vel denique circa Plenilunium, vt docet Theophraſtus eſse obſeruanda affirmamus; ſi enim in eiuſmodi Lunæ conſtitutionibus Luna ipſa fuerit pura, ſplendens, nulloq. circumſepta vapore, temporis ſerenitas abſq. vlla hæſitatione prænunciari poterit, & fide non illudenda expectari; Virgilius namque præ cæteris ex puritate, ac claritate Lunæ quartæ ſerenitatem totius menſis in 1. Georg. præſagiebat

Si ortu quarto (namque is certiſsimus author)
Pura neque obtuſis per cælum cornibus ibit
Totus & ille dies, & qui naſcentur ab illo
Exactum ad menſem, pluuia ventiſque carebunt.

Vbi Seruius aduertit Virgilium voluiſse quartã Lunam eſse obſeruandam animaduerſionẽ tertiæ Lunæ non improbando, ſed Lunam quartã magis probando, cum quarta Luna magis confirmet diſpoſitionem tertiæ, & vtraque æquè puro nitore fulgens ſerenitatem ſpondeat; quemadmodum facit etiam plena Luna. Præſertim verò conſiderandus eſt ſtatus Lunæ, qui erit pro anni temporibus,

poribus, videlicet cum præcedit introitum ſolis, aut in primum punctum Arietis pro ſtatu Veris; aut in primum punctum Cancri pro conſtitutione Æſtatis; aut in primum punctum Libræ pro diſpoſitione Autumni; aut in primum punctum Capricorni pro ſtatu hyemis; qualis enim erit diſpoſitio Lunæ pro tempore, talis erit prænunciandus ipſius temporis ſtatus. Solet denique ad ferendas temporum prædictiones obſeruari etiam circa Lunam area illa, ſeù corona, quæ græcè halo dicitur; de qua docet Ariſtoteles in Meteoris, cum tabeſcit, eſse ſerenitatis ſignum; cum enim vapor halonicus tabeſcat, ſe ſe paulatim reſoluendo, atque attenuando, ſignum eſt, quod ibi ſit calor diſtrahens, ac diſſipans illum vaporem, qui poſset in pluuiam conuerti. Quod etiam affirmandum videtur de halonibus, ſeù vaporibus, qui apparent circa alias ſtellas, præſertim circa præſepe, quod per duas ſtellas conſtituitur, quæ vocatur Aſelli, non nimium ab inuicē diſtantes, nec nimium propè exiſtentes; quando enim purum, & nitidum præſepe iſtud apparuerit, ſerenitatem promittit, cum & vaporum, & exhalationum abſentiā in aere factam eſse ſpondeat, quibus pluuiæ, nubes, aut venti concreſcunt. Idem dicas de alijs ſtellis, quæ ſolent areis infuſcari, vel eiuſmodi circulis coronari.

210 Poſſumus etiam fidem noſtram prædictionibus illis deuouere, quæ ducuntur ex ſignis vnius temporis anni pro alio anni tempore; nam vt Plinius aduertit, ſi Ver, & Æſtas non ſine riguo, hoc eſt, non ſine humiditate tranſierit, Autumnus ſerenus, minuſque ventoſus expectandus erit; & ratio ſumitur ex Elementorum æqualitate; ſi enim Ver, & Æſtas nimis pluuioſæ eſſent, & ſimiliter Autumnus, aquæ in nimium excreſcerent, & ſic deficeret æqualitas à natura ordinata; & diù obſeruatum eſt Æſtatem humidam, & pluuioſam, Autumnum ſubſecutum eſſe ſerenum, & ſiccum, & è contra; vnde Alexander Aphrodiſienſis in comment. meteorolog. generatim affirmat ex vno anni tempore aliud ſubſequens poſse certò coniectari, oportet enim humidum, quod vno tempore ſurſum ducitur, deorſum alio anni tempore reduci, alioquin Elementorum æqualitas non ſeruaretur. Quo etiam fit, vt ſi annus integer totus humidus ſit, alter annus, qui ſequitur meritò ſiccus, ac ſerenus prænunciandus ſit; & ſic de reliqua temporum ſucceſſione. Tradunt etiam coniectores non vulgares, & nautæ pluuias, aut tempeſtates, quæ die Sabbati accidunt, nunquam, aut rarò vſque ad diem Lunæ durare; cuius rei cauſa illa adducitur, quoniam dies Sabbati dicitur dies Saturni, dies verò Lunæ ipſi Lunæ ſolet adſcribi, & dies Dominicus, qui medius eſt, ſoli conceditur, cuius natura Saturni naturæ aduerſatur, ac propterea ex hoc die medio dicitur tempus ad oppoſitā diſpoſitionem neceſſariò duci.

211 Ex quibuſdam etiam pluuiæ ſignis, quæ accipiuntur à Sole, à Luna, à Stellis, & ab alijs circa hæc apparentibus poſſunt prædictiones haberi, quæ fidem noſtram promerentur, quales ſunt, vt innuit Ptolemæus, cum Sol niger oritur, aut viridis; vel cum occidit cum congregatione nubium, vel aliter ſe habens in ſe ipſo per ſolares nebulas, tunc ſol ipſe dicitur pluuiarum, & tempeſtatum nuntius;

tius; nam hæc omnia ex materia vaporoſa, & pluuiatili proficiſcuntur; & ideo
etiam Theophraſtus docuit ſigna in Sole,ac Luna, quæ nigra ſint, aquam indi-
care,quæ rubra, ventos,& tempeſtates; quod Plinius obſeruat etiam in Luna,
& alijs ſtellis, quarum ſigna, ſi fuerint rubea, ſignificant menſem ventoſum, ſi
opaca, aquoſum; præſertim verò, ſi ſtellæ, quæ dicuntur Aſelli propè inuicem
apparuerint,adeo vt Præſepe lateat,breuem tempeſtatem enunciant; ſi ipſum
præſepe nigriret, Aſelli vero appareant ea intercapedine, quam habent adin-
uicem, pluuia denotatur; non enim eiuſmodi conſtitutio appareret, niſi aer,
qui inter nos,& ſtellas eſt,pluuioſus, denſus, ac craſſus effectus eſſet: Additq.
Plinius ſtellas ipſas pluuiam præſagire,ſi ipſæ, aut ipſarum aliqua orbem inclu-
ſerit; inſuper cum ſtellarum lucidatum fulgor obſcuratur,nec nebula, nec ca-
ligine interueniente, nec Luna plena ſplendente.

Ex nubibus ipſis ſumma cum ratione tempeſtates, & pluuiæ prædici poſ- 212
ſunt, cum ſcilicet nubes lanarum velleribus perſimiles apparent, præſertim ſi
nigræ ſint,& conglobatæ; hæ enim cum multæ per aerem ſparguntur, potiſſi-
mùm ab Oriente, in triduum aquam præſagiunt; quam rem confirmat etiam
Theophraſtus, qui ſubdit pluuiam futuram ſtatim præſciri per nubem illam,
quæ nigra oritur in illa Orizontis parte,è qua ſpirat ventus,& quanto talis nu-
bes fuerit nigrior,tanto certius pluuiam prædicit; Ad quam rem dixerunt etiã
alij Philoſophi nubes omnes vniuersè,quæ ab ipſo meridie veniunt in Septem-
trionem, vt plurimum pluuiarum nuntias eſſe, eam aſſignantes cauſam, quod
nubes meridionales veniant à locis humidis, quæ facile per aerem diffuſæ, at-
que vlterius condenſatæ vertuntur in aquam. Solent etiam prædictiones plu-
uiæ fieri à calore aeris præſertim mane, & ſero, & in hyeme toto die; ex tali
enim calore arguimus vapores eſſe ſurſum congregatos, à quibus calor ſola-
ris in terram reflectitur; etiam à ſonitu maris, cum ventis auſtralibus pulſatur;
etiam ab ignibus,& lucernis, cum ex ambiente humiditate ſtridorem emittũt;
denique à multis alijs rebus quas fusè, & doctè ſatis congerit Auguſtinus Ni-
phus in libello de ſignis temporum, quæ omnia non eſt opus recenſere, cum
ſit huius diſſertationis inſtitutum, aliquas tantum prædictiones ex his ſignis af-
ferre, quibus fides poſſit adhiberi, vt cęteras his ſimiles coniectemus.

DISSERTATIO XLII.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex ſignis Animalium.

213 SIGNA perplura à Coniectoribus recenſeri ſolent, quæ ab auibus cæteriſque animalibus accipiuntur; ex quibus etiam licet prædictiones ferre, & accipere; cum enim moueantur animalia quodam inſito inſtinctu concurrente cæleſtium corporum impreſſione, atque influxu, ex eorum motibus merito poſſumus ſaltem ad temporum cognitionem peruenire, ac tempora ipſa ventura quoad aeris diſpoſitionem prænoſse, atque *prænunciare*; teſtatum ſiquidem habemus etiam in ſacris literis, Miluus *in* cælo cognouit tempus ſuum, Turtur, & hirundo cuſtodierunt tempus aduentus ſui: Quare Theon vir doctiſſimus ex ſignis à Coruis ſumptis multa ventura prædixit, ac præſertim temporis ſerenitatem, & infuſcationem, & Virgilius ipſe ex vocibus, motibus, ac clamoribus coruorum dierum ſuccedentium ſerenitatem coniectauit in illis carminibus

Tum liquidas Corui preſſo ter gutture voces
Aut quater ingeminant, & ſæpe cubilibus altis
Neſcio qua præter ſolitum dulcedine læti
Inter ſe folijs ſtrepitant, iuuat imbribus actis
Progeniem paruam, dulceſque reuiſere nidos.
Haud equidem credo, quia ſit diuinitus illis
Ingenium, aut rerum fato prudentia maior.

Corui igitur ſi plumas dilatauerint, terque quaterque vociferent, aut cum folijs ludant, ſerenitatem prædicunt. At non modo à Coruis, verum etiam à Coruicibus Theophraſtus prædicendi accipit ſigna, nam (inquit) & Cornix, ſi mane clamauerit, ſerenitatem ſignificat; in veſperis verò quiete cantans, tempeſtatem; Noctua verò poſt Solis occaſum, ſi non vociferauerit, ſerena eſt; quod idem Virgilius probauit, cum dixit

Solis & occaſum ſeruans de culmine ſummo
Ne quicquam ſeros exercet Noctua cantus

Vnde Theophraſtus, & Plinius animaduertētes garrulitatem noctuæ inter imbres,& tempeſtates, ex ea ſerenitatem prædixere. Alcyones etiam ſi in maris littore alarum pennas non explicuerint,ſerenitatem ſpondent;dicuntur namq. Alcyones aues Thetidi ſacræ, ac dilectę paulo maiore paſſeribus, quę in mari nidos faciunt media hyeme,ſeptem diebus nidum conficientes,ſeptem verò alijs parientes, & natos educantes, quo tempore refert Ariſtoteles in hiſt. animalium ex Simonide tantam eſſe in mari tranquillitatem, vt penitus in mari nihil poſſit moueri. Columbi quoque ſylueſtres, cum cantant, aeris tranquillitatem præſagiunt,vt non ſemel obſeruarunt ruſtici; quemadmodum etiam veſpertiliones è domibus exteriùs proficiſcentes ſerenitatem portendere, affirmat Theophraſtus, qui etiam addit oues tardè coeuntes ſerenum ſignum oſtēdere,quemadmodum etiam boues,& canes in ſiniſtra anclia iacentes, & grues per ſilentium in ſublimi volantes.

Alia quoq. ab animalibus accipienda ſunt ſigna,quibus abſq. errore humanæ prædictiones inniti poſſunt; experimentis enim plurimis deprehenſum eſt animalia quædam præſagire pluuias, imbres, tempeſtates, ventos, & id genus alia; cum enim ex animalibus quædam in aquis viuant, quædam verò in aquis pereant, ideò conſequens eſt, animalia eiuſmodi quaſdam alterationes pati, quibus pluuias,& imbres præſentire dicūtur; itaut quæ in aquis viuunt, cantu hæc futura prædicere dicantur, quæ verò ab aquis læduntur, eadem fletu prænunciare; hocque præſertim ea futura præſentire probatur, quòd imbecilliora habentia corpora,temporum mutationes illicò præſentiunt;cuius rei exemplum nobis eſſe poteſt gallus,qui primis noctis luris,ſi cātauerit,aut paulò poſt Solis occaſum, certam ſolet prædicere pluuiam; motum ſiquidem vaporum, qui ſurſum peruntr ſenriens, ſtatim expergeſit, & cantat; Quemadmodum etiam ſatis perſpicuum eſt ranas, & bufones, cum coaxauerint, futuram eſse pluuiam denunciare, ex eo, quod viuentes in aquis indita naturæ præſenſione aquam velut rem ſibi conuenientem expectent; niſi dicamus ea ratione coaxare, cum pluuia propior eſt, quod calor in prima aeris regione concreſcit propter radiorum reuerberationem, quæ fit à nube; qui calor ita auctus poros cutis ranarum aperit, per quos humidum exhalat; & ranæ cum eiuſmodi nocumentum percipiant, flendo, vt ità dixerim coaxant. Addit Theon ranas præter modum, & conſuetudinem clamantes, pluuias, & tempeſtates indicare; nec alia ratione apud Ægyptios ſummoperè ranas conclamare, niſi quia Nili diffuſionem expectent. Sic etiam ab alijs auibus aquatilibus ſigna quædam decerpenda eſse monent Theon, Theophraſtus, & Plinius, ex quibus iure prædictiones ferantur; cum enim cernuntur aues, quæ in aquis degunt, ſuper aquas quodammodo ſedere, iiſq. oblectari, tempeſtatum argumenta cenſenda ſunt. Reliqua videri poſſunt apud Theophraſtum. 214

Inter potiora verò animalium ſigna, ex quibus futurorum prædictiones 215

eruuntur lux quædam eſt, vel ipſis animalibus à natura indita, vel quoquo modo exterius aquiſita, aut aduentitia, quæ ſolet modo ex ipſius naturæ conſuetudine, modo etiam inſolenter affulgere; atque ex hac luce vtcunque in animalibus coruſcante, cum ſæpe futurorum præſcientia extorqueatur, non ſunt ſemper rerum prædictiones tanquam certæ ducendæ, nec ipſis ſemper fides adhibenda; percrebuit enim apud ſuperſtitioſas Veterum mentes nugatrix fama ex luce in animalibus, præſertim in hominibus conſpecta fauſta quæque portendi; ac fauſta præſertim Seruio Tullio dicitur ea lux portendiſse, quæ circa illius caput ex inſperato diradiauit, quemadmodum etiam perhibetur de Aſcanio, de Lauinia, & de illo Gothorum Rege, quem ad regnum aſſumendum lux præfulgens enunciauit. In alijs etiam viſa lux ſiniſtros euentus indicauit; at ne de ſuperſtitioſis nouitate quæramus, dicimus vetuſtiſſimum hoc malum in mundo fuiſſe, atque vſque ad Troianorum tempora perueniſse, quod tamen omni æuo cenſura dignum exiſtimatum eſt; varia ſiquidem fraude veterum animos ad ſuperſtitionem pronos diluſit prædictionum credulitas, cum tamen eſſet omnino abigenda tanquam malorum peſſimum: Ac propterea his Veterum nugis, ac ſuperſtitionibus relictis, nos hic lucem tantum naturalem in animalibus ſpectamus, ex qua naturales tantum effectus prædici poſſe cẽſemus; quales illi ſunt, qui ex viſa agninę carnis luce naturaliter conſequuntur; volunt enim eiuſmodi lucis coniectores eam eſſe in ipſis agnis morborum indicem, eo quod ex humorum putredine talis fulgor oriatur; quo etiam factum eſt, vt ob viſam agninæ carnis lucem populi quidam Monſpeſſulani triſtes vultus ſubducerent, & ſiniſtra quæque animo verſarent, ex eo metuentes indicio vel ardentes bellorum faces, vel peſtilentis ſideris afflatum, quem metum ipſarum pecudum ſtrages ſemper in maius augebat, cum plurimorum ſæculorum experimento obſeruatum ſit à brutis peſtilentiam incipere, primumq. excidium beſtias depopulari; quemadmodum etiam apud Homerum primo canes dicuntur peſtilentia confici, mox vero reliqua animantia, quod etiam à Claudiano notatum eſt ad illa carmina.

—— infecto morbus crudeſcere cælo
Incipiens primo pecudum depaſcitur artus
Mox populos, vrbeſque rapit.

Quemadmodum etiam inter ſigna futuræ peſtilentiæ, aut cladis inſolitam canum lucem cui ferales copularentur vlulatus collocauit Antiquitas, quod præſertim de Amphionijs canibus nocte ſilenti profert Seneca, & etiam Iulius obſequens ante Romanam ſeditionem propter Pompei Dictaturam.

216 Verum tamen eſt, quod ex eiuſmodi Brutorum Luce ipſis à natura indita inanes vt plurimum ductæ ſunt prædictiones euentuum; idque fusè teſtatur Thomas Bartholinus in ſuo libello de luce animalium, vbi ait præcipuè errores ex putredinis humorum ſuſpicione in Brutis felices euentus ſubſecutos ſatis refutaſſe; cum nihil omnino ad rerum futurarum ſeriem præſtet animalium lux aut ſplendor, qui vniuſcuiuſque temperiem conſequitur, vt patet in Leone, qui

qui eo præ cęteris animantibus collucere dicitur, quod igneum quodammodo à natura temperamentum ſortitus ſit; ait namq. de Leone Ælian.lib.12. Animal quoddam eſſe valdè igneum, ac propterea Ægyptios illud Vulcano conſecraſse; ex quo præter interiorem Leonis lucem ex oſſibus prodeuntem, externa quoque ſe exerit lux, quæ in tenebris præter expectationem fulgurat, de illa teſtante Seneca in Thyeſte

Leo flammiferis æſtibus ardens.

De Equis quoque ſæpe veras luminis faces accenſas oſtendere Veterum teſtantur exempla,præſertim de Equo Tiberij Cæſaris apud Cæl.Rhodig. lib. 5. qui dicitur ore flammas euomuiſse, dum furens per ardores præliorum agitaretur. De luce denique Taurorum, Luporum, Canum, Vulpium, Ouium, aliorumque id genus animalium plura à Scriptoribus circumferuntur, quæ omnia innatam ipſis eſſe luminis qualitatem apertè demonſtrant, ex qua non niſi aliquid ſecundum naturam coniectare fas ſit,cum reliqua, quæ dicuntur, vel omnino inania ſint, vel nimia ſuperſtitione fædata.

DIS-

DISSERTATIO XLIII.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex ſignis plantarum.

217 ETIAM ex Plantis multa traxit Theophraſtus indicia, ex quibus prædictiones fidem noſtram abſque criminis nota poſſunt promereri; præſertim verò ex Prinorum, & Cardorum arboribus; ait enim fructus, & flores Prini ſi commenſurati fuerint, commenſuratam etiam hyemem oſtendere; ſin verò plures fuerint, quam eſse ſoleant ſecundum conſuetudinem, veris humiditatem præſignificare; docet namq. Theophraſtus in lib. de *Plant.* Prinum, & Iuncum habere naturam non humidam, ſed ſiccam, cum ſint cæteris arboribus longè ſicciores; ac propterea plures fructus producere non valere, niſi ad poſtremas vſque radices humectentur; quod fieri non poteſt, niſi pluuiæ excedant; ſunt autem Prini arbores illæ, quæ ſunt ſimiles quercubus, quarum folia arcum circa ſpinas habent, fructus verò ſimiles glandulis, & dicuntur apud nos Ilices, de quibus Virgilius

Talis erat ſpecies auri frondentis opaca.
Ilice ſic leui crepitabat bractea vento.

Quod autem Prinus ſit Ilex, ipſe Dioſcorides tradit. Sic contra ex fructibus eiuſdem Prini conijectari poteſt hyemis conſtitutio; nam cum Prini fructus nō habuerint, hyemem valde ſiccam portendunt; cuius cauſa ex ſuprapoſitis ſatis conſtat. Denique ex ſignis plantarum etiam Theon ſuas de ventis prædictiones accepit, ait enim cum ſerenitate exiſtēte cardorum flores, qui albi ſunt, volare videntur, tum in mari, tum in terra ventos maximos eſſe commouendos abſque hæſitatione poſſumus diuinare; præſertim, vt aduertit Theophraſtus, ſi cardores flores, qui leuiſſimi ſunt, ferantur in mare.

218 Ex alijs quoque herbarum ſignis certas quaſdam prædictiones quidam traxere, præſertim ex Trifolio, quod dicitur futuræ tempeſtatis prȩnuncium; cum enim Trifolij folia præter conſuetudinem erriguntur, obſeruatum eſt, ſtatim procellas,

procellas, ac tempeſtates imminere; quemadmodum etiam ex copioſis iſtius herbæ floribus crebræ anni pluuiæ, & aquarum inundationes ſignificantur. Ex radice etiam Chamæleonis nigri, quæ in Græcia, & Ponto venenoſa eſt, quædam miranda coniectarunt plures, ſi enim æger homo triduo e a radice ablutus nullum liuorem in membris demonſtrauerit, ſed ablutionem illam immutatus ſuſtinuerit, prædicitur certò victurus, ac quam citò ab eo morbo leuandus. Sic de Lauro apud plures Coniectores notatum eſt, quod licet ſola inter arbores fulmine non percutiatur, in futuræ tamen calamitatis portentum non eſt à fulmine quandoq. ſuperſtes; cui tamen rei non aſſentiebatur Tiberius Cæſar, qui quoties cælũ detonaret, ac fulmina deterrerent lauro coronabatur in præſidiũ, ac tutelã. De Plantarũ ſignis, atq. herbarum virtutibus occultis ex quibus ſolent prædictiones cõcinnati præter Theophraſtũ, plura habent Ioannes Ionſtonius in admirandis plantarum, & Magnus Albertus in ſuo libello de herbarum virtutibus, quorum plura cum omnino ſuperſtitioſa cenſeantur, hic data opera relinquuntur; non enim nobis forma prædicendi argumenta ſuppeditant, nec fidem noſtram cum ratione prouocare ſatis ſunt; vbi enim euentus ſeu effectus naturalis cauſa deprehendi poteſt, ibi fides adhibenda; vbi verò contra naturæ connexio inter cauſam, & euentum deficiat, ibi fides omnino adimenda.

DIS-

DISSERTATIO XLIV.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex ſignis Lapidum.

219 SVPERSTITIOSA lapidum ſigna, quæ quidem plura ſunt, ex quibus futura coniectantur, hoc loco omnino reijcienda ſtatuimus; naturalia tantum, ſi quæ ſunt admittenda exiſtimamus, ea nimirum, quæ euentuum ſeu effectuum ſigna ſimul & cauſæ ſunt in natura ad tales effectus conſtitutæ. Cum verò ex multorum errore maiores tribuantur lapidibus vires, quam par ſit, neceſſarium videtur ea paulò fuſius præmittere, ex quibus dignoſcatur quinam effectus à lapidibus fieri poſſint, quinam verò ipſorum lapidum naturam, ac vires excedant; ſunt namque effectus quidam in natura lapidum, qui perfectione dicuntur vires ſuarum cauſarum naturalium ſuperare, vt illi eſſent, ſi ex aliquo lapide vis calefaciendi igni auferretur, aut homo in uiſibilis redderetur; ſunt etiam alij, qui erſi quidem vires ſuarum cauſarum non excedant, modum tamen, quo cauſę naturales ex præſcripto à natura ordine vtuntur, ſuperant; Sunt alij denique qui à ſuis cauſis naturalibus, & naturaliter fieri poſſunt, ac etiam eo modo, qui ipſis à natura ad agendum pręſcriptus eſt; atque huius generis effectus varios ac varios, atque omnino mirandos poſse lapides habere, nemo eſt, qui ambigat; ſicut contra ſupernaturales, vel præternaturales non ita facile lapidibus concedendi ſunt; vt illi dicuntur, qui ab Alberto Magn. in ſuo libello tribuuntur lapidi Helitropio, quem ait Albertus in aqua proiectum ſolem obſcurare, lapidi ophtalmio, qui dicitur homines inuiſibiles reddere, denique lapidi Iaſpidi, qui Sole Scorpionem ingrediente ſi figura Scorpionis inſculpatur, dicitur calculum curare; hęc enim omnia à cauſa naturali minimè effici poſsunt, ſi per vires naturę agat, vt ſatis philoſophis conſtat.

220 Vt verò etiam naturales effectus à ſuis cauſis naturaliter habeantur, multę conditiones requiruntur, quę ſi deſint, nunquam habentur effectus. Prima

con-

conditio eſt, vt ſubiectum aliquod ſit præſens, quod effectum ab efficiente productum recipiat. Secunda vt certa latitudo diſtantiæ ſit inter efficiens, & ſubiectum, ex quo effectus eſt producẽdus, ita vt extrà illam diſtantiam nequeat effectum producere. Tertia vt ſpatium inter cauſam, & effectum ſit plenum, hoc eſt, continuum; non ſolum quia vacuum non datur in natura, ſed quia res naturales plenitudinem, ſeu coniunctionem immediatam inter ſe requirunt, vt inter ſe mutuo agant, ſicque perfectionem agendi conſequantur, ex quo etiam oritur, quod agentia naturalia non poſſint agere in rem diſtantem, niſi virtus agendi tranſeat per medium. Quarta vt medium inter cauſam, & ſubiectum ſit aptè diſpoſitum ad recipiẽdam virtutem agentis; nam ſi non fuerit, reliquis etiam poſitis, effectus ſequi non poteſt; ex quibus conditionibus quædam ducuntur regulę, quibus verè ſcire poſſumus, nũm cauſa aliqua ſit vera cauſa illius vel iſtius effectus, quarum potiſſima eſt, vt ſemper prudenter iudicetur, vtrum effectus tali cauſę quoad omnia reſpondere queat: quo fit lapides, & gemmas dum cauſę naturales, & materiales effectuũ ſtatuuntur, nihil in actus intellectus, voluntatis, aliarumque humanarum facultatum, quæ ad partem animæ ratiocinantem pertinent, efficere poſſe, quemadmodum neque in alias res ſpirituales; ac proinde lapides ipſos, vel gemmas quomodocunque applicatas eloquentiam, caſtitatem, liberalitatem, pietatem, fortunam, diuitias, honores, fauores, & id genus alia tribuere non poſse; licet quandoque poſſint quamdam immediatam in corpore impreſſionem facere; ſpiritus recreando, aut corroborando, vt poſtea ex tali roboratione quoſdam in ipſo corpore producant affectus, qui corporis conſtitutionem ſequuntur, quemadmodum docet Galenus. Atque ex his colligi facile poteſt gemmas, & lapides, cum naturales tantum ſuorum effectuum cauſæ ſint, hæque materiales, & corporeæ non poſse ad effectus ſpirituales, ſeù intentionales naturaliter concurrere; ac propterea pluſquam palmarem eſſe eorum errorem, qui plerumque ſapientiam, prudentiam, eloquentiam à lapidum geſtatione in hominibus oriri docent; ſicut etiam abſurdiſſimum eſt aſſerere poſſe lapides quoſdam Deum ipſum geſtantibus propitium reddere, ac Dęmones fugare, cum ſtultiſſimũ ſit opinari corpus inanime in Deum liberrimũ, ac nulli poteſtati ſubiectum imperiũ habere, vel in Dęmones, qui ſuæ naturæ cõditione lapides omnes etiã pretioſiſſimos ſuperexcellũt.

Cum igitur plerique ineptè exiſtiment lapides nullas omnino habere vires, 221
neque ad naturales patrandos effectus, multi verò contra arbitrentur etiam ad res ſupra naturam, aut præter naturam lapides ſuas vires extendere, operæprætium eſt ea hic dilucidare, quæ homines mentes in hac re adhuc tenebris perſtringunt; per lapides enim plura miranda fieri in natura nemini eſt inficiandum; at non propterea aſſerendum ab ipſis non naturalia effici poſse, quemadmodum ea ſunt, quæ de Ophtalmio circumfertur, quod homines inuiſibiles faciat, de Helitropio, quod Solem obſcuret, de Smaragdo, quod adulteria prodat, de Turcoide quæ caſus pericula excipiat, denique de Adamante, quod inter criminum ſordes, & ipſe ſordeſcat, atque colorem ae-

reum in nigrum conuertat; hæc enim omnia ipſorum lapidum naturam ſuperant, nec poſſunt in ijs tanquam in cauſis contineri, cum nulla probabilis cauſarum cum talibus effectibus connexio poſſit excogitari, aut inueniri; & ſi eiuſmodi miraculorum aſſertores ad Deum, vel Angelos, vel Aſtra recurrant, iam ſuis ipſis confodiuntur telis, cum ex eo recurſu ſatis apertè inferatur, nihil eorum, quæ ab ipſis miranda naturæ dicuntur, poſſe ex natura lapidum coniectari; nec aſtra aliquid cõtra rerum naturas facere poſſunt, nec animantium voluntatem, aut libertatem impellere ad aliquid agendum, nec lapidibus eas tribuere facultates, quas ipſa non habent. Addo effectus, qui contra naturam ſunt, neque vllo modo ab aſtris, neque ab ipſis lapidibus tanquam à cauſis fieri poſſe; ac propterea, cum hominem inuiſibilem reddere cõtra naturam ſit ipſius hominis, quia omne corpus opacum, quale hominis eſt, viſum terminat, ac proinde inconſpicuum eſſe non poteſt; cum etiam futura contingentia præſcire ſit contra naturam cognitionis humanæ, quia hoc ſoli Deo per naturam conceditur, ſolis Angelis, aut hominibus per gratiam, non poteſt propterea fieri, quod eiuſmodi effectus quoquo modo habeantur à lapidibus, aut à gemmis quæcunq. ſint, aut quomodocunq. geſtentur; vnde ridendum ſemper fuit commentum illud de Gygis Lidiorum Regis annulo, quo perhibetur Regem illũ pro libito ſe inuiſibilem reddidiſſe; quemadmodũ etiam omni fide indigna ea cenſenda ſunt, quæ de aliquibus circumferuntur ex ſignis lapidũ, ac gemmarum multos futuros euẽtus diuinaſſe, atque prædixiſſe; hæc enim omnia omninò incredibilia ſunt, ſi ſola lapidũ natura attẽdatur, ac propterea eiuſmodi prędictionibus ex ſignis lapidũ efformatis nulla erit vnquã fides adhibenda.

222 Quod ſi futurorum Coniectores, etiam in hac re, ſicut in cæteris ad lapidum ſympathiam confugiant, quam lapides ipſi inditam habeant à natura cum rebus quibuſdam inferioribus, quæ prædicuntur, vel cũ cauſis ſuperioribus, aſtris nimirum, eorumque aſpectibus, ex quibus res ipſæ prædicuntur; etiam in hoc falluntur maximè; cum enim putent eiuſmodi ſympathiam ex quadam in lapidibus cum aſtris ſimilitudine, at in qualitatibus intimis, aut in extraneis figuris, quas lapides ad modum aſtrorũ poſſunt ſuſcipere, ortum ducere; atq. eiuſmodi ſimilitudo nulla prorſus inter lapides, & aſtra inueniatur; hinc fit ex allato fundamento nihil de futuris euẽtibus poſſe coniectari; ſi enim ſimilitudo illa accipiatur ex qualitatibus naturæ, non poterunt ex illa niſi naturales effectus præcognoſci; ſi verò ex figuris Aſtronomorum artificio elaboratis in cælo, cũ hæ fictitiæ ſint, nec poterunt reales effectus, aut euentus portendere, nam licet Leonis, Scorpij, Vrſæ, Cancri, piſcium, Capricorni, & id genus aliorũ figuræ ab Aſtronomis in cælo ſtatuantur, non id fit, quod re vera ibi eiuſmodi animalium aliqua figura, aut ſimilitudo ſit, ſed tantum, quia illis placuit aſtris tale nomen docendi cauſa tribuere; quo fit vt inſaniſſimè ratiocinentur illi, qui aſſerunt gemmis, ac lapidibus vires inſolitas eſſe tribuendas, cum tali, aut tali inſculpuntur, aut cõcinnantur figura, quaſi figuræ, & characteres externi aliquid prodeſſent ad augẽdas vires internas. Cum itaq. ſympathia nil aliud ſit, quã quędã

aerum

rerum conſenſio ſecundum accidentia propria, operationes, & effectus, qua ſibi mutuò ſuppetias ferunt ad perfectiones debitas obtinendas, atque inter aſtra, & lapides etiam figuris cæleſtibus inſignitos nulla ſit eiuſmodi conſenſio, vel ſi ſit, ad aliquod genus cauſæ naturalis reuocanda ſit, ſequitur clarè vel nihil ex eiuſmodi ſympathia coniectari poſse, vel ad ſummum aliquem tantum effectum cauſam naturalem conſequentem.

Atq. ex his tanquam futilia ea omnia reijcienda ſunt, quæ dicuntur de Ada- 223
mante ex cuius mutatione flagitia quædam futura coniectentur; licet enim id verum eſſe ſtatuatur in Adamante illo, qui ad denuncianda crimina in Veſte ſummi Sacerdotis legis Veteris ponebatur, id inquam ad Deum ita volentem referendum eſt, non ob ipſius Adamantis naturam. Quemadmodum etiam argumentum omnino fallax, ac nugatorium cenſendum eſt illud: quod aliqui proferunt ad coniectandum ex Adamante mulieris capiti ſuppoſito, ipſa muliere inſcia, talis mulieris adulterium; ad ſcelus enim quod liberè perpetratur, nihil Adamas ingenita facultate præſtare poteſt, cum rebus liberis nullo pacto dominetur natura. Sic quæ de Turcoidis mutatione dicuntur, morbum, vel mortem prænunciante, non admodum certa reputanda ſunt; licet fortaſſe id naturaliter fieri poſſit, cum poſſit lapis ille corruptionem humorum in illo corpore præſentire, quod tangit, ſicq. ex illa corruptione mutari, cuius rei exemplum affert Io. de Laet in lib. 2. de gemmis. Reliqua quæ de lapidibus, & gemmis proferuntur ad ferendas euentuum, maximè liberorum prædictiones omnino damnanda ſunt; ea præſertim, quæ Albert. Magno adſcribuntur in ſuo libello, quæ omnia ſuperſtitioſa ſunt.

DISSERTATIO XLV.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex Cæli natura.

224 QVI in varijs gentibus obſeruatione acerrima, ac ſolertiſſima explorati ſunt mores, Cæli naturæ, aeri, ſolique qualitatibus permultum tribuere, atque virtutum, vitiorumq. ſemina ſingulis innata eſſe nationibus abſque hæſitatione conteſtati ſunt; & inde tandem, quid de vnaquaque gente iure prædici poſſet, augurati ſunt; Quin Cyrus ipſe apud Herodorum in Calliope vatidico quodam illuſtratus lumine volentibus Perſis aerem *Per*ſicum ob regionis incommodæ difficultates commutare, eiuſmodi tranſmigrationis facultatem negauit, dicens & plantarum, & hominum mores pro regionum varietate effici varios; nec amplius Perſas ſub Cælo, ac ſolo alieno Perſicum robur fores ſeruaturos; quod etiam ſcitè notauit Vegetius lib. 1. c. 2. vbi docuit Cæli plagam non tantum ad robur corporum, ſed etiam animorum plurimum valere; nec alia ratione Lucanus lib. 8. ea de vario populorum robore protulit

Omnis in Arctris populus quicumque pruinis
Naſcitur, indomitus bellis, & mortis amator
Quicquid ad Eoos tractus, mundique teporem
Labitur, emollit gentes clementia Cæli

Niſi ſpectata in eiſdem populis Climatis varietate; ſunt enim populorum ingenia vt plurimum ſuo ſimillima cælo, quidquid reclamet Cardanus, qui licet tradat cæli, ſolique diuerſitatem nihil ad inæqualitatem ingeniorum omnino conferre, ſed tantum ad affectus magis minuſque agreſtes, experimento tamen reuincitur, non ſolum mores, ſed etiam ingenia locis, quæ quis incolit, quoquo modo reſpődere, vt notauit Hipp. lib. de aere, aquis, & locis, conſentiente etiã ipſo Ariſt. in polit. & in problem. vbi docet vt plurimum efferatis moribus eſſe & ingenijs, qui regiones incolunt, vel admodũ æſtuoſas, vel admodũ frigidas.

At

☞ At quoniam nimis arduum, & operoſum eſſet ex ſingulis cæli qualitatibus 225
pro inſitis populis affectionibus velle prædictiones ferre, quibus fides adhiberi queat, idcirco eas ad Septemtrionales tantum, Auſtrales, Orientales, & Occidentales reſtringemus, quibus etiam eos addemus, qui medias obtinent regiones, ex quarum notitia, atque obſeruatione plura de ipſis populis incolentibus poterunt ſanè ſine errore prænunciari. Atque vt à Septemtrionalibus, & Auſtralibus ordiamur, qui illi ſunt, qui regiones incolunt proximas Polo Arctico, ex illius inclementia cæli eas prænoſse licet in populis habitudines, quibus populi ipſi Septemtrionales dicuntur ad grandia naſci facinora, cum ſint corpore, & animo proceroſi, & robuſti; ex quo etiam dicuntur minimè periculorum metuentes, fortes, ac validi, ipſius mortis aſpernatores; ex ipſa enim perpetua hyeme, quam patiuntur Septemtrionales maximè durãtur in laboribus, ac periculis ſubeundis, quod de Auſtralibus dici non poteſt, quorum natiuus calor, ex perpetua æſtate, quam patiuntur, facilè dilabitur, atque cum ipſo calore impetus agendi ocyùs diſſipatur; hæcque omnia habentur in vtriſque populis ex varia cæli, ac ſoli natura; ex qua etiam diuerſæ prædicuntur ægritudines in Septemtrionalibus, & Auſtralibus; nam Septemtrionales obnoxij ſunt ijs ægritudinibus, quæ ab humorum putredine oriuntur, cum corruptio frequẽtiùs fiat in humido, & calido, quam in calido, & ſicco, quo abundant Auſtrales, qui ex eo dicuntur ſummoperè lepræ obnoxij; neque enim aliunde, quam ex Auſtralibus regionibus in reliquas orbis partes dicitur lepra propagata; quare etiam Punicus morbus eſt appellatus; & teſtatur Plutarchus Italiam ante Pompeium magnum ex Auſtrali plaga redeuntem leproſos non vidiſſe; dicitur namque atra bilis, quæ maximè in illis regionibus abundat, eſſe lepræ parens.

Ex cælo etiam Septemtrionali coniectare decet, eos populos lætos fore, ſo- 226
ciales, liberales, minimè malignos, ornatus negligentes, ad opificia aptiſſimos; ſicut contra ex plaga Auſtrali homines oriri ad triſtitiam procliuantes, ſolitarios, aſtutos, infidos, timidos, & crudeles; cum enim Septemtrionales calore, & humore abundent, ex quo ſpirituum copia naſcitur maxima, vnde ad hilaritatem, & lætitiam procliues euadunt, hinc etiam in ipſis facilis cum alijs conuictus, ac beneuola conſuetudo; Auſtrales verò quia atra bile perfunduntur, inde dicuntur ſubtriſtes, moroſi, ſolitudinis amantes, tenaces, & auari; quemadmodum & ſenes, qui quin melancholici ſunt, cum frontis triſtitia, & rugis auaritiam, & parcitatem præ ſe ferunt. Vniuerſè verò bona maiora in Septemtrionalibus prænoſcuntur, ac prænunciantur, quam in Auſtralibus, quia dicuntur Septemtrionales dextrã mundi partem obtinere, Auſtrales verò ſiniſtram; omnia verò quæ a dextris ſunt ſemper meliora ſunt, quam ea, quæ ſunt à ſiniſtris; Aſtronomi namque licet dextram cæli conſtituant Occidens, ſiniſtram Oriens, Anticam Meridiem, poſticam Septemtrionem, ipſum tamen Septemtrionem dextram quandoque antonomaſticè compellant; licet Geographi terræ ſitum deſcribentes de dextra, & ſiniſtra parte mundi aliter ſentiant; & quamuis

quamuis Romani Augures auguria felicia ex ſiniſtris, ac læuis fulminibus captarent, vt teſtis eſt Cicero de diuin. & dicat etiam Virgil. 2. Æneid.

——— ſubitoque fragore
Intonuit læuum & de cælo lapſa per auras
Stella facem ducens multa cum luce cucurrit.

Græci tamen dextra fulmina feliciora habebant propter eamdem rationem, qua ſiniſtra Romani, vt potè quæ eſſent ab Oriente, quam ipſi dextram mundi partem appellabant.

227 Sic etiam ex orientalibus, atque occidentalibus regionibus licet varias, ac diuerſas in populis diuinationes captare, cum magno diſcrimine diſſideant, quod magnum etiam in pronitatibus ad agendum diſſidium parit; vnde orientales in ijs maximè preſtare cenſentur, quę nituntur ingenio, occidentales verò in ijs, quæ pendent à corpore, quo orientalibus præſtantiores ſunt; Hinc etiam in orientalibus luxus, ac deliciarum ſtudium facilè prædici poteſt, nam ex ea cæli temperie dicuntur eiuſmodi pronitates corriuare; & ideo Socrates Perſas ſegnes, & otij amantes ſæpe nominabat; quemadmodum etiam Xenophon in Cyropædia Medos molles, atque in Venerea nimis effuſos. Item Virgilius lib. 10. Georg. de Arabibus illa protulit

India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi

annuente ad hæc etiam Claudiano in 4. Honorij Conſulatu

Vt Medus, te mollis Arabs, te Seres adorant

Atque ex hac mollitie, & otioſitate pręnotatur apud Aſianos ſemper maior fęminarum numerus, quam virorum; & ſatis notum eſt apud Indos vnius, eiuſdemque viri plures eſſe vxores; neque alia ratione nonnullos Scythas magnates ridebat Hippocrates, quod quotidie Ioui ſacrificia offerrent maſculę prolis ſuſcipiendæ gratia, cum impedimentum in cauſa eſſet, quod nimio diffluerent luxu ex ipſius regionis mollitie, ac indito torpore.

228 Denique de ijs, qui medianas incolunt regiones, nimirum hinc calore, hinc frigore contemperatas, ad congruam agendorum habitudinem reuocatas fauſtiores in omnibus prædictiones ferri poſſunt; Sortiuntur enim ex temperatiore Cæli plaga, & promptiora ad intelligendum ingenia, & expeditiora ad agendum incitamenta; videntur namque benigniores Iouis influxus experiri, quæ ſtella quædam media eſt inter Martis feruentiſſimam, & Saturni frigidiſſimam; hacq. de cauſa, quæ in meditullio Septemtrionis, & Meridiei iacent regiones dicuntur omnia temperata poſſidere, ac propterea gentes ſuas alere ad extrema in rebus cauenda ſummoperè proclinatus; quo enim temperatior eſt aeris, vel ſoli conſtitutio, eo moderatiores homines gignit, à mediocritate in agendis nunquam deflectentes; atque ex hoc meliora ſemper prænuncianda veniunt in eiuſmodi regionibus, quam in alijs.

DIS-

DISSERTATIO XLVI.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex ſignis Temperamenti.

QVANTI pendenda ſit in homine primarum qualitatum 229
compago, atque temperies ad prægnoſcendos quoſdam naturales effectus, ex eo coniectare fas eſt, quod tradit Ariſtoteles 2. Rhetor. cap. 12. 13. 14. nimirum ex ipſo corporis temperamento, vt plurimum fieri, vt aliqui ad certas actiones, & paſſiones, alij ad alias proniores reddantur; ita vt vbi magis efferueſcit ſanguis, promptior etiam ſit motus ad iram, vbi contra tepeſcit magis, maior ſit ad torporem propenſio, & ſic de cæteris; quæ varietatis cauſæ, cum ex parte animæ peti non poſſint, quæ in omnibus hominibus ſint eiuſdem planè ſpeciei, à ſola qualitatum temperie videntur accipiendæ; ait namque ad rem optimè Seneca 2. de ira cap. 18. quod morum varietates mixtura Elementorum facit, & cuius Elementi portio præualebit, inde mores erunt, eoque iracundos feruidi mixtura facit, quod feruens, & actuoſus ignis ſit, quemadmodum frigidos frigidi mixtura facit, quod frigus pigrum, contractumque ſit. Cum verò homo hanc, vel illam corporis temperiem, ſiue a primo exortu, ſiue ex victus ratione, ſiue ex aere, aſtrorumque influxu, ſiue ex alijs externis cauſis participet, inde etiam fit quod variam ad hos, vel illos affectus pronitatem nanciſcatur, ex qua varia propenſione per corporis temperationem indita liceat nobis ſubſequentes quoſdam euentus eiuſmodi temperationi conſonos quoquo modo prænotare; idque eſt, quod docuit etiam ſæpe Plato in Timæo, in Menexeno, in lib. 8. de rep. in lib. 5. de legibus, omnes nimirum actiones ab anima emittendas corporeæ diſpoſitioni quodammodo reſpondere, atque pro varia corporum diſpoſitione animas ipſas diuerſimodè operari; non ita tamen, vt ſenſus ſit, extorqueri

animi

animi mores à corporis temperamento, atque omni agendi libertatem exſcindi, quod ſæpe contra Galenum reiectum eſt, ſed tantum vt facultates agendi, vel actiones ipſæ dicantur temperamento accommodari pro inclinatione per illud collata, ſaluo per omnia iure libertatis.

230 Quia verò corporis diſpoſitio, ſeu temperatio vel ſolum, vel maximè pendet ex humoribus, quos non vno ſanguinis nomine comprehendere licet, propterea in ferendis prædictionibus ad temperamentum ſpectantibus maximè humorum qualitates animaduertendæ ſunt; ac primo loco ſanguis in homine ſpectandus venit, ex quo ferè omnes ad agendum proclinationes enaſcuntur; ſi enim ſanguis ſit ſubtilis ac clarus, ac ſpirituum ſplendidorum materia, ex eo quædam procliuitas ad gaudium in homine ingeneratur, ex qua fauſta ſemper, ac læta ab illo homine fore peragenda poterimus iudicare; ex temperie namque in ſanguine illo proportionata, ſcilicet neque præferuida, neque frigidiore non ſolum propenſio ad gaudium ingenerari dicitur, ſed etiam ad cæteros alios gaudio coniunctos affectus, vt ſunt amor, oblectatio, & id genus alia, quæ ſibi conſentientia depoſcunt obiecta, in quibus obuerſentur; perſpicuè ſiquidem experientia docet ſanguineos bona ſanguinis temperie conſtantes naturaliter lætos eſſe, amatores, pios, benignos, liberales, faciles ad riſum, & etiam ad Venerem pronos, quod præſertim diſertè docet Hippocrates lib. de hominis ſtructura. Quemadmodum contra ex ſanguine intemperato ob prædominantem calorem non ſolum mobilitas ad iram in homine coniectari poteſt, ſed etiam ad quoſdam alios effectus, & euentus, qui perſepe iram ſubſequuntur, vt ſunt audacia, honorum appetentia, arrogantia, temeritas, garrulitas, ignea celeritas; & impetus in rebus agendis, ex quibus præcipites agendi modos augurari fas eſt: Sic ex intemperato ob prædominans frigus ſanguine, qualis eſt in phlegmaticis inclinatio ad puſillanimitatem, timorem, ſomnolentiam, honorum contemptum; torporem, iræ tarditatem ſine nota prænunciari poſſunt; quæ omnia proficiſcuntur ex defectu caloris, ac ſpirituum exiguitate caloris parcitatem conſequente. Similia, ac etiam diſcrepantia ex ſimilitudine, vel diſſimilitudine aliarum qualitatum in ſanguine prædici poſſe iam ſatis notum eſt; quò fortaſse ſpectare voluit etiam Empedocles apud Tullium, & Lacoantium, cum docuit animam, eiuſque agendi facultates in ſanguine eſſe collocatas, à qua ſententia neque diſceſſit Virgil. Æneid. 9. cum dixit

Purpuream vomit ille animam.

Et inde apud Medicorum Principes firmatum eſt in ſanguine hominis puriore puriorem etiam animam commorari; ſcilicet ingenium ab imis abſtractius, ad altiores diſciplinas capeſſendas magis idoneum.

231 Ea verò potiſſimum ratione ex varia temperamenti conſtitutione diuerſa quædam ab ipſo homine peragenda prænoſci poſſunt, quod anima rationalis etiamſi quoad entitatem ſuam immaterialis ſit, atque omnino in ſuo eſſe à corpore independens, cum tamen ſit etiam corporis forma, & principium agendi

agendi in ipſo corpore, à quo etiam in pluribus actionibus ſuis exercendis dicitur pendere, inde fit, vt ex ipſius corporis & temperamenti propenſione ad quaſdam actiones, poſſint etiam quadamtenus ratione, ea quæ ab anima agenda ſunt, remotè ſaltèm præſentiri; anima enim concinna quadam proportione corpori immiſſa, cum materiæ luto colligata, ac veluti Centaurus Theſſalicus iuxta pulchram Clementi Alexandrini comparationem 4. ſtromat. capit. 1. coagmentata ex ſuperiori portione, quæ ſimpliciter anima dicitur, & ex inferiori, quæ corpus nominatur ob habitudinem ad iſtud tanquam ad ſubiectum receptionis, partem operationum ſuarum, (eas nimirum, quæ duobus gradibus inferioribus reſpondent) per facultates corpori inhærentes exercens, mirum non eſt, quod corporis, & temperamenti, cui alligatur, conditionem in operationes ſuas aliquatenus refundi ſentiat; quemadmodum enim pro inſtrumenti aptitudine melior, vel deterior operatio elicitur, ſic anima per corpus, & temperamentum, quod in agendis ab anima rationem inſtrumenti induit, dicitur ad meliora vel deteriora peragenda coaptari. Quod præſertim in facultatibus cognoſcitiuis deprehenditur ex Heracliti Doctrina, qui dixit ſplendorem ſiccum eſſe animam ſapientiſſimam; & etiam, ex Platone in Timæo, vbi humiditatem dementiæ, ariditatem intelligentiæ cauſam eſſe pronunciauit; ex quibus licet inferri poſſit, quomodo pro varia corporis affectione ſit in homine varia ad agendum propenſio, non proindè tamen inferrendus eſt Galeni error, ſcilicet, Animam rationalem ex hoc eſſe omnino corpoream, atque eiuſdem eſſe cum temperamento naturæ, cum oppoſitum ex dictis ſatis apertè innoteſcat.

Ad hoc igitur caput ſolummodo redigendæ ſunt omnes iſtæ de agendis ab homine coniectationes, quæ fiunt per corporis temperamentum, ita tamen vt ſemper cenſeantur incertæ atque fallaces, præſertim ſide actibus liberè agendis iudicium feratur; licet enim ex corporis temperamento, & habitudine coniecturas aliquas petere liceat de pronitatibus ad certas paſſiones, quod nemo neſcit factum in Socrate à Zopiro Phyſiognomo, tamen certos ex ſola corporis atque temperamenti contemplatione euentus prænunciare omnino damnabile eſt. Hinc ſine nota poterunt quidem coniectari ex ſanguinea temperie quædam in homine pronitates ad agendum, & etiam actiones quædam, non tamen omnes, & ſingulæ, quæ liberè ſint; dicuntur namque ſanguinei læti, atque hilares, atque ex lætitia, quæ ſolet facilè vt ait D. Gregorius 28. moral. mentis arcana aperire, poteſt coniectari, quod ſanguinei, non ſint adeo ſecreti tenaces: præterea quod ſint grati, ſuaues, amabiles, & benigni, quod neque diu, neque multum iraſcantur, ex eo quod omne humidum citò deferueſcat. Sic ex cholerica temperie homines licebit animoſos prædicare, certaminis cupidiores, ad agendum promptos, & expeditos, audaces, impatientes, eo præſertim, quod calidiſſimis abundent ſpiritibus; ex quorum etiam abundantia dicuntur mente præcipites, importuni, iactabundi, vix amantes, at vbi amant, vehementiſſimè amant,

quamquam non adeo conſtanter, quia vbi furor, ibi inconſtantia eſt. Ex Phlegmatica temperie ingenia argui poſſunt hebetiora, ac retuſa propter nimium eius generis humorem; atque ex eo dicuntur Plegmatici timidi, quod timor à frigiditate procreetur; minimè iracundi, vix amantes, quia frigidi, & humidi, & ſic de reliquis. Ex Melancholico denique temperamento ſemper triſtitia, taciturnitas, moroſitas, ſuſpicio benè coniectantur; hæcque ſunt, & alia ſimilia quæ ex ſignis temperamenti abſque cenſura in hominibus diuinari.

DISSERTATIO XLVII.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex corporis conſtitutione.

EX paruitate præſertim,magnitudine, ſtructura,membrorum- 233
que corporis diſpoſitione indicia hic ſumenda ſunt, ex qui-
bus de toto homine ritè diuinemus, atque diuinationibus fi-
dem adhibeamus; ex paruo namque corpore quædam con-
iectari ſolent, alia ex magno, alia ex mediocri; ac primùm
ex corporis paruitate ingenij quędam celeritas, ac perſpica-
citas certa ratione auguranda eſt, nam Ariſtotele docente, cum parua ſit in-
tercapedo inter cerebrum & cor, quod eſt ſpirituum officina, breui quoque
ſpatio dicuntur ferri ſpiritus à corde ad cerebrum, vbi exercetur ingenium,ac
propterea inde conſequitur ipſius ingenij in agendis, ac cogitandis celeritas,
quæ potiſſimum laudata eſt in Alexandro Macedone Philippi filio, in Vlyſ-
ſe, in Ageſilao, alijſque illuſtriſſimis viris, ſiue bellica, ſiue literaria gloria
præſtantibus, qui ſtatura parui fuere; quin Pipinus fortiſſimus Princeps Ca-
roli Magni Pater adeò paruus fuit, vt puſilli cognomen illi inditum ſit, &
ſunt, qui exiſtimant nomen Pipini deductum à voce Germanica, quæ puel-
lum ſignificat; ſic Horatius Flaccus vir ingenio celeberrimus inter Lyricos
Poetas, habitu corporis breuis fuit, qualis à ſe ipſo in Satyris deſcribitur:
In paruis tamen corporibus ſæpe cum ingenij celeritate quoddam mentis
præcipitium in agendis coniungi ſolet; Ex eò namque quod corpus breue
ſit propter caloris ardorem, ac facilem ſpirituum concitationem, fit vt ma-
ximè homo æſtuet in agendis, ac deficiente conſultationi tempore ſæpe abſ-
que reparatione ruat in præceps, dum minus de agendis cogitat; & licet Pyg-
mæi, alijque homines Nani, vt plurimum ſtolidi, atque in rebus ſuis torpen-
tes ab Ariſtotele proferantur, id fit ea de cauſa, quod Pygmæi potiùs naturæ
monſtra dicantur, quam homines parui, de ipſis enim ſic videtur ludere Iuue-
nalis Sat. 13.

Ad ſubitas Thracum volucres, nubemque ſonoram
Pygmæus paruis currit bellator in armis
Mox impar hoſti, raptuſque per aera curuis
Vnguibus à ſæua fertur Grue; ſi videas hoc
Gentibus in noſtris riſu quatiere, ſed illic
Quamquam eadem aſſiduè ſpectentur prælia, ridet
Nemo, vbi tota cohors pede non eſt altior vno.

234 Contra vero ex proceroſa corporis magnitudine non niſi tarditas ad agendum coniectari poteſt; nam ex illo maximo interuallo, quod inter cerebrum, & cor à natura conſtitutum eſt, ſpiritus non niſi tardè ad locum mentis, & æſtimationis peruenire poſſunt; idque hominum genus ad Strutiochamælum refertur, quod grande quidem animal eſt, at ſtupidiſſimum; quod ſi eiuſmod homines ſtaturoſi humidiores ſint, ex frigiditate in peſſimo res eſſe deprehenditur, quia tunc duplex inſurgit obex, qui facit vt ſpirituum motus adhuc multò ſegniores ſint; quapropter rectè anus conſpicata Iouianum Imperatorem vaſta, & ardua proceritate, cum ſtupidum iam Imperatorem futurum eſſe accepiſſet, dixit, quanta eſt longitudo, & profunditas, tanta erit in agendo ſtoliditas; Si tamen viri ſtatura grandes potius calore, & ſiccitate abundent quam humiditate, & frigiditate, tunc proceritatis vitium emendatur, fiuntque ſpiritus in agendo concitatiores, ac propterea hominem ipſum ad magna ſemper excitantes, quale fuiſſe legimus Georgium Scamderbec bellica gloria illuſtriſſimum Principem, prudentia, & fortitudine admirabili præditum, alioſque complures tum Græcorum, tum Romanorum Heroes, Agamemnonem, Neſtorem, Neoptolemum, Romulum, Tamerlanum Scytharum Imperatorem; hacque fortaſſe ſpectata ratione volebat Pyrrhus Epirotarum Rex, qu corpore magnus erat, vt ad militiam proceri homines eligerentur, vt quo grandiores eſſent, eò fortiores euaderent; atque etiam in Turno hanc formam commendat Virgil. 7. Æneid.

Ipſe inter primos præſtanti robore Turnus
Vertitur, arma tenens, & toto corpore ſuprà eſt.

Ex eiuſmodi namque benè à natura compacta corporis proceritate non niſi magna, ac præclara facinora prædici poſſunt; quemadmodum etiam ex eadem longitudo vitæ coniectari poteſt, quod demonſtrat Ariſt. exemplo palmarum, & cupreſſuum, quæ ſunt arbores proceræ, ac vitæ diuturnæ, exemplo etiam Elephantorum, qui dicuntur viuere ducentos, vel trecentos annos.

235 Ex mediocri tandem corporis ſtatura, quæ debitam membrorum commenſurationem obtineat, conſtitutio quędam perfecta ad omnia animæ munia obeunda argui poteſt; & refert Capitolinus ex hac in Pertinace benè conſtitura corporis ſtructura quamplures prædixiſſe eum eſſe optimè victurum in Imperatoria dignitate; quin Alexand. Aphrod. lib. 1. Problem. 26. docet homines, qui mediocri ſunt corpore, vt plurimum prudentiores eſſe, imo fortiores; quod demonſtrat Homerus in Vlyſſe, quem magis commendat ex hoc, quam Aiacem.

Aiacem. Id verò quod dicitur de tota corporis ſtructura, dicendum etiam proportione ſeruata de ſingulis eiuſdem corporis membris, ex quorum nimia vaſtitate, vel paruitate nunquam bonum in agendis ominari fas eſt; ac præſertim ex capite, quod eſt princeps in hominis corpore pars; ſi enim iuſto maius ſit, hominem ſomniculoſum, ac torpidum indicat; quo enim caput maius eſt, maius quoque receptaculum eſt vaporum, vnde ſomnus, & ſegnities in homine oritur; Caput verò magnum, at non proportionem reliquorum membrorum excedens optimi indicium eſt; ſicut contra caput paruum, faſtigiatum in mucronem deſinens cum parua fronte, ſupercilijs coniunctis præcipitis viri figura eſt; neque obijciendum eſt illud de capite commune dicterium, magnum caput parum ſenſus habere; poteſt enim hoc dici per antiphraſim, quod ordinarium ſit, magna capita multum ſenſus habere, ideſt, iudicij, & ingenij; turpe autem omnino propterea ſit aliquem prægrandi capite, parum ſenſus habere, ingenioque deficere.

DISSERTAT. XLVIII.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex ætatis diſcrimine.

236 EA, quæ ex vario annorum, ac ætatum diſcrimine in hominibus prædici poſſunt, atque etiam cum fide teneri, plura ſunt; cum enim cuique ætati ſui conueniant mores, vt Ariſt. tradit in Rhet. nimirum pueritiæ, adoleſcentiæ, virilitati, ac ſenectuti, ex ipſis quoq. decurrẽtibus annis in hominum vita, licebit plures euentus prænotare ad mores ipſos vt plurimum conſequentes; quapropter ex tenera puerorum ætate leuitas quædam in agendis, atque inconſtantia ſine nota argui poterit, itaut pueros in ijs, quæ acturi ſunt, ſemper leues, atque inconſtantes iudicemus; neque enim in pueris cum natura ita corroborata eſt ratio, vt poſſit conſtantem vitæ tenorem in omnibus ſequi, vnde benè protulit Sapiens ipſe in Prouerb. 22. Stultitia colligata eſt in corde pueri, & virga diſciplinæ fugabit illam; pueri namque quia cupiditatum efferueſcentium æſtu abripiuntur, facilè dimittunt, quæ prius voluere; & cum magna etiam rerũ ignorantia laboret puerilis ætas, hinc fit, quod facili negotio rerum geſtarum pæniteat, aliaſque ſuſcipiat peragendas.

237 Ex adoleſcentia, quæ multis æſtuat cupiditatibus, incontinentia, libido, iracundia, & imprudentia. non ſine ratione poterunt coniectari; cum enim ætas illa multo calore efferueſcat, parua verò conſtet moderatione, atque experientia, videtur etiam incontinentiam, iracundiam, & imprudentiam adoleſcentes ſummoperè prouocare; ex quo etiam oritur, quod in cibo, & potu intemperantes ſint, quod in omnes penè voluptates naturæ ſtimulo propendeant, quod à prauè agendo non itá facilè reuocentur, quod in vindictas, & diſsenſiones impetu quodam rapiantur, cum in ipſis vis caloris maximè agat, quæ ſolet iras, rixas, & contentiones excitare. Dicuntur verò adoleſcentes minimè prudentes, propterea quod prudentia maximè experientia comparatur, præ ætatis autem tenuiſſimæ experientia, quæ non aquiritur niſi temporis

longi-

longitudine, pauciſſima noſce dicuntur, vndè licet ſapientes eſſe queant iuuenes, vt Ariſtot. docet lib. 6. moral. prudentes tamen eſſe non poſſunt; & licet nonnullis quandoque contingat, quod ait Perſius Sat. 4.

Sunt quibus ingenium, & rerum prudentia velox
Ante pilos venit.

Et quod in Aſcanio laudat Virgilius

Ante annos, animumque gerens, curamque virilem.

Hæ tamen intelligenda non ſunt de prudentia omnibus numeris abſoluta, quæ ex ipſius Ariſtotelis Doctrina conſtat memoria, intelligentia, docilitate, ſolertia, prouidentia, circumſpectione, & cautione, quibus carere adoleſcentes experientia deſtitutos neceſſe eſt; ad ſummum enim quædam ex his in adoleſcentibus inueniri poſſunt, non omnia; & ſolum ex parte Pindarus Demophilum vocauit annis iuuenem, conſilijs ſenem; nec propterea omnino prudentes apud Romanos habiti ſunt Marius Iunior, & Valerius Coruinus, qui ante virilitatem Conſules facti ſunt, accedente meritorum ſuffragio, cum tamen apud Romanos ipſos nonniſi quadrageſimo tertio ætatis anno Conſulatum capere liceret; de qua re ſcribit Plinius in viris illuſtribus cap. 68. & Liuius Decad. 1.

Ex hominis virilitate omnia maturiora atque ſolidiora prædicenda ſunt, niſi virilitati ipſi, quædam mentis leuitas obſtet, quæ tamen ætatem eiuſmodi conſequi non deberet; viri namque vtpotè in media ætate conſtituti, quæ vitæ conſiſtentia, intelligentia, ac etiam experientia non modica conſtare ſolet, in res ſola maturitate pertractandas propendere dicuntur, niſi ætatis conſtitutioni agendi ratio deficiat; ſicque indole, ac moribus medij ad omnem virtutis mediocritatem dempta exuperantia, ac deficientia paſſionum optime conformantur; quapropter à virtute virum dictum eſſe D. Auguſt. prænotauit; & & inde viri dicuntur nihil inſipienter agere, nihil imprudenter ſperare, nihil impotenter ſequi, cum ætas ipſa iam in omnibus ſua annorum circumuolutione ſatis conſiſtat; eaque ab Ariſtotele 2. Rhet. cap. 14. deputatur homini virilis ætas, quæ media inter adoleſcentiam, & ſenectutem, aut trigeſimo, aut trigeſimo quinto anno circumſcribitur, vt ex corporis, & animi vigore cuncta in viris vigere prænoſcerentur, atque quæ ab ipſis patranda forent, etiam à longè arguerentur. 238

Ex ſenectute denique bona quædam, ſimul & mala coniectoribus ominari ſemper licuit; cum enim ſenes ex ætate prouecta plurima vt plurimum prudentia polleant, atque ex agenti prudentia omnia bona fas ſit hominibus augurari, vt ait Tullius, conſequitur apertè ex hac parte nihil prorſus mali eſſe ſenibus prænunciandum, niſi eò ſenectus ipſa procedat, vbi deliræ mentis habetur hoſpitium, prudentiæ verò conciliatrix ſumma habetur in ſenibus experientia; vndè Lacedæmonijs, & etiam veteres Romani ad prouocandam in rebus publicis, magiſtratibus, & imperijs felicitatem, in ijſdem ſenes præſertim conſtituebant, 239

Nec

Nec niſi poſt annos patuit tunc Curia ſeros
Nomen, & ætatis mite Senatus habet.

Hæc de Romanis protulit Ouid. 5. Faſtorum; & inde dicebat etiam Pindarus

Senum Conſilia Iuuenum haſtæ.

Dicuntur etiam ſenes ſua ipſorum ætate in miſericordiam maximè proni, cum enim ſæpe ſæpius propriam experiantur miſeriam, diſcunt inde etiam aliena commoueri. Nec tamen deſunt ſenectuti mala, cum ex ipſa ſuſpiciones, timiditas, loquacitas, auaritia, & id genus alia poſſint optimo iure prædici; timidi enim sũt ſenes, quia timor frigori affinis eſt, & qui timidi sũt, ſuſpicioſi quoque ſunt, cum ſuſpicio ſit animi abiectio, & mali timor; ideo ſenes omnia vt plurimum in deteriorem partem interpretantur; ſunt etiam auari atque illiberales, quod ex eo prouenire docet Ariſt. quod ob periculum ſæpè de rebus factum nouerunt, quam arduum ſit parta tueri, ac noua quærere, quam facilè præſentia amittere; ait namque Seneca ad Lucil. cætera vitia cum homine ſeneſcente deficere præter auaritiam; addente Terentio in Adelphis loquente de auaritia.

Vitium hoc commune omnium eſt
Quod ad res in ſenecta attenti ſumus.

Solum namque hoc vnum vitium ſenectus adfert hominibus, quod attentiores ſumus ad res omnes quam ſat eſt; vnde nec immeritò Ariſt. 4. Eth. auaritia facit vitium deterius quacunque prodigalitate; cum prodigus ætatis maturitate veniat ad frugem, auarus verò ſemper in peius dilabatur; cum prodigus ſaltem alijs proſit; auarus verò nec ſibi, nec alijs. Solent denique ſenes vt plurimum eſſe moroſi, iracundi, minimè faceti, præteritorum laudatores, præſentium contemptores, ſunt enim eiuſmodi mala ſenio maximè adhærentia, ex eo præſertim, quod impotentes ſint, vt bonis præſentibus fruantur, quemadmodum olim præteritis licebat frui; vnde benè Horat. in arte Poetic. ſenem ita deſcribit.

Multa ſenem circumueniunt incommoda, vel quod
Quærit, & inuentis miſer abſtinet, & timet vti
Vel quod res omnes timidè, gelideque miniſtrat
Dilator, ſpe longus, iners, auiduſque futuri
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero cenſor, caſtigatorque minorum.

DIS-

agendi in ipſo corpore, à quo etiam in pluribus actionibus ſuis exercendis dicitur pendere, inde fit, vt ex ipſius corporis & temperamenti propenſione ad quaſdam actiones, poſſint etiam quadamtenus ratione, ea quæ ab anima agenda ſunt, remotè ſaltèm præſentiri; anima enim concinna quadam proportione corpori immiſſa, cum materiæ luto colligata, ac veluti Centaurus Theſſalicus iuxta pulchram Clementi Alexandrini comparationem 4. ſtromat. capit. 1. coagmentata ex ſuperiori portione, quæ ſimpliciter anima dicitur, & ex inferiori, quæ corpus nominatur ob habitudinem ad iſtud tanquam ad ſubiectum receptionis, partem operationum ſuarum, (eas nimirum, quæ duobus gradibus inferioribus reſpondent) per facultates corpori inhærentes exercens, mirum non eſt, quod corporis, & temperamenti, cui alligatur, conditionem in operationes ſuas aliquatenus refundi ſentiat; quemadmodum enim pro inſtrumenti aptitudine melior, vel deterior operatio elicitur, ſic anima per corpus, & temperamentum, quod in agendis ab anima rationem inſtrumenti induit, dicitur ad meliora vel deteriora peragenda coaptari. Quod præſertim in facultatibus cognoſcitiuis deprehenditur ex Heracliti Doctrina, qui dixit ſplendorem ſiccum eſſe animam ſapientiſſimam; & etiam, ex Platone in Timæo, vbi humiditatem dementiæ, ariditatem intelligentiæ cauſam eſſe pronunciauit; ex quibus licet inferri poſſit, quomodo pro varia corporis affectione ſit in homine varia ad agendum propenſio, non proindè tamen inferrendus eſt Galeni error, ſcilicet, Animam rationalem ex hoc eſſe omnino corpoream, atque eiuſdem eſſe cum temperamento naturæ, cum oppoſitum ex dictis ſatis apertè innoteſcat.

Ad hoc igitur caput ſolummodo redigendæ ſunt omnes iſtæ de agendis ab 232
homine coniectationes, quæ fiunt per corporis temperamentum, ita tamen vt ſemper cenſeantur incertæ atque fallaces, præſertim ſi de actibus liberè agendis iudicium feratur; licet enim ex corporis temperamento, & habitudine coniecturas aliquas petere liceat de pronitatibus ad certas paſſiones, quod nemo neſcit factum in Socrate à Zopiro Phyſiognomo, tamen certos ex ſola corporis atque temperamenti contemplatione euentus prænunciare omnino damnabile eſt. Hinc ſine nota poterunt quidem coniectari ex ſanguinea temperie quædam in homine pronitates ad agendum, & etiam actiones quædam, non tamen omnes, & ſingulæ, quæ liberè ſint; dicuntur namque ſanguinei læti, atque hilares, atque ex lætitia, quæ ſolet facilè vt ait D. Gregorius 28. moral. mentis arcana aperire, poteſt coniectari, quod ſanguinei, non ſint adeo ſecreti tenaces; præterea quod ſint grati, ſuaues, amabiles, & benigni, quod neque diu, neque multum iraſcantur, ex eo quod omne humidum citò deferueſcat. Sic ex cholerica temperie homines licebit animoſos prædicare, certaminis cupidiores, ad agendum promptos, & expeditos, audaces, impatientes, eo præſertim, quod calidiſſimis abundent ſpiritibus; ex quorum etiam abundantia dicuntur mente præcipites, importuni, iactabundi, vix amantes, at vbi amant, vehementiſſimè amant,

Nec niſi poſt annos patuit tunc Curia ſeros
Nomen, & ætatis mite Senatus habet.

Hæc de Romanis protulit Ouid. 5. Faſtorum; & inde dicebat etiam Pindarus
Senum Conſilia Iuuenum haſtæ.

Dicuntur etiam ſenes ſua ipſorum ætate in miſericordiam maximè proni, cum enim ſæpe ſæpius propriam experiantur miſeriam, diſcunt inde etiam aliena commoueri. Nec tamen deſunt ſenectuti mala, cum ex ipſa ſuſpiciones, timiditas, loquacitas, auaritia, & id genus alia poſſint optimo iure prædici; timidi enim sũt ſenes, quia timor frigori affinis eſt, & qui timidi sũt, ſuſpicioſi quoque ſunt, cum ſuſpicio ſit animi abiectio, & mali timor; ideo ſenes omnia vt plurimum in deteriorem partem interpretantur; ſunt etiam auari atque illiberales, quod ex eo prouenire docet Ariſt. quod ob periculum ſæpè de rebus factum nouerunt, quam arduum ſit parta tueri, ac noua quærere, quam facilè præſentia amittere; ait namque Seneca ad Lucil. cætera vitia cum homine ſeneſcente deficere præter auaritiam; addente Terentio in Adelphis loquente de auaritia.

Vitium hoc commune omnium eſt
Quod ad res in ſenecta attenti ſumus.

Solùm namque hoc vnum vitium ſenectus adfert hominibus, quod attentiores ſumus ad res omnes quam ſat eſt; vnde nec immeritò Ariſt. 4. Eth. auaritia facit vitium deterius quacunque prodigalitate; cum prodigus ætatis maturitate veniat ad frugem, auarus verò ſemper in peius dilabatur; cum prodigus ſaltem alijs proſit; auarus verò nec ſibi, nec alijs. Solent denique ſenes vt plurimum eſſe moroſi, iracundi, minimè faceti, præteritorum laudatores, præſentium contemptores, ſunt enim eiuſmodi mala ſenio maximè adhærentia, ex eo præſertim, quòd impotentes ſint, vt bonis præſentibus fruantur, quemadmodum olim præteritis licebat frui; vnde benè Horat. in arte Poetic. ſenem ita deſcribit.

Multa ſenem circumueniunt incommoda, vel quòd
Quærit, & inuentis miſer abſtinet, & timet vti
Vel quod res omnes timidè, gelidèque miniſtrat
Dilator, ſpe longus, iners, auiduſque futuri
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero cenſor, caſtigatorque minorum.

DIS-

DISSERTATIO XLIX.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex ſexus diſparitate.

QVANTVM marem & fæminam natura diſpararit, & varia- 240
rum tum in corpore, tum in animo affectionum diſcerniculis
ſecreuerit, ſatis dilucet; atque ex his, cum quædam de vtro-
que ſexu diuinari queant, meritò vtriuſque diſparitas varijs
ferendis prædictionibus locum ſuppeditat; debent enim
propriæ vtriuſque affectiones primum præcognoſci, vt poſ-
ſit coniector, virilis, vel muliebris animi mores, & pathemata probè iudicare,
atque inde agenda indicare; viro namque ſi muliebris forma, atque muliebria
accidentia affixa ſint, ab eo muliebris animi mores emanare vt plurimum de-
prehendi ſolet, quemadmodum contra mulierem virili præditam forma,
ac ſtructura virilibus quoque moribus affectum licet augurari. Quare vt pro
dignitate hoc vaticinij promptuarium componamus, tria priùs nobis præſtan-
da veniunt, primum ſcilicet corporeæ tum maris, tum fæminæ affectiones erunt
explicandæ, tum animi mores aperiendi, poſtremò maſculini, & fæmini corpo-
ris forma ex Ariſtotelis placito erit tranſcribenda.

Ac primum quid mas, quid fæmina, & quænam vtriuſque ortus, cauſa, at- 241
tendendum eſt; marem ſiquidem illud animal dicimus, quod in alio gignit, fæ-
minam verò quod in ſe ipſo; ex quo vtriuſque perfectionem, vel imperfectio-
nem coniectare licet, licet fortaſſis adhuc ſub litè ſit, quidnam perfectius ſit;
agere in alio, aut agere in ſemetipſo; ad quam dirimendam, vt noſtra res fert,
dici poſſet, fæminæ actionem potiùs eſſe paſſionem, quam actionem veram;
quemadmodum etiam in vniuerſo hoc tellus dicta eſt patiens omnium parens,
ex eo quod Cęlum, & Sol tanquam genitores agentes agant; & inde etiam ma-
gis fæminæ imperfectio innoteſcit, quod dicitur ipſa procreari ex defectu calo
ris, & abundantia frigoris, vnde etiam prima, ac ſeneſcens ætas, potius quam
florens fæminas generat; mas verò ex ipſius caloris abundantia, qui omnia

ad perfectionem redigit; atque ex hac generationis imperfectione multa in vtroque ſexu conſequuntur, quæ prædictionibus agendorum locum præſtare poſsunt; de viro namque optimo corpore conformato, menſibus ſecundum naturæ leges præſcriptis edito non niſi valetudo optima, vires, robur, agendi efficacia prænunciari poteſt, quin ipſa quoque longæuitas vitæ, cum horum omnium ratio ſit vegeta ac derfecta formatrix in vtero facultas, & copia ſpirituum vberior, quæ in fœmina nō adſunt, ac propterea minus apta redditur fæmina ad munia humanę vitæ obeunda; atque ad ingruentes morborum, & aliorum malorum iniurias repellendas; ex quo etiam fit, vt fæmina tardiùs in vtero formetur, citiùſque ſeneſcat, quam mas, vt fæmina a quamplurimis dicta ſit initiū omnis corruptionis in natura, ex quod maximè humiditate ſuper excellat in qua omnis fit corruptio; & cum diuerſitas ſexus ad generationem, ſeù procreationem fœtus, cuius beneficio natura ipſa ſempiternitatem æmulatur comparata ſit, par fuit, vt quoniam mas calidus eſt & perfectior, humida eſſet fæmina & imperfectior; quò fortè Thales ſcientiſſimus Ionicæ Philoſophiæ Coriphæus, & Homerus ingeniorum apex reſpexerunt, dum ille aquam, hic verò Theſym rerum omnium parentem aſſeruerunt, omnis namque generatio à corruptione ſolet in naturalibus initium ſumere.

242 Ex hac etiam perfectiore naturæ molitione in viro, quam in fæmina iure prædici poteſt virum in rebus agendis longè conſtantiorem fore, quam fæminam, quæ ſua ipſa humiditate facillimè diſſoluitur, & ſi philoſophicè loquendum eſſet, nullo termino proprio terminatur, ſed tantum alieno ad modum rerum humore, ac fluore præſtantium; & eadem de cauſa dicitur vir fæmina tem perantior, prudentior, ad artes atque ad diſciplinas capeſsendas aptior; & ne cuiuſquam animus fluctuet, atque ad libitum confictas eiuſmodi viriles, ac fæmineas affectiones arbitretur, quæ dicta ſunt rationibus alijs ſuffulciri poſſunt; nam inter omnia animalia, homo, qui ratione pollet, maximam cerebri habet copiam, habita ſui corporis ratione, & reliqua animalia, quo plus rationi accedunt, vt Simiæ, plus quoque cerebri poſſident; inter homines verò plus mas, quam fæmina dicitur cerebri obtinere, cum capite ampliori ſit, cuius magnitudinem in homine cerebri quantitas conſequitur, experientia teſte; vbi verò maior cerebri copia, & exquiſitus conformatum organum rationis, ratio quoque præpollet, & intellectus rationis regia, & illuſtre domicilium; quo fit vt viri melioris ſemper ſint iudicij, qua fæminæ in rebus agendis; fæminæ nam que in rebus grauioribus leuioris ſemper ſententiæ ſunt, aitque Terentius in Hecira earum conſilia eſse velut puerorum, ex eo prætertim, quod ſit animal.

—— Varium & mutabile ſemper
Fæmina

Vt teſtatur Virgil. 4. Æneid. & etiam diuinis conſtat oraculis Euam ex leuitate ſua faciliori negotio ſeductam fuiſse, quam virum; atque ideo viro benè in omnibus mulierem ſubiectam eſse debere, non virum mulieri.

Sic

Sic etiam ex eo quod fæminæ minus ratione pollent, quam viri, in ipſis facilè prædici poterit, quod ſint in quocunque euentu perturbationibus maximis agitandæ, ab ira, & furoribus ſupprimendæ, atque à reliquis æſtuantibus motibus facilius ſuperandæ; atque inde fit, quod dicantur fæminæ in omnibus fræno egere potentiſſimo, quo à ſceleribus retrahantur, quo à proditionibus, ſiue concipiendis, ſiue tentandis, ſiue perficiendis reuocentur; cum enim fæminæ ſint in omnibus valdè infirmæ atque imbecilles, quod aperto Marte non poſſunt, cuniculis aggrediuntur, atque inſidijs moliuntur, ac deceptionibus, vt merito de ipſis dixerit Propertius.

Sed nobis facilè eſt verba & componere fraudes
Hoc vnum didicit fæmina ſemper opus.

Inde diſſimulationibus aſsuetæ inſuper odij virus animo facilè contrahunt, quod tandem eructant, & difficillimè deponunt; Quę omnia licet etiam in viris deprehendantur, prudentia tamen, & virtute faciliùs corriguntur; cum ſibi ipſi melius ſemper imperet vir, quam fæmina; ac propterea fortaſſis etiam in ſacrificijs, quæ olim fiebant, maſculum tantum animal offerebatur, eo quod fæmineum putaretur nimis imperfectum, qua de re conſulendus eſt D. Th. 1. 2. quæſt. 102. art. 3. immo Toſtatus cap. 3. Num. quæſt. 37. probat non modo in holocauſtis, ſed etiam in omnibus, quæ ex imperio Dei fiebant, non fuiſſe licitum, niſi maſcula offerre, & ſi quis voluiſſet offerri fæminam, debuiſſe tamen offerre etiam maſculum; fæminam autem licitum tantum fuiſſe offerre in pacificis, & hoſtijs quæ non ex imperio Dei, ſed ex mero cuiuſque arbitrio offerebantur: Quin etiam apud Ægyptios fæminam hoſtiam immolare nefas omnino habitum fuit, id teſtante Herodoto lib. 2. quemadmodum etiam apud Barbaros, qui in Monte Caucaſo Sacrificabant, quaſi fæmineæ victimæ genus Deos decere nequaquam putaretur. Alia omitto vaticinia, quæ ex ſexus diſparitate ferri poſſunt, quæ cum in fæminis ſint ſuprapoſitis peiora, omnino relinquenda ſunt, ne totus lędatur ſexus, in quo tamen ſemper probæ, iuſtæ, piæ, ac prudentes excipiendæ ſunt.

DISSERTATIO L.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex ſtatus conditione.

244 NON eſt hic animus ſingulos ſtatus lõga oratione proſequi,cũ plura de ijſdem iam in præhabitis à nobis prolata ſint: nonnullos tamen hoc loco perſtringere operæ pretium eſt, vt quid exactiùs de ipſis diuinari poſſit, magis præ oculis habeamus; & ſi primus magnitudinis apex primo tangendus eſt, videtur de Principibus, de ijs nimirum, qui ad aliorum regimen enaſcuntur,id iure prædici poſſe,quod eorũ ad ortum,indolem,& educationem ſubſequitur; magnum ſiquidem momentum habent hæc omnia in ijs,quæ a principibus gerenda ſunt, cum ea vt plurimùm agant, in quæ naturæ imperu proclinant;ſi enim beneuolam ſortiantur principes indolem à natura, ſi a pijs ortum ducant parentibus, ſi ſine feritate educentur, ex hac auroræ luce omnes principum dies ſummo nitore affulgentes augurari licebit; amant enim ſubditi Principes ſuos,cum beneuolos, ac beneficos eos intuentur; atque eum caput Reip. Princeps ſit, ad eius motum reliqua moueri membra experimentis pluribus iam ſatis notum eſt; & ea ſemper fuit potiſſima membrorum cura, vt ſummo affectu capiris ſalutem tuerentur; Atque ex hac Principum erga ſubditos beneuolentia, ipſi principatui præſertim ſumma tranquilitas prædici poteſt; non enim regni turbationes,aut populorum ſeditiones ibi facilè exſuſcitari poſſunr, vbi erga Principem ſemper vigilat ſubditorum amor. Sic ex Principum ingenio, ac magnanimitate pleraque alia bona regni tranquillitatem portendentia nedum prædici, ſed etiam expectari poſſunt, cum eò ſemper boni Principis collimet ingenium, vt fauſta regno moliatur, & paret; & inde Principes dicuntur paternum animum gerere, cum florentem ſuorum ciuium ſtatum iugiter meditantur.

245 Nedum Principibus,ſed alijs quoque generis clarirate conſpicuis fauſta prædici poterunt,ſi ſolidam, ac veram,potius quam præſtigiariam nobilitatis ima-

imaginem præ oculis ſemper habuerint, quæ nobiles ipſos facit ad omnem modeſtiæ nomen optimè conformatos; vera namque generis claritas nihil abiectum, nihil tenebroſum animo verſare ſolet, & ideo omnino ipſi ſplendida contingunt; & licet quandoque corporis nobilitas mentis ignobilitatem pariat, id tamen potius ad naturæ abortum referri ſolet, quam ad conſtantē eiuſdē naturæ legem; vnde interrogatus Socrates quid in homine nobilitas portēderet, reſpondit, non niſi res cum luce, ac ſplendore agendas, eò namque inſita ſanguinis claritas contendit, vt præclara ſemper aſſequatur; quin homine prorſus indigna, ea nobilitas cenſetur, de qua dictum eſt

Nobilitas faſtum, faſtus litem parit, armat
Lis odium, capiunt hæc tria mortis iter.

Non enim ſat eſt iſta nobilitas, quæ per traducem ſanguinem à parentibus propagatur, niſi præcelſa virtus ipſius ſanguinis ſplendorem comitetur; quo fit, vt ex nobilitate illuſtrata virtute poſſint ſemper grandia, ac nobilia coniectari.

Diuitibus verò, præſertim ſi ſuperbi ſint, auari, ac contumelioſi bona per- 246
exigua prædici poſſe, experimentis pluribus teſtatum eſt; cum enim diuites horum vitiorum labe fœdati omnia ſibi impunè licere arbitrentur præ multitudine diuitiarum, quibus vt plurimum inſoleſcunt, inde fit, quod facilè corruant in ruinas; miſeria namque ibi ocyus paratur, aiebat Iſocrates, vnde magis diſtare creditur; nec alia ratione dicitur Chyron interrogantibus, quid eſsent diuitiæ, reſpondiſſe, Theſaurum eſſe malorum, calamitatis Viaticum, improbitatis adminiculum; & licet de diuitibus dicat Petronius.

Quiſquis habet nummos ſecura nauigat aura
Fortunamque ſuo temperat arbitrio.
Multa loquor; quiduis nummis præſentibus, opta,
Eueniet, clauſum continet Arca Iouem.

Licet Plautus pecuniam nominet omnium rerum animā, omnis felicitatis adminiſtram, in his ad ſummum id intelligendum venit, quod ex diuitijs bona contingant, & contingere poſſint, cum in bonum, vt par eſt, atque iuxta naturæ præſcriptum, vſum vertuntur; quod tamen, cum ex Ariſtotelis teſtimonio arduiſſimum ſit, ideo diuitiarum mala potius portendere, quàm bona deprehenſum eſt. Quod ſi dicatur, Sapientiores quoſdam mala longè maiora egenis & pauperibus fuiſſe ominatos, ac præſertim Ariſtotelem in Topicis docuiſſe viros opulentos eſse fide digniores, quam pauperes, qui ſpe lucri ad id quod turpiſſimum eſt, nempè veritatem deſerendam, iuſtitiamque falſò teſtimonio prodendam facili negotio impelluntur, ex quo etiam dictum eſt à Silio Italico

——— *Sceleri procliuis egeſtas*

Hæc tamen diuitibus non firmum ſuffragium ferunt, cum iiſdem nequitijs ſæpe grauiùs laborent; eoque ſunt grauiori conuicio improperandi, quam pauperes, quod ad ea mala nulla neceſſitate compellantur.

DIS-

DISSERTATIO LI.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex ſignis vitæ.

247 CVM hominis vita in actu primo habeatur per manſionem animæ in corpore, vita verò in actu ſecundo per vitales quaſdam ipſius hominis operationes, antequam de ſignis vitæ in vniuerſum diſſeramus, operæ pretium eſt, potiora vitæ fulcra ac fundamenta hoc loco proferre, vt ijs ſub oculos perductis, faciliùs reliqua quæ ſpectant ad vitæ ſigna, ac prædictiones ex ipſis ferendas, exponamus. Calor igitur & humor primigenius potiores ſunt diſpoſitiones, quibus & anima manet ac detinetur in corpore, & etiam vitæ muneribus; & operationibus fungitur; omnia etenim viuentia in primo ortu maximè calida videmus, & humida, quæ etiam, quò magis ſeneſcunt, cum ſenectus ſit pronus ad mortem lapſus, eò frigidiora ac ſicciora fiunt; immo Ariſt. ipſe lib. de vita & morte, & lib. de reſpirat. vitam definit manſionem animæ in calido, ex eo quod humidum ſit tantum natiui caloris fomentum, vt oleum in Ellychinio flammam alens, ac conſeruans; quæ duo vitæ fulcra ac fundamenta in totum corpus dimanantia, ac diffuſa per arteriarum riuulos efficiunt, ne hominis corpus ſuis præſidijs deſtitutum collabatur, eiuſque facultates vitales in exitialem interitum præripiantur; natiuus ſiquidem calor a prima formatione homini inſitus debet in omnibus corporis partibus ita conſeruari, vt nunquam omnino deficiat; quemadmodum etiam humidum, quod dicitur radicale; ſi enim aut facile pereat calor, aut humidum præter naturæ leges exſiccetur, tunc neceſſe eſt homini interitum prænunciare; & hinc immoderatus Veneris vſus, quo maximè ſiccantur corpora, vitam breuiſſimam reddit, idemque efficit nimia fæcunditas in plantis, quarum illæ, quæ fæcundiores ſunt, citiſſimè ſeneſcunt, & moriuntur, idem denique efficit immoderatus labor propter nimia humectantis ſpiritus conſumptionem; quà tantummodo ratione probari poſſunt illa medicorum præcepta, quibus mouemur, cum

opus eſt, balneis atque humidis alimentis eſse fouenda corpora non modo ad arcendam ciccitatem, quam ad ſanitatem & vitam conſeruandam.

Ex eiuſmodi igitur ſignis, quæ facilè in cuiuſcunque hominis corpore dignoſci poſsunt, poterunt facilè, atque ſine incertitudine prædictiones afferri de longitudine, vel breuitate vitæ, quo enim maior eſt corporis humiditas, eo difficilius per calorem exſiccatur, ſicque vita longæuior protrahitur; contra verò vbi minus excedit calor, inde breuior vita colligitur; a calore enim plurimum immo maximè pendet hominis vita, adeo vt Democritus apud Ariſtotelem putauerit animam hominis ignem eſse ex atomis ſphæricis ad motū aptiſſimis compoſitum; cuius ſententia licet falſa ſit, verè tamen ipſe dicere potuit animam in calore poſitam eſse, quia, cum eius in corpore officium ſit alere & mouere, hæc caloris facultate maximè efficiuntur, licet anima neque calor ſit, neque ignis; eſt enim calor adeò vitæ proprius vt apud Sapientes Græcos idem prorſus ſit viuere, ac feruere; ſicut contra frigus dicitur adeo mortis proprium, vt apud Horatium ſit idem frigore ferire, atque interimere. 248

——— O puer vt ſis
Vitalis metuo, & maiorum ne quis amicus
Frigore te feriat.

Hacque ratione mares dicuntur ab Ariſtotele fæminis viuidiores, & apud veteres Scriptores longè plures viri, quam fæminæ de vitæ longitudine ſunt commendati; ea præſertim de cauſa, quod ad humidum caloris ſedem, atque ad ipſum calorem reparandum omnem vitæ operam impenderent; ex quo viſi ſunt depoſita ſenectute ad Iuuentam rediiſse; quod præſertim perhibetur de quodam centenario ſene, quem refert Torquemada in primo Dialogo Horti floridi Tarenti fuiſse anno 1531. is enim iam pilis, dentibus, vnguibus ſqualore ætatis decidentibus de ſene iuuenis prodijt, & quinquaginta annos ſuperuixit; quod licet admirandum videatur, longè tamen admirabilius eſt, quod narratur a Petro Maphæo lib. 11. hiſt. Ind. à Ferdinando Caſtenneda in lib. 8. & ab alijs etiam fidei probatiſſimæ authoribus de quodam Indo prænobili, cui ſpatio annorum trecentorum, & quadraginta, quibus vixit, iuuentutis flos ter exaruiſse dicitur, terque refloruiſse, eo quod aromatibus, alijſque cibis ad reſtaurandas vires naturales, atque ad fouendum calorem, & humidum maximè accomodatis certo tempore, ac certa menſurâ vteretur, de quo bene potuiſset illud elogium à Iuuenale proferri.

Felix nimirum, qui tot per ſæcula mortem
Diſtulit atque ſuos iam dextra computat annos.

Ex ſignis verò Melancholicæ temperiei non poſsunt prędictiones ferri, niſi vitæ breuioris; ſunt enim melancholici ex eo minimè viuaces, quod ſiccitate abundant, quę pugnat cum calore humido, quo maximè vita ſuſtentatur. Quod ſi frigus ſiccitate ſit maius, adhuc erit vita breuior, quia calor ad vitam potior eſt, quam humor, qui tamen eſt caloris fomes, & pabulum; Phlegmatis ſigna longiorem indicant vitam, quam ſigna melancholicę, eo ſaltem quod maiorem 249

rem

rem humorem denotent, quo vita roboratur; & licet temperatio ſicca videatur minus habere excrementitiæ fæculentiæ, quæ morborum eſt ſeminarium, hoc tamen id ſolum infert, ſicca corpora maiori ſanitate gaudere, quam humida & calida, at non propterea diuturnioris eſſe vitę; cum enim vita ſit permāſio animæ in calido humido, vbi copioſius erit vtrumque, ibi diuturnior erit vita, quia ibi anima diutiùs permanebit, etiamſi morbi frequentiores aduenіant: quarè ſcitè inter ſanitatem, quæ mediocritas humorum eſt, ſicut morbus exceſſus, aut defectus, & vitam diuturnam diſtinguendum eſt; & ſenes licet ad vitę metam iam pænè peruenerint, multo minus tamen, quam iuuenes ægrotant. Nec obſtat hactenus dictis, quod Elephantes licet natura frigidiſſimi; vt volunt Ælianus, & Raſis, multum tamen viuant, atque ad trecentos vſque annos perueniant teſte Plutarcho; Quò ætatis nulla pertingit in animalibus temperies calida; nam in primis non adeo certum eſt Elephantos ad illud Semiæuum ætatis peruenire; Deinde cum Elephanti propter corporis magnitudinem multum humidi contineant, quod difficile per modicum calorem exſiccatur, inde fit vt diutiſſimè viuant. Addunt alij Animalia eiuſmodi in calidiſſimis regionibus viuere, in quibus frigiditas naturalis per calorem extraneum maximè temperatur. Quæ tamen doctrina non eſt ita facile hoc loco admittenda, cum hic de ſignis temperiei non loquamur, quibus diuturnior, aut breuior competat vita ob cauſas externas; & licet Ariſt. initio libri de longitudine, & breuitate vitæ doceat in regionibus calidis homines plus viuere, quam in frigidis, hoc eſt intelligendum cæteris paribus de pari corporis temperatura ad vitæ diuturnitatem opportuna. Cęterum prouidentia diuina in omnibus eſt ſuſpicienda, neque in omnibus rationes inueſtigandę ſunt, cur breuiorem, vel diuturniorem ſortiantur vitam, cum id ad ſolum placitum diuinum referatur.

DIS-

DISSERTATIO LII.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex ſignis Indolis.

HONESTÆ, vel prauæ indolis indicia, quibus fauſti, vel infauſti aſſolent natis euentus prænunciari, primum à parentibus trahenda eſſe docet Ariſtoteles, & monet Plutarchus, cum enim à parentibus in filios non genitura modo, ſed cum honeſti, tum praui mores non rarò propagentur, inde fit, quod ex ijs, quæ in progenitoribus obſeruantur, queant etiam illa, quæ ad indolem ſpectant in natis, optimo iure conie&tari; fortes namque creãtur fortibus, eſt in iuuencis, eſt in equis patrum virtus, nec imbellem feroces progenerant Aquilæ Columbam, nec alia ratione à maioribus bonam indolem generatione traduce ſortimur, niſi quia temperiem, habitumque corporis eis debemus, cuius habitudinem etiam animi propenſiones conſequuntur; & ſanè quantum à parentibus pendeat corporis temperies in natis, & etiam animi indoles, ex eo dilucet, quod etiam ſola matris imaginatio notas & characteres in fætibus imprimat; mulier ſiquidem noſtri æui grauida, cui cucurbitulis ex venarum ſectione miſsus fuit ſanguis impreſſit nato in ſimilibus partibus vulnerum cicatrices; Iacob ex oppoſitis virgis vnicoloribus, aut variegatis, vnicolores, aut variegatas oues habuit; & Gallina dum ouis incubat exterrita a Miluò, miluino capite pullos excludit. Quemadmodum etiam ſi res animi attendantur, docet Ariſtoteles ſæpè in Ethicis, & etiam in politicis conſentaneum eſſe ex melioribus meliores exoriri, id fatente etiam Cicerone *in* orat. pro Roſcio, id ipſum etiam iure teſtante, in quo præſumitur filius eſſe eiuſdem affectus, voluntatis, atque propenſionis cum Patre. Quæ tamen non ita certa cenſenda ſunt, vt plerumque fidem noſtram hæſitantem non reddant, cum ſæpius bonorum parentum degeneres habeantur filij, nec ſemper parentum indoles tranſeat ad eorum propagines, quod præſertim deprehenſum eſt in Caligula filio Germanici, in Domitiano à Veſpaſiano progeni-

250

to, in Commodo, qui fuit M. Antonini proles infauſta, & alijs eiuſmodi pluribus.

251 Ex nutricibus quoque ſigna quædam habentur, ex quibus licet de natis prædictiones ferre; ab ipſis namque non tantum lac, ſed ingenui prauique mores cum lacte hauriuntur, vnde quales nutrices erunt, tales eſſe futuros infantes ſinę cenſura coniectari poteſt, cum tenellum cerei infantis corpus quotidiana mãmarum exſuctione immutetur, & in eamdem cum nutrice temperaturam deſciſcat, eamque temperiem, vt ſæpè dictum eſt, quoquo modo ſequantur animi mores, vt ea teſtantur exempla, quæ affert Michael Scotus in ſuo libello; quorum alterum pueri eſt, qui diù lacte porcæ enutritus, iam grandis natū volutari in luto gaudebat, & more ſuum cibos vorabat, ac comedebat; alterum verò alterius pueri eſt, quem cum Capra diù lactaſſet, plantas auidè corrodebat, ſaltatimque incedebat; quod etiam traditur a Iuſtino lib. vltimo de quodam hiſpano, qui ceruæ lacte nutritus, ceruos ipſos curſu perniciſſimo æquabat; ac propterea lex eſt à Medicis indicta parentibus, ſi in natis peroptant generoſam indolem concreſcere, eos eſſe generoſæ nutricis vberibus admouendos, ne in illud incidant Virgilij improperium 4. Æneid.

Non tibi Diua parens generis, nec Dardanus auctor
Perfide, ſed duris genuit te cautibus horrens
Caucaſus, hircanæque admorunt vbera Tygres.

Eo namque modo, quo indolis varietatem in brutis quoque cerni notauit Dio Chryſoſtomus orat. 21. & etiam Cardanus lib. 2. de ſapient. vbi fatetur viſum ab ſe felem à cane lactatum minus agreſtem, & infidum euaſiſſe; ex lacte porro, vt in homine ſiſtam, maximè contrahi a paruulis procliuitates ad has illaſue paſſiones docuit etiam Chryſippus, qui idcirco legem conſtituit, vt pueris nutrices optimæ pararentur; magnam enim partem in proferenda indole in pueris habet altricis ingenium, & lactis natura, quod latè demonſtrat Phauorinus; vt ex his omnibus notum fiat, poſſe ex nutricis diſpoſitione, atque temperie optima ratione de indole puerorum coniectari.

252 Non modo ex intimis quibuſdam ſignis honeſtæ vel prauæ indolis de humanis euentibus poſſunt prædictiones legitimè fieri, ſed etiam ex exterioribus, ac præ cæteris ex primæua ipſorum hominum aſſuetudine, atque educatione; magnum ſiquidem momentum hæc habet ad ea coniectanda, quæ hominibus ipſis euentura ſunt; quæ cauſa fuit, vt priſci quidam populi hoſtibus ſuis nihil tetrius, aut infeſtius imprecari ſe poſſe arbitrarentur; quam prauam ab initio conſuetudinem, & aſſuefactionem; ſi enim hæc mala fuerit, ſemper mala ominari ac portendere neceſse eſse fatentur ſapientiſſimi viri; & ob hanc cauſam monet Ariſtoteles 2. Ethic. capit. 1. permagni omnino referre, quibus quiſque actionibus a pueritia aſſueuerit, quod inoliti per aſsuetudinem habitus paſſiones propè eſſ ænes, atque ad rationis ductum indociles reddant, donec longa malorum frequentatione in poſtremum tandem exitiū homines

pro-

protrudantur; ex frequentatione enim malorum operum, qua ſemper peiora eligunt homines, atque amplexantur, obſoleſcit omnino virtutis nitor, quo euaneſcente ſola pronitas ad mala hominem moderatur, atque adeò ex ipſa omnia mala fas eſt coniectare; quemadmodum enim ex indole hoc vel eo modo a natura conformata petere licet conie&uras aliquas de pronitatibus ad has vel illas paſſiones facilè ſubeundas, ſic pari modo ac ratione licebit etiam conie&uras ſumere ad diuinandos ac prædicendos quoſdam euentus, qui vt plurimum paſſiones illas, ſeù naturaliter inditas proclinationes illas conſequuntur; quæ coniectatio licet ſit admodum incerta, imò omninò fallax, ſi agatur de ſingularibus ac contingentibus actionibus liberis ob intemeratam liberi arbitrij liberè agendi facultatem; negandum tamen non eſt, ſaltem ſub incertitudine, nimirum ſaltem ſub probabili ratiocinatione eamdem haberi poſse; docet namque Proclus in Alcibiadem primum Platonis, morem fuiſse Pythagoræis per ſigna in corpore conſtituta, per ſemina per educationem inducta de venientium ad ſe vita conſequutura iudicare.

DISSERTATIO LIII.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex animi affectionibus.

253 EAS intelligimus hic animi affectiones, è quibus animus ipſe per quamdam exteriorem emanationem contuentibus innoteſcit; cum vero per actiones virtutum, vel vitiorum, quæ exteriùs exercentur, quam maximè animus ipſe erumpat, ideò has præſertim veſtigandas hoc loco proponimus, vt ab ijs, quæ ſub oculos perducuntur, de alijs, quæ longè diſtant, coniectemus; eo namque modo, quo connexæ ſibi inuicem, ac concarenatæ dicunrur virtutes, atque agendi facultates, eodem prorſus erunt per coniectationem coniungendæ ipſarum virtutum actiones, dummodo nulla neceſſitas agentibus inferarur, qui ex illæſa agendi libertate remotiſſimâ tantum coniectandi rationem ſuppeditant. Ex eo itaque quod diſpiciatur quis bis vel ter in ſuis rebus prudenter agere, poterit vaticinium proferri, quod idem ſit in omnibus prudenrer acturus, cum dignoſcatur prudentiæ habiru ex ante actis ſatis inſtructus; idemque affirmare licebit de reliquis virtutibus, atque agendi facultatibus, cum eadem in reliquis ſit coniectandi tatio; vir namque prudentia, aut temperantia inſtructus, ſupponitur ea omnia obtinere, quæ ad prudentiam, aut temperantiam conſequuntur, nec poſſe aliter agere, niſi iuxta earum virtutum proclinationes & inſtituta, cum prudens homo eſſe non poſſit, niſi etiam docilem, intelligentem, ſolertem, prouidentem, & circumſpectu n ſe oſtendat, quæ omnia ad prudentiam conſequunrur, ex quo benè Virgilius volens Æneam prudentem deſcribere 6. Æneid. ea de ipſo protulit

———— Non vlla laborum
O virgo, noua mi facies inopinauè ſurgit
Omnia percepi, atque animo mecum ante peregi.

Et quod de virtutibus dicitur, etiam de oppoſitis vitijs dicendum eſt; ſi enim

Digitized by Google

eſt;ſi enim deprehendatur aliquis imprudenter agere, idem quoque in reliquis rebus agendis poterit argui præceps,temerarius,inconſtans,inconſideratus,ac negligens, cum imprudens nullam rectè conſultandi,vel agendi facultatem obtineat, nullaque ipſi ſit in conſiderandis futuris euentibus cautio, aut circumſpectio.

Sic liberaliter, vel prodigè opes ſuas eroganti,aut profundenti paupertatem cito pede aduenturam poſſumus ominari, cum ex eiuſmodi erogatione, ac profuſione bonorum indigentia vt plurimum oriatur, nec alia ratione prædicta eſt Ageſilao, atque Epaminundæ paupertas ab Aſtrologis, niſi quod bona ſua quotidiè liberaliter elargirentur; atque ex liberalitate facilè conie-ctari poteſt,quod aliquis ſit apud multos diligendus, ac gratus habendus, cum vt plurimum liberalis vir ſit etiam comis, humanus & affabilis; quæ omnia refert Sext. Aurel. in Tito Imperatore eximiè enituiſſe, ex quibus etiam Amor & deliciæ generis humani appellatus eſt; atque de liberali viro vaticinium illud præſertim probatum eſt 254

Siquis in hoc mundo vult multis gratus haberi
Det, capiat, quærat, plurima, pauca, nihil.

Quemadmodum contra de auaro rectè prædici poteſt, quod vili, & abiecto animo in omnibus futurus ſit, ſemper ſordidus, fallax, & proditor; quod omnino praua atque iniuſta acturus ſit, vt lucrũ faciat; neque enim probrũ putat, quod quæſtuoſum eſt, & cum ſemper aucupando inhiet lucro, paratus dicitur potiùs omnem pudorem, omneque verecundiæ officium deſerere, quàm lucri opportunitatem; qua de cauſa rogatus Scipio in Senatu Romano, vter in Hiſpaniam mittendus videretur, contra Venantum pugnaturus, reſpondit neutrum eſſe mittendum, cum vterque eſſet auarus, atque inexplebilis diuitiarum ſitis.

Sic etiam ſi aliquem in alienam miſeriam ſubleuandam propendentem de- 255
prehendimus poterimus iure maximo de hoc vaticinari; quod pleriſque ſit opem laturus, cum enim miſericordia ſit virtus, quæ ſemper coniuncta eſt cum quodam condoleſcentiæ, ſeu compaſſionis affectu, inde argui poteſt, quod multorum per virum miſericordem ſit leuanda miſeria; atque hinc etiam Homerus ſuos Heroes, Virgilius Æneam ſuum ſæpè lachrymantes inducunt ex alienæ miſeriæ compaſſione; dicitur namque miſericordia eſſe triſtitia, ſeù ægritudo ſuſcepta ex alterius miſeria, hancque triſtitiam faciliùs illos concepturos eſſe poſſumus diuinare, qui miſeriam in ſe ipſis alias experti ſunt, quod inſinuatum eſt apud eundem Virgilium 1. Æneid. in illis carminibus.

Me quoque per multos ſimilis fortuna labores
Iactatam hac demum voluit conſiſtere terra
Non ignara mali miſeris ſuccurrere diſco.

Sic denique ex temperantiæ affectu multa bona in homine augurari licebit, quemadmodum ex intemperantia innumera mala, atque infauſtiſſimos euentus; ex temperantia namque præſertim in cibo ac potu nedũ bona corpo- 256

ris valetudo expectari poteſt, ſed etiam vitæ longæuitas, atque acrioris intellectus exercitatio, ex quo dixit Sapiens, ſanitatem mentis & corporis in ſobrio potu poſitam eſſe; vt enim voluptas ægritudinum mater eſt, ita bonæ valetudinis temperantia; atque ex hoc inter medicas præceptiones nulla potior diæta dicitur.

Pone gulæ metas vt ſit tibi longior ætas
Eſſe cupis ſanus, ſit tibi parca manus.

Quare Socrates, qui temperantia fuit inſignis, ſanitate pænè inoffenſa diutiſſimè vixit; eodemque Temperantiæ pharmaco Maſſiniſſam Numidarum Regem, & Mytrhidatem Ponti Regem vitam in multos annos prorogaſſe legimus, ille quidem iam nonagenarius ſemel tantum interdiu veſcebatur ſine pulmento; iſte, quo abdomini legem faceret, ſtans ſemper veſcebatur. Contra intemperantiæ mala ſine numero ſunt, potiora verò ſunt vitæ breuitas, in agendo ſtoliditas, libido, ac ſumma corporis, & mentis imbecillitas; Morbus etiam quamplures dicitur cudere intemperantiæ officina, eoſdemque omnes gignit, quos dicuntur gignere nimia luxuries

——— *Quæ dedita ſemper*
Corporis arbitrijs hebetat caligine ſenſus.

Nimium otium, nimia ſegnities, nimius ſomnus, nimium vinum; non enim facilè enumerari poſſunt ægritudines, quæ ex his malorum fontibus dicuntur corriuare; atque hæc omnia mala diuinare poſſumus in viro intemperante, eritque diuinationi adhibenda fides, cum eius veritatem confirment euentus, & experimenta. Non recolo hic cæteras animi affectiones, ex quibus licet diuinationes ferri, quoniam ex his, quid de alijs dicendum ſit, facilè habemus.

DIS-

Google

DISSERTATIO LIV.

DE FIDE ADHIBENDA

Diuinationibus ex alijs corporis, & animi coniecturis.

TAMETSI cor hominis dicatur omnino mortalibus inſcruta- 257
bile, vniuſque Dei oculis dumtaxat expoſitum, miſerabilis
tamen fuiſset conditio ſocietatis humanæ, ſi quandoque
etiam abditos pectorum ſenſus ex exterioribus ſignis ex-
plorare non licuiſſet; decuit namque ſummum Opifi-
cem ita animorum veſtigia, & characteres in corporibus ex-
primere, vt genus humanum Feneſtra illa Socratica non indigeret, qua etiam
in retruſis pectoris anfractibus quid quoquo modo agendum eſt, diſcernere-
tur; patet igitur per corporis notas, quaſi per rimas, quidam menti traiectus ad
animum, ex quo, quid in animo ipſo delitеſcar, ſæpè perſpectum fieri poteſt;
non ea tamen coniectandi arte, qua vtebatur Galenus, qui cum affirmaret
nihil aliud eſse animam humanam, quam corporis temperationem, ex hac
omnia ad ipſam animam ſpectantia certa quadam ratiocinatione arguebat;
cum ad ſummum ab extimis corporis notis ac ſignis intima animi ſum-
ma cum incertitudine coniectari valeant; licet enim animæ domicilium
corpus ſit, ac propterea ad animæ latebras inueſtigandas viam patefa-
ciat, non proinde ita interiores animi propenſiones, atque affectiones pandit,
vt omnino ex ſolo corporis aſpectu de illis nunquam abundè cognitis, certitu-
dinem profiteatur.

Si quæ verò certior quædam coniectura ex extimis partibus, vel ſignis ca- 258
pienda eſt; hęc maximè ex vultu deducenda eſt; eſt enim humanum caput ve-
lut contractum quoddam cęlum, quod ſuum Solem, ſuaque ſidera mouit, quo-
rum fatidico lumine abdita pectorum prudentioribus viris quandoque reclu-
duntur, atque cum rationalis ac diuina hominis pars ancillantibus imperans
facul-

facultatibus tanquam Numen regnet in capite, æquiſſimum ex hoc fuit caput hominis ac vultum Cæli appellatione cohoneſtari; quæ etiam potiſſimum ratio fuit, quæ impulit Metopoſcopos, vt in vnius cōtemplatione capitis ac vultus artis ſuæ diuinatricis fundamenta collocarent, cum caput, & vultus totius animi ſimulachrum ſit, ex viſu cognoſcitur vir, & ex occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus; Quin imo hominum vultus rationale illud apud Hebræos dici poteſt, quod erat coniectoribus opportunum ad inſtituendas diuinationes, dum in hominis vultu, atque in ſingulorum frontibus ea leguntur, quæ altiùs in pectoribus deliteſcunt.

--------- Licet ipſa neges
Vultus loquitur quodcunque negas.

De Deianira habet Chorus apud Senecā; ſic in ſupercilijs, quæ dicuntur ſuperbiæ arcus quibus nō tam promerita fulciuntur, quam triumphat ambitio elata nimis cogitationum moles erecta diſpicitur, quemadmodum etiam ſæpè non tam animi arrogantia, quam eiuſdem mæror, triſtitia, atque hilaritas; quod etiam diuinandi genus à gemino humani Cæli aſtro, ſcilicet ab oculis petendum eſt, per quos veluti per ianuas animus ipſe ſæpè egredi feſtinat.

259 Nec ſolum faciem velut animæ ſpeculum in corpus emanantis ſapientiſſimus rerum omnium molitor Deus operoſè explicauit, fecitque prodigiorum compendium prorſus admirandum, ſed etiam vocem in homine magnam nedum vultus, ſed etiam animi partem habere voluit, cum ex cognatione inter faciem ipſam, & vocem & latentes hominum ægritudines, & retruſas agendorum cogitationes nobis protulerit; & licet plerique incondirum vocis clamorem, quo audientium aures obtunduntur faciant in hominibus ruſticitatis, iracundiæ, atque ſuperbiæ argumentum, quod etiam notauit Theopraſtus in ſuis caracteribus, tamen vt plurimum grauiditatem in voce peculiarem generoſæ naturæ notam Ariſtoteles interpretatur, ac propterea vocis magnitudinem Heroibus a Poeta Græcorum maximo adſcribi ſolitam teſtatus eſt eruditiſſimus Homeri Scholiaſtes Spondanus 8. Iliad. videtur namque eſſe elata vox in huminibus, velut quædam naturæ tuba, qua ſibi triumphos magnarum actionum occinere homines gloriantur; Vnde Iunonem magna aduerſus Troianos molientem inducit Homerus magna etiam voce clamantem, ſic Diomedem magna vociferatione cum Marte congredientem; Sic denique Hectorem cum clamore magno a curru deſilientem. Contra verò vocis tremorem ac mollitiem ſemper imbecillitatis fœmineæ argumentum fuiſſe teſtati ſunt Sapientes, ac præſertim Tullius ex hoc vocem mollem ac muliebrem in oratore ſæpius condemnauit, eo quod vocis mollitudo potius amatores effæminatos deceat, quam Oratores, & ad rem optimè Perſius Sat. 1. ea profert

Hic neque more probo cernas, nec voce ſerena
Ingentes trepidare Titos, vbi carmina lumbum
Intrant, & tremulo ſcalpuntur vbi intima verſu.

Atque etiam ex voce compactus ſermo tamquam animi idolum ſæpè prola-

tum

tum eſt, docuitque Seneca talem cenſeri hominum vitam, qualis eſſet ipſorum hominum ſermo, iuxta illud Socratis effatum, loquere vt te videam; nec ſine ratione Zeno Stoicorum Princeps, cum adoleſcentem proteruiùs ganientem audiſſet, illum prudenter admonuit, vt ad mentis fontem opportunè diuerteret, & linguam ſalubri potione reſpergeret; extat enim monitum illud apud Stobæum, niſi lingua in mente intincta diſserueris, multò adhuc ampliùs loquendo deloques: & ſanè ſi quid eſt, quod animi benè conſtituti pulchritudinem, & quamdam morum concinnitatem arguat, is ſermo eſt, qui fingitur cogitatè, atque efformatur priùs in mente, non in labris temerè, atque incogitanter exoritur, Vlyſſes namque apud Homerum, qui inter omnes totius Græciæ proceres ſapientia Princeps, atque omnium virtutum complexione verus Heros deſcribitur, vocem ſuam & ſermonem non ab ore tantum, ſed à mente inter loquendum emittere prædicatur, idque ſatis curioſè in noctibus Atticis Gelliùs obſeruauit, ſi enim lingua mentem non ſubſequatur, ſi animo non ancilletur, ſi leges ab ingenio non accipiat peruerſè omnia fieri neceſſe eſt, cum nihil boni prodire poſſit in apertum, niſi priùs in corde, aut in mente fuerit concoctum atque elaboratum iuxtà illud Horat. in art. Poet.

Format enim natura priùs nos intus ad omnem
Fortunarum habitum, iuuat, aut impellit ad iram
Mox ad ſumum mærore graui deducit, & angit
Poſt effert animi motus interprete lingua.

Aliæ denique coniectandi rationes ex alijs externis rebus exteriùs hominem afficientibus iure peti poſſunt, præſertim ex corporis cultu, ex veſtibus, ex capillamento, atque ex inceſſu, nam hæc omnia notæ quædam eſſe poſſunt ab ipſa natura in hominibus conſtitutæ, quibus intimæ animi propenſiones indicentur; at quoniam de his, & de alijs pluribus agunt fusè phyſiognomi omnes, hic ſermonem ſuſpendo, illud vnum denuò hic confirmans, valere poſſe coniecturas eiuſmodi ad ferendas prædictiones, ſi ſua incertitudine ſemper laborare dignoſcantur, nulloue modum agendi libertatem lædant. 260

Non pauca etiam ducuntur vaticinia ex ſignis ſternutationis in homine quibus tamen fidem adhibere non ſemper tutum eſt, aut honeſtum, cum plura ſint omnino ſuperſtitioſa, atque omni ratione deſtituta; qualia præſertim ea ſunt, quæ affert Michael Scotus in ſuo Libello, vbi ait, eos fore in ſuis negocijs proſperandos, qui in illis ſuſcipiendis duas aut quatuor ſternutationes fecerint, ſcilicet numero pari, hoc tamen addito, quod ſtatim ſe moueat, ſi ſit ſedens; ſecus verò negotia non eſse ad bonum finem peruentura, ſi vnam tantum, vel tres numero diſpari fecerit ſternutationes. Item ait duobus hominibus ſimul vnoque momento ſternutantibus fauſtum exitum negociorum portendi præſertim ſi negociationis cauſa mare ingrediantur. Item recenter in aliquem locum aduentanti vnam ſternutationem ſubitò illic factam multa bona ſignificare in eo loco ſibi euentura. Item alicui de familia nocte aliqua ſter- 261

ſternutanti ex eo ſigno bona domino illius domus prænunciari, præſertim lucri, & diuitiarum; ita tamen vt qui ſternutationem fecerit, partem illorum bonorum ſit acceptutus. Item ſi in aliqua domo per plures noctes, at præſertim trium noctium numero compleantur, fiant duæ ſternutationes, id tanquam ſignum certum accipiendum eſſe, quod aliquis in illa domo ſit moriturus; hæc enim & alia plura id genus prædicendi ſigna, quæ congerit Michael Scotus nō minus ſuperſtitioſa ſunt, quam omnino ridenda, cum nullam habeant connexionem in natura; nec aliunde ſternutationes oriantur, quam à cauſis naturalibus, ex quibus non niſi effectus naturales iuſtè prædici poſsunt; fiunt namque ſternutationes ex vaporum fumoſitate, qui aſcendunt in caput, & vſque ad cerebrum pertingunt; vbi cum ſæpius multò magis abundent, quam par eſt, eos natura ſternutatione depellit, atque per os, & nares expellit; Atque cum eiuſmodi ſternutationes poſſint facilè impediri, nimirum per oculorum perfricationem, non poſſunt ſigna quædam euentuum fatalia nominari, vt volunt coniectores.

262 Poterunt igitur ex ſternutationibus tanquam ex ſignis a natura conſtitutis ad capitis leuamen quidam argui ac prædici naturales effectus, idq. extra omnem dubitationem eſse debet, cùm enim ſternutationes fiant ex contractione ſeù collectione cerebri ad excluſionem rei noxiæ, quemadmodum etiam fit ex contractione thoracis tuſſis, ex contractione ventriculi ſingultus, hinc fit, quod ex ipſis non poſſint prænunciari niſi quidam effectus in ipſo cerebro, iſque præcipuè, quo cerebrum ipſum in anterioribus ventriculis nimis ſit humectatum; & inde fit, quod homo ſæpe ſternutet, donec humor ille mordax ſit in cerebro reſolutus; eademqe ratione inuenimur, quod ſolis calor ſternutationem prouocat, calor ignis nequaquam, idque ex eo contingit, quod calor ſolis humorem in cerebro conficit, & non reſoluit, ignis vero cum ſit maioris validitatis humorem illum reſoluit; quod ſatis deprehenditur cum per oculorum aut naſi perfricationes ſternutationes euaneſcunt, ea namque perfricatio calorem ciere poteſt, qui natiuo & interno additus calori poteſt illum humorem decoquere, & reſoluere, quod docet Ariſt. ipſe de ſternutatione agens, vbi etiam ait, ſternutationes frequentes craſsam redundantium humorum copiam arguere, ac propterea ſenes parum aut nihil ſternutare; Quemadmodum etiam ex vehementi, & crebra ſternutatione bona coniectari poteſt ipſius cerebri habitudo, & conſtitutio, quæ humoribus vacare non debet, vt optimam temperiem obtineat. Similiter ex homine frequenter ſternutante bonam capitis valetudinem arguere ſemper licuit, cum id indicium quoddam ſit, poſse caput noxios ac ſuperuacaneos humores benè cōcoquere, ſeque iſtis benè expurgare; ex quo docuit etiam Hippocrates mulieri difficulter parienti, ſi ſternutamentum ſuperuenerit, bonum ille eſse; tunc enim ſignum eſt naturam, quaſi intermortuam expergefieri; & reuiuiſcere; ac ſæpe moribundi ſternutatorio excitantur, quaſi hoc ſi affici nequeant, nulla ſalutis ſpes ſuperſit; atque ex hoc fortaſſis apud Veteres ſternutamentum pro Numine habitum eſt, id

ſcri-

ſcribente Ariſtotele, ex eo præſertim, quod ex ſternutamento ſummoperè natura leuetur, atque à noxijs humoribus exoneretur; qua etiam de cauſa voluere quamplures nos quaſi gratulabundos ſternutantibus illis verbis benè precari (Te adiuuet Deus) licet eiuſmodi conſuetudinem aliò referendam teſtentur alij, quorum ſententia eſt, benè precandi morem in ſternutationibus tunc præſertim inoleuiſſe, cum tempore Pelagij Papæ nouum, inopinatumque peſtilentiæ genus graſſaretur, tunc enim ſternutamentum mortem propinquam prænunciabat, cum ex eo agnoſceretur natura vi morbi depopulantis præcordia iam eſse ad extremum redacta, collectiſque viribus extremum edere conatum in illa ſternutatione, poſtquam ſubitò collapſa fatiſcebat; vnde qui tunc ſternutantibus adſtabant, in illa verba fauſtitatem præcantia illicò erumpebant, Te adiuuet Deus.

Aliæ verò prædictiones, quæ ex ſternutamentis ſolent afferri præſertim 263
ſi fines egrediantur naturæ omnino inanes cenſendæ ſunt, vel omnino ſuperſtitioſæ, vel maximè ad ſuperſtitionem accedentes; quales illæ ſunt, quæ feruntur ex ſternutamentis de longitudine, vel breuitate vitæ, niſi ſint ita copioſæ ſternutationes, aut ita frequentes, vt maximam humorum copiam valeant naturaliter indicare, quibus prægrauata dignoſcatur natura facilius ad interitum propendere; Quales etiam illę, quibus ſolent Coniectores de intimis animi affectibus iudicare, in qua re valde reprehenditur Cleanthes, qui ex ſternutatione hominem mollis eſse naturæ, atque ad venerea maximè proclinatum iudicauit; nil enim præſtare poteſt ſternutamentum, quod accidentarias habet cauſas, ad naturæ conſtitutionem, atque ad animi mores indicandos. Sic etiam apud Veteres omnino ſuperſtitioſa erant auguria illa, quæ ex ſternutamentis capiebantur, quale illud apud Homerum in Telemachi ſternutatione Procis Penelopes interitum minitante, ſeu portendente; quale illud Xenophontis ad milites concionantis, qui ex vno milite ſub illud tempus ſternutante omen feliciſſimum accepit, eumque totius militiæ ducem creauit. Etiam Themiſtocles; licet ſapientiſſimus vir, dum ad aras ſacrificaret, audito homine à dextra ſternutante, augurium fecit, quo præcipuum captiui immolarentur; Hippias quoque excuſso in ſternutatione dente magnum ſibi fecit augurium calamitatis futuræ; atque ex his putant quidam tantam veteribus incuſsam eſſe religionem in ſternutamentis, vt in ipſis bonum omen, & ſalutem precarentur, quod Tiberium Cæſarem præſertim exegiſse tradunt, qui præ cæteris Imperatoribus ſummè ſuperſtioſus fuiſse perhibetur; Atque huius ſuperſtitioſæ obſeruationis cauſam in ſternutamentis eam protulere Sapientes Græci, quod nimirum ex hominis capite, tanquam ex arce diuinitatis prodeant ſternutationes, cum caput ſit homini pars ſanctior atque diuinior, ac propterea prodeuntem inde ſpiritum tamquam ſignum augurale, ac diuinum nos venerari decere cenſuerunt; & inde ſi ſternutamenta fuiſsent matutina, docuerunt nefanda omnino ominari, & rei inceptandæ irritos conatus facere; ſi verò fuiſsent meridiana læti fore auſpicij; præſertim ſi à dextris contingerent; Sæpe etiã ſternutamen-

tamenta fuiſse liberationis prognoſtica ab inſidijs, quas aliquis moliretur; ſæpe denique fuiſse ferales exitij indicia, ſi inter epulas medio accubitu per ipſa reuocarentur fercula; Quæ omnia veris ſapientibus non niſi mentis obcæcatæ deliria videri poſsunt, cum non nihil aliud ex ſui natura portendat ſternutamentum, quam denſioris, & maximè conferti ſpiritus exitum ad capitis leuamentum; ſiue enim cerebro incaleſcente humorem capitis paulatim calor extenuet, & in ſpiritum flatumue commutet, quod Hippocrates arbitratur; ſiuè aliunde flatus in caput ingruerit, quod Galenus hac ſuper re Hippocratis Scholiaſtes pluribus explicat, illum tanquam ſuperuacaneum, nullique idoneum rei natura expellat è capite, nunquam tamen excogitari poteſt, quod ſit aliquid ab ipſa natura inſtitutum, aut ad proferendas animorum perturbationes, aut ad indicandos rerum euentus; vt ſuperſtitioſa cogitauit Antiquitas.

IN-

INDEX
RERVM NOTABILIVM
Quæ in Diſsertationibus continentur.

Primus Numerus Diſſertationes, ſecundus Numerus marginales oſtendit.

A.

Accademici.

ACCADEMICORVM ſententia de ſomniorum diuinatione reprobata. diſs. 34. num. 173.

Adamas.

De Adamante fabulæ improbatæ. diſ. 44. num. 223.

Adoleſcentia.

De Adoleſcentia quid coniectari poſſit. diſſert. 48. n. 237.

Adrianus Imperator.

A vatidico fonte Antiochiæ Imperij prædictionem expiſcauit. diſ. 25. n. 131.

Aeromantia.

Qui dicuntur Aeromantes. diſsert. 24. num. 125.

Aeromantium vanitas. ibid. n. 126.

Aeromantum prædictionibus nulla fides adhibenda. ib. n. 127.

Ætas.

Prædictiones ex Aetatis diſcrimine aſſertæ. diſ. 48. n. 236. & ſeq.

Ætiopes.

Regni ſucceſſorem ex Phyſiognomicis prædictionibus deſtinabant. diſ. 9. n. 97.

Albanus Mors.

Incendio celebris. diſ. 23. n. 122.

Albunea.

Sibyllarum decima; quæ & Tiburtina. diſ. 5. n. 22.

INDEX RERVM

Alcyones.

Thetidi ſacræ, deque eorum parturitione præſagium. diſ.42. n.213.

Alexander Magnus.

Imperium Aſiæ ipſi ab Oraculo Delphico prænunciatum ex vaticinijs Prophetarum. diſ.10. n.49.

Anaximander Phyſicus.

Quomodo Terræmotus in Laconia præuiderit. diſ.2. n.10.

Angelus.

Diuinationes ex Angelis afferta.d.9.n.38

Cautè tamen admittendæ. ibid.

Quomodo Angelus futura præuideat. ib.

De Angelis, qui & ſpiritus vatidici iucunda diſputatio. ib.n.39.

Poetarum, & Philoſophorum errores de Angelis. ib.

Quæ cura Angelis demandata. ib. n.40.

Certius quam homines coniectant. ib.n.41

Anima, Animus.

Anima ex corporeis ſignis, & notis agnoſcitur. diſ.19.n.98.

Ex vna, vel pluribus animæ paſſionibus aliæ coniectari poſſunt. ib.n.100.

Animas hominũ circumduci extra corpus, in illudq. reuerti fabuloſũ.d.12.n.55.

De Animabus à corpore ſolutis apud Etniſcis diſſenſio, & diſcrepantia. diſ.28. num.142.

A corpore ſolutæ nũquam iſtuc redeunt. ib.

Prædictiones ex Animi affectionibus deſumptæ. diſ.53.n.253. & ſeq.

Animalia.

Prædictiones temporum ex Animalium ſignis. diſ.42.n.213.

Lux in Animalibus an futurorum præſagium. ib.

Annibal.

Dictum eius memorabile de Aruſpicina. diſ.9.n.42.

Annus.

Prædictiones ex Anni temporibus afferta. diſ.41.n.210.

Anthropomantica.

Seu diuinatio per exta puerorum ab antiquis vſitata omnino fallax, & damnata. diſ.29.n.149.

Antiquitas.

Quantum diuinando errauerit. diſ.1.n.7.

Artemis.

Sibyllarum prima, quæ & Delphica. diſſert.5.n.22.

Aruſpices. Aruſpicina.

Apud Romanos, & Græcos omnia auſpicato fiebant. diſ.33. n.162.

Augurum Collegium Feſulæ. ib. n.163.

Augures Romæ eorumque munus. ib.

Quomodo Auguria ſumebantur. ibid. numero 164.

Modi augurandi. ib.n.165.

Augu-

Auguria ex Auibus, variæque Hiſtoriæ ſuper his recenſitæ. ib. n. 161.
Augurandi ars commenticia, ac fallax. ib. num. 167.
Augures, & Arioli Deo abominabiles; Et ab Etnicis etiam damnati. ib. n. 168.
Auguria felicia à ſiniſtris. diſ. 41. *n.* 226.

Aſinus.

Diuinationes per caput Aſini. d. 29. *n.* 147

Aſtra.

Ad quid hominibus data. diſs. 1. *n.* 3.
Aſtrorum variæ præſignificationes. diſ. 2. *num.* 11.
Ex Aſtris non poſſunt fortuitæ prædictiones vt omnino certæ prænunciari. diſſert. 3. *n.* 17.
Quæ Aſtra malefica. ibid.
Fatum in Aſtris quomodo Plato collocauerit. diſ. 6. *n.* 26.
Ab Aſtris futurorum euentuum prænotiones erui non poſſunt. ibid. n. 28. *& diſ.* 16. *n.* 75. *& ſeq.*

Aſtrologia.

Iudiciaria Aſtrologia exploſa, & damnata. diſ. 16. *n.* 77. *& diſ.* 17. *n.* 79.
Aſtrologicæ diuinationes incertiſſimæ. ibid. num. 80.
Quas prædictiones ferre poſſint Aſtrologi. ibid. n. 83.
Aſtrologicæ poſitiones in Cœlo ridiculæ. diſſert. 17. *num.* 86.

Aſtronomia.

Aſtronomicæ prædictiones diſtinguendæ ab Aſtrologicis, & Genethliacis. diſ. 16. *num.* 75.

Cœlũ, & ſydera non ſunt cauſæ principales euentuum in Terris. ib. n. 78.

B.

Binarius Numerus.

A *Quario aſsignatus à Pythagorais. diſ.* 32. *n.* 160.

Brumalia.

Dies feſta apud Romanos. diſ. 2. *n.* 10.

Brutus.

Bruti Genius expenſus. diſ. 10. *n.* 51.

Bufo.

Bufones pluuias, & tempeſtates præſagiunt. diſ. 42. *n.* 214.

C.

Cabala. Vide *Kabala.*

Cæſar.

Aruſpicinæ contemptor. diſ. 9. *n.* 42.

Canis.

Canes peſtilentia primi corripiuntur. diſs. 42. *n.* 215.

Caput.

Caput hominis coeli nomine quare cohoneſtatũ à Phyſiognomicis. diſ. 20. *n.* 101.
Magnum caput paruũ ſenſum habere, quomodo intelligendum. diſ. 43. *n.* 235.

INDEX RERVM

Caſus.

Quid differat à fortuna. diſ. 3. n. 14.
Nihil habetur certi, cogniti, aut præcogniti in euentibus fortuitis, ideo nihil certi poteſt præfiniri, aut prædici in his, quæ caſu eueniunt. ibid. n. 15.

Catilina.

Ex Phyſiognomia cognitus qualis eſſet à Salluſtio. diſ. 9. n. 97.

Chaldæi.

A ſcripturis damnati. diſ. 16. n. 75.
Aſtrologiam polluunt, & corrumpunt. diſ. 17. n. 81.
Nulla eorum prædictionibus fides adhibenda. ibid.
Abominanda Chaldæorum deliratio de ſyderum Dominio. ibid.

Chamalæon.

Ex radice Chamaleonis nigri mala coniectantur. diſ. 43. 218.

Chiromantia.

Quæ licita, & quæ illicita. diſsert. 21. num. 106.
Aſtrologica damnata. ib. n. 107.
Incerta. ibid. n. 108.
Chiromantum caracteres ad diuinandum futiles. ibid. n. 109.
Chiromantum ſomnia. ib. n. 110.

Chriſippus.

Quæ Oracula venerabatur.

Chriſtiani.

Quare Sibilliſtæ appellati. diſ. 5. n. 23.
In primitiua Eccleſia paſſim Prophetæ erãt & nominabantur. diſ. 8. n. 37.

Cingani.

Cinganorum præſtigiationes damnatæ. diſ. 29. n. 148.
Qualeſnam illi ſint. diſ. 31. n. 155.
Vnde appellati. ibid.
In Deiparam, eiuſq. filium iniurioſi, ideoque ab atria extorres. ibid. n. 156.
Eorum prædictiones inanes, & vanæ. ib.

Cœlum.

Cæli diuiſio ſecundum Aſtrologos incerta. diſ. 17. n. 86.
Omnia in Cælo perpetua vertigine agitantur; ideo Aſtrologicarum Diuinationum poſitio falſa. ibid.
Prædictiones è Coeli natura aſſertæ. diſ. 45 n. 224.

Cognitio.

Inter noſtram, diuinamq. cognitionem diſcrimen. diſ. 6. n. 29.

Columbus.

Columbi ſylueſtres dum canunt aeris ſerenitatem præſagiunt. diſ. 42. n. 213.

Cometes.

Cometarum prognoſtica. diſ. 13. n. 61.
Cometarum incertæ prædictiones. diſ. 22. n. 114.
Mala, itemque bona portendunt. ib.

Come-

Cometarum varie apparitiones, eorumque præſagia. ibid.n.115.
Aliæ Cometarum apparitiones, illiuſque ſyderis materiæ incertitudo, vt & prædictionum ex ipſis. ib.n.117.
Fauſta Cometarum præſagia. ib.n.118.

Conditio.

Ex conditione ſtatuum coniecturæ aſſertæ. diſ.50. n.244. & ſeq.

Coniectores.

Coniectorum diuerſa genera expenſa, & damnata. diſ.40. per totum.

Corpus.

Animæ conformatur. diſ.19.n.99.
Prædictiones ex coſtitutione corporis aſſertæ. diſ.47.n.233. & ſeq.

Coruus.

Prædictiones ex ſignis Coruorum haud ſpernendæ. diſ.42. n.213.

Coſtantinus Imperator.

Quare Imperium Romanum Bizantium tranſtulerit: diſ. 37. n.189.

Cumana.

Sibyllarum quarta, aliter Demophiles, Erophiles, & Amalthea. diſ.5.n.22.

D.

Decretum.

Decreta Diuina non minuunt, nec tollunt libertatem arbitrij. diſ. 14. num.71.

Dæmones.

Dæmones futura prædicunt ad mala concitanda. diſ.1.n.4.
Damnatarum prædictionum Pater eſt Dæmon. diſ.1.n.7.
Effingunt Dæmones Naturæ opera. diſſ. 10.n.44.
Templi Delphici patrocinium quomodo procurarint. diſ.10.n.45.
Diuinant ex ſtellarum poſitu. ib.n.46.
Et ex vi temperamenti. ib.n.47.
Dæmonum calliditas. ibid. n.48.
Diuinant ex prophetijs. ibid.
Dæmonum vmbræ in aquis ab Hydromantis excitatæ. diſ.25.n.130.
Loco Animarum Magis apparent. diſſert. 28. num.143.
Incantationum authores. diſ.29.n.147.

Deiphoba.

Sibyllarum tertia, alias Sibylla Cimmeria. diſſ.5.n.2.

Deucalion.

Oraculi Dodonæi Inuentor. diſ.4. n.59.

Deus.

Quomodo fata hominum diſpenſet. diſſert. 6.num.27.

Pla-

Platonis error de Deo. ibid. n.28.
Dei eſt æternas rerum præfinitiones condere. ibid.n.29.
Ex Deo vaticinia aſſerta. diſ.7.n.30.
Deus non ſolum conĭector, & Imperator, ſed author, & opifex rerum omnium. diſ.7.n.31.
Quomodo loquebatur in Ephod. diſſert.8. num. 34.
Quomodo Propheticas prædictiones inſtituat. ib.n.35.
Dæmones coercet. diſ.10. n.49.
Quare Genius noſter dictus ab antiquis. diſ.11. n.34.
Omnia contingentia immutare, vel impedire poteſt. diſ.13. n.63.
Non vult iniquitatem, ſed tolerat. diſ.14. num. 67.
Hæreticorum error de Deo, tanquam malorum authore. ibid.n.77.
Deus nihil fruſtra molitur. diſſert.23. num.121.
Ad quid Deus vtatur portentis. diſ.27. num. 136.

Diana.

Dianæ Tridariæ cur humanæ victimæ litabantur. diſs.n.2.

Dicæarchus.

Quæ vaticinia collegerit. diſ.1. n.6.

Dionyſius Tyrannus.

Quare gaudio perierit. diſ.38. n. 198.

Diues.

Diuitum prædictiones. diſ.50.n.246.

Diuinatio. *Vide Verbo* Prædictio.

Diuinationum diuerſa genera. diſſert.1. num.5.
Diuinationes Magicæ. diſ.28.n.144.
Diuinationes ex cribro, per caput Aſini; aliaque huiuſcemodi Incantamenta. diſ. 29. n.143. & ſeq.

Diuinatores.

Diuinatorum portenta, & flagitia ad hominum cædes. diſ.1.n.2.
Falsò innituntur experientiæ. diſ.9.n.43.
Cur vaticinantes appellentur Diuini. diſ. 15.n.75.

E.

Ecſtaſis.

NVllus ecſtaſi correptus vetura prænunciare poteſt non Deo adſpirante. diſ.12.num.55.
Sanctorum ecſtaſis. ibid.
Ecſtaticis prædictionibus ex Melancholia non adhibenda fides. ib.n.56.

Elephas.

Quare diutiſsimè viuant Elephantes. diſ. 50.num.249.

Ephod.

Apud Hebræos erat Oraculum inſtitutum ad ferendas propheticas prædictiones: diſ.8.num.33.
Eius forma. ib.
Quomodo in illo Deus futura prænunciabat. ib. n.34.

Epicurus. Epicuræi.

Epicuræi deridebant Oracula Etnicorum. diſ.4.n.20.
Epicuri commentum de ſtellis igneis in æthere. diſ.22.n.117.

Equus.

Lux in Equis. diſ.42.n.216.
Equus Tiberij Cæſaris. ibid.

Erithræa.

Sibyllarum ſecunda. diſ.5. n.22.

Eſchilus.

Fortuitò ab Aquila extinctus. diſ.3.n.11.

Etnicus.

A quibus vaticinia Etnici requirebant. diſ.16.n.75.
Etnicorum afflictæ ſignificationes de tonitruis. diſ.22.n.122.
Necromantiæ ſtudebant Etnici. diſ. 28. num. 141.

Experientia.

Diuinatores falſo experientiæ innituntur. diſ.9.n.43.
Experientia Genethliacorum fallax. diſſert.18.n.94.

F.

Fatum.

Vnde dictum, & quid ſit! diſſert.6.n.25.
Fatum Parca, ſiue Sors. ibid. n.216.
Fatum in aſtris ſecundum Platonicos. ib.
Fata hominum ignota. ibid.n.27.

Fax.

Faces ardentes in Cælo viſæ nunquam innoxiæ. diſs.22. n.117.
Feliciter apparuerunt Seruio Tullio. ibid. num.118.
Item Lucio Martio, & Seuero Cæſari. ib. num.124.

Fœmina.

Fæminarum Imperfectio. diſsert. 49. num.241.
Foeminæ inſidijs pollent. ibid. n.243.
Foemineæ victimæ apud Hebræos Ægyptios, & Barbaros explodebantur. ib.

Fontes.

Fontes vatidici apud Oraculum Apollinis Antiochiæ. diſ.25.n. 131.
In Achaicis, & apud Trullos. ib.132.
Fons Ioui ſacer. Item Granopolitanus, Collis Martij, & ad Ammonis Fanum. ibid.

Fortuna.

Cur Poetæ adſcripſerint rotundum Fortunæ globum. diſ.3.n.12.
Fortunæ agnomina, & Templa.ib.n.13.

Fortuna

Fortuna rerum contingentium cauſa. ib.
*In quo differat à caſu. ib. n.*14.
*Rationi contraria. ibid. n.*15.
In fortunæ euentibus nihil certi præuidi, aut prædici poteſt. ibid.
*Fortuitum, aut eſt omnino fortuitum, aut ab aliqua cauſa præter expectationem. diſ.*32.*n.*159.

Frons.

Frons in homine Animi Ianua. diſs. 20. *num.* 104.
Genio ſacra. ibid.
Quomodo coniectandum ex fronte. ibid.
*Quænam eiuſmodi prædictionum certitudo. ibid.n.*105.

Fulmina.

*Fulminum auguria apud Romanos. diſſert.*33.*n.*165.

Futurorum præſenſio.

*Connata Animantibus. diſ.*1.*n.* 1.
Lapſu primorum Parentum infuſcata. ib.
*Ad certum interitum ſua vanitate homines rapit. ia.n.*2.
*Quæ licita, quæ damnata. ib. n.*3.
Omnium gentium conſenſu vel Natura, vel Arte quæſita. ib. n. 5.
*Non datur in rebus, in caſu, vel Fortuna poſitis. ib.n.*6.
*De futuris contingentibus nihil certi affirmari poteſt. diſ.*3.*n.*17.

G.

Gæomantia.

*Duplex diuinandi per Gæomantiam genus. diſ.*26. *n.* 134.
Quibus conſtet Gæomantia. ibid.
Prorſus futilis, & damnanda quæcumq. illa ſit. ibid.

Gagates.

*Quid, & vnde colligatur. diſſert.*23. *num.* 119.

Gallus.

*Mutationes temporum cantu præſagit. diſſert.*42.*n.*214.

Gallus Gallinaceus.

Diuinationes per ipſum pertractatæ. diſ. 29.*n.*147.

Generatio.

*A corruptione initium ſumit in naturalibus. diſ.*49.*n.*243.

Genethliaci.

*Separandi ab Aſtronomis. diſ.*16.*n.*75.
Eorum prædictiones incertiſsimæ. diſ. 17. *num.*82
Veſana illorum audacia. ibid.
Quas prædictiones ferre poſsint. ibid. numero 83.
*Inſulſum, & criminale eſt Genethliacis prædictionibus fidem adhibere. ibid num.*84.

Mala

Mala, quæ ab huiuſmodi prædictionibus in homines deriuantur. ib. n. 89.
Eiuſmodi prædictionibus fides omnino abroganda. ib.
Genethliaci Veteres ignorarunt, quæ nunc nota. ib. n. 94.
Falſum abſolutè eſt poſſe Genethliacos prævidere, ac prædicere euentus hominum. ibid.

S. Gregorius Nazianzenus.

Phyſiognamica eius prædictio de Iuliano Apoſtata. diſ. 19. n. 97.

Gyges Lydorum Rex.

De illius Annulo fabula. diſ. 28. n. 144.

Gymnoſophiſtæ.

Prædictiones Phyſiognomicas commendarunt. diſ. 19. n. 97.

H.

Hebræi.

Viginti duabus literis omnia, quæ ſub cognitionem cadere poſſunt, exprimunt. diſ. 17. n. 85.

Halo.

Corona ſcilicet, quæ circa Lunam exiſtit, obſeruanda in prædictionibus ex ſignis Temporum. diſ. 41. n. 209.

Haruſpicina. *Vide* Aruſpicina.

Ab Annibale, & Cæſare ſpreta. diſs. 9. num. 42.

Hector.

Eius dictum memorabile de Auguſto. diſſert. 33. n. 168.

Helenus.

Priami filius Vaticinatur, & Augur. diſſert. 25. n. 74.

Helitropium.

Helitropium lapidem in aquas proiectum ſolem obſcurare falſum. diſ. 44. n. 219.

Helleſpontica.

Sibyllarum ſexta ignoto proprio nomine. diſ. 5. n. 22.

Heraclides.

Homines ab Orbe Lunæ decidiſſe opinabantur. diſ. 38. n. 197.

Herbæ.

Prædictiones tempeſtatum ex Herbis. diſſert. 43. n. 218.

Heros.
Heroum infauſta exempla. diſ. 3. n. 16.

Hidaſpes.

Filij Dei apud Gentiles aſſertor. d. 5. n. 23

Hiſtoria. Hiſtorici.

Hiſtoricæ prædictiones aſſertæ. diſſert. 36. num. 182.

Hiſtorica temporum, & Regnorum computatio. ib. & ſeq.
*Quo fundamento nitantur prædictiones Hiſtoricæ. ib. n.*187.

Homerus.

*Mulctatus ab Atheníenſibus, tanquam in vaticinijs inſaniens. diſ.*15.*n.*74.

Homo.

*Dum per incerta felicitatem inquirit certiſſimam experitur miſeriam. diſ.*1.*n.*2
Homini ſatis eſt noſſe quæ agit. diſs. 6. *num.*29.
*Homines ſtatura parui excellenti Ingenio præditi. diſ.*47.*n.*233.
*Homines proceri tardi in agendo. ibid. num.*234.
*Homines mediæ ſtaturæ optimi. ib. n.*235.

Hydromantia.

*Hydromanticarum prædictionum inanitas. diſ.*25.*n.*130.
Diuinationum genera apud Hydromantas. ibid.
*Gentes Hydromantiæ addictæ. ib. n.*133.

I.

Iamblichus.

Elus diuinatio, & mors. differt. 29. *num.*147.

Idolum.

*Idolum Hammonis quali figura coleretur. diſ.*4.*n.*20.

Incantatio. Incantatores.

*Incantatores vt Præſtigiatores damnati. diſ.*29.*n.*146.
Incantationum vis, fallacia, ac modi. ibid. & n. 147. *& ſeq.*
*Incantationum varia nomina, & vſus; damnatæ artis deliramenta. ib. n.*149.

Imperium.

*Imperia non amplitudine, ſed firmitat æſtimanda. diſ.*37.*n.*192.
Imperij Romani, ac externorum Regnorum mutationes, & computationes per tempora. diſ. 36. *per totum.*

Incendium.

*Incendia extra Naturæ ordinem ſæpius viſa, & quid portenderint. d.*23.*n.* 122.

Indoles.

*Prædictiones ex ſignis Indolis. diſs.*52. *per totum.*

Iouianus Imperator.

*Ab Ano ob proceritatem corporis cenſura notatus. diſ.*47.*n.*234.

Iulianus Cæſar.

*S. Gregorij Nazianzeni de ipſo præſagium diſ.*19.*n.*97.
*Magiæ deditus. diſ.*28.*n.*144.
*Eius deteſtanda impietas in diuinando. diſ.*40.*n.* 204.

Iouis

Iuppiter.

Iouis Ammonis Oracula antiquiſsima. diſſert.4.n.19.
Fons Ioui ſacer vatidicus in Epiro. diſſert.25.n.132.

K.

Kabala.

QVid ſit, & vnde nomen traxerit. diſ.5.n.22.
Kabaliſtarum damnatæ diuinationes. diſſert.29. n.148.
Kabala quænam ſcientia ſit, & vnde originem traxerit. diſ.30. n.150.
Duplex, ſcripta ſcilicet & ſpiritualis. ibid.
Libri Kabaliſtici. ib.
Kabalæ nomine ſcientiæ abſconditæ apud Hebræos deſignantur. ib. n.151.
Kabaliſticarum prædictionum Iactatores veræ Kabalæ corruptores. ib.
Ex Kabaliſtis Hæretici pluries profecti. ib.n.152.
Nihil valent Kabaliſtæ de futuris diuinare. ib.153.
Kabula numerica, eiuſque vanitas. ibid. n.154.

L.

Lapides.

PRædictiones ex ſignis lapidorum, quæ aſſertæ, quæ damnatæ. d.44. n.219
Virtutes lapidum. ib.
Lapides nihil efficere poſſunt in actus humanarum facultatum. ib.n.220.
Minus in Deum, & Dæmones. ib.
Mirabilia efficiunt in Natura ib. n.227.
Lapidum ſympathia. ib.n.222.

Libertas.

Humana libertas Diuinæ præſcientiæ infallibilitati non obſtat. diſ.7.n.32.
Appetitus violentiam repellere poteſt. diſſert.14.n.69.
Humanæ libertati nihil aſtra derogare poſſunt. diſ.23 n.123.

Linea.

Linearum in fronte abuſus à Phyſiognomiſtis, quantumque fallax, & damnabilis huiuſcemodi obſeruatio, ac diuinatio. diſ.20. n.102. & ſeq.
Linearum in manibus diſtributio à Chiromantis. diſ.21. n.108. & ſeq.

Liuia.

Liuiæ prægnantis deliramenta. diſs.40. num.206.

Luna.

Lunæ ſeptimus numerus quare aſſignatus. diſ.32. n.160.
Ex Luna prædictiones aſſertæ. diſſert.41. num.209.
Quartæ Lunæ obſeruatio. ib.

Lybica.

Sibyllarum ſeptima ignoto nomine. diſ.5. num. 22.

Lychaones.

Qui Animalium formas, & præcipuè Luporum induere credebant; Lychaones appellabantur ab Antiquis. d.22. n.57.
Lychaonum commutatio in Liuonis fabuloſa, vel lutus diaboli. ib.

M.

Magia. Magi.

M Agorum ars apud Perſas. diſ.28. num. 140.
Magicæ artis prædictiones damnatæ. ib.
Nulla fides adhibẽda prædictionibus Magicis. ib. 144.
At ex naturali Magia laudabiliter eliciuntur. ib.n.145.

Manes.

Manium euocationes, aut ficta, aut à dæmonibus inuectæ. diſ.128.n.144.

M. Marcellus.

Eius dictum de Augurijs. diſ.9.n.42.

M. Tullius Cicero.

Qua ratione Diuinationes probauerit. diſſert.1.n.6.
Ipſius error de fato, & futurorum prænotione. diſ.7.n.31.

Mare.

Prognoſtica in mari. diſ.1.n.6.

Mas.

Mas perfectior Foemina. diſ.49.n.241 & ſeq.
Vita longior, quam Foemina. d.57.n.248
Maſculæi victimæ in ſacrificio apud Hebræos, Ægyptios, & Barbaros. diſ.49. n.241.

Medicus. Medicina.

Signa diuinandi apud Medicos. diſ. 38. n.193.
Quæ certa, aut quæ probabilia. ib. & num. 194. & ſeq.
Prædictiones ex pulſuum motibus fallaciſſimæ. ibid. n.196.
Itemque ex Coelorum aſpectu, aſtrorum, et planetarum influxu deſumptæ. ib.197
At ex corporis habitu laudabiles. ib.198.

Melancholia.

Melancholici habent in animo aliquid præſagium, ac diuinum. diſ.71.n.53.
Melancholiæ figmenta in Ecſtaticis. diſſert.12.n.56.
Ex Melancholia prædictiones quæ? diſſert.51.n.249.

Meliſſa.

Periandri Vxor, eiuſque reſponſum Marito poſt mortem. diſ.29.n.148.

Mens Humana.

Ad ventura ſemper anhelat. diſ.1.n.1.

Mercurius.

Quare appellatus bifrons. diſ.20.n.104.

Meridies.

Meridianæ Regionis Incolarum natura, mores. diſ.41.n.227.

Meteorologia.

Quæ meteora præſagiendi vim obtineant, nec ne. diſ.22.n.112.
Meteorum ſigna futura ſignificantia. diſſert.16.n.113.
Quomodo in Meteoris diuinandum. ibid. n.117.
Mirabilis in meteoris apparitio Oenipomti, et in Saxonia. diſ.24.n.128.
Apparitiones fabuloſæ. ib.n.129.

Phy-

Motopoſcopia.
Phyſiognomiæ pars. diſ.20.n.101.
Omnium diuinandi artium incertiſſima. ibid.

Monſtra.

Monſtrorum generatio. diſ.27.n.137.
Nulla ſuper his adhibenda fides Teratoſcopis. ibid.

Montanus Hæreticus.

Eius error in Prophetis. diſ.8.n.34.

Moyſes.
Duplicem à Deo legem recepit, ſcriptam, & ſpiritualem. diſ.30.n.150.
Kabaliſtarum de Moyſe error. ib.n.153.

Mulier.
Mulieribus futura prædicentibus ex viſu fides difficulter adhibenda, nam facilè dæmon illis illudit. diſ.8.n.36.

Mundus.
Mundi Cataclyſmus ab Stoicis prædictus. diſ.39.n.199. & ſeq.
Mundi finis non poteſt prædici ex naturali aſtrorum incendio, aut alijs coelorum motibus. ib.n.202.
De mundi fine hiſtorica narratio lepidiſſima. ibid.

N.

Næuus.

N*AEuuorum prædictiones exploſæ. diſ.20.n.103.*

Nani, & Pygmei.
Vt plurimum ſtolidi. diſ.47.n.233.
Naturæ monſtra. ibid.

Natura.
Signa, & nota condita in Natura ex ſapientum conſenſu. diſ.1.n.6.
Ordo in Natura eſt vt inferiora per ſuperiora regantur. diſ.9.n.40.
Natura paucioribus, Ars pluribus indiget. diſ.13.n.65.
A natura labente omne crimen corruat. diſ.14.n.71.

Necromantia.
Necromantiæ pars cum ipſa damnata. diſ.29.n.148.

Necromantia.
Magiæ pars, & damnata. diſ.28.n.141.
Necromantium Incantationes damnatæ, et falſæ. diſ.29.n.148.
Prædictiones Necromanticæ eiuratæ. diſſert.40.n.204.

Nitocres.
Quatenus violationem ſepulchri præſumpſerit. diſ.3.n.13.

Noctua.
Ex Noctuis temporum prædictiones deſumptæ. diſ.42.n.213.

Nubes.
Prædictiones ex nubibus. diſ.47.n.212.

Numa Pompilius.

Hydromantiæ addictus. diſ.25.n.133.

Numerius Suffius.

Praeneſtinarum Sortium author. diſ.32.n.158.

Nume-

Numeri.

Numerorum aſſignatio Stellis, & Planetis ſecundum Pythagoreos. differ. 32. num. 160.

Nutrices.

Prædictiones ex Nutricum ſignis deprompta. diſ. 52. n. 251.

O.

Occidens.

OCcidentalium gentium natura, & mores. diſ. 45. n. 227.

Oraculum.

Oraculum Delphicum quale Iouibus datum. diſ. 1. n. 2.
Oraculum Dodonæum. diſ. 4. n. 19.
Duplex. ib. n. 20.
Oraculum Pythium, eiuſque fabula. diſfert. 4. n. 20.
Oraculum Trophonium, & Sabæum. diſfert. 4. n. 20.
Oracula Dæmoniorum ænigmatibus quare inuoluta. diſ. 1. n. 4.
Oracula Diuina quomodo differant à falſis Oraculis Etnicorum. diſ. 4. n. 18.
Oracula Idolorum, & Vatum Etnicorum fas, & nefas pro libito ſuadebant. ib.
Oraculorum authores non Dij, ſed Dæmones, & homines callidiſſimi. d. 4. n. 21
Oracula Sibyllarum maximæ authoritatis apud Veteres. diſ. 5. n. 23.
Accurato examine expendenda ne fabulis deludamur. ib. n. 24.
Oracula varia Dæmonum ex coniectura. diſ. 20. n. 47.
Oraculum Græcum de Genijs. d. 11. n. 50
Oracula Ecſtaticorum in Animalium forma fabuloſa. diſ. 2. n. 57.
Oracula Aſtrologorum falſa. diſ. 17. n. 88.
Oraculum Herculis ex Talis. d. 32. n. 158
Oracula ſomniorum à quibus captarentur locis. diſ. 34. n. 173.

Oriens.

Orientalium gentium natura, & mores. diſ. 45. n. 227.

Orphæus.

Eius vaticinium de mundi fine. diſſ. 15. n. 74.

Oſtenta.

Quid oſtenta? diſ. 27. n. 135.
Nulla fides adhibenda Teratoſcopis in oſtentorum prædicationibus. ib. n. 138.

P.

Parca.

IDem eſt ac Fatum. Et quomodo diſtinguatur ab Heſiodo in Atropon, Cloton, et Lacheſim. diſ. 6. n. 26.
Quomodo regat omnia. ibid.

S. Paulus.

Quid de Ecſtaſi ſenſerit, vt erroribus hominum obuiam iret. diſ. 22. n. 58.

Pecunia.

Omnium rerum Anima. diſ. 50. n. 246.

Regem

Perſæ.
Regem ex Phyſiognomicis prædictionibus creabant. diſ.19.n.97.

Phaeton.
Phaetontis fabula vero proxima. diſ.23. num.120.

Pherecides.
Quomodo Terræmotus prædixerit. diſ.2. num.11.

Philoſophia. Philoſophus.
Philoſophorum prædictiones legi Dei non aduerſantur. diſ.13.n.59.
Superſtitione carent. ib.n.61.
Phyſicus Vates, non ſolum Artis, ſed & & Naturæ præſidio ornandus.ib. n.65

Phreneſis.
Vnde oriatur. diſ.19. n.99.

Phrygia.
Sibyllarum nona ignoto nomine.d.5.n.22.

Phyſiognomia.
Signa Phyſiognomica non ſunt cauſæ, ſed effectus. diſ.13.n.61.
Perfectio Phyſiognomicæ diuinationis quænam ſit. diſ.19.n.95.
Celebriores Phyſiognomiſtæ. ib. n.96.
Ad inueſtigandos animorum motus diuinitus data. ib.n.98.
Quomodo ſe ferre debeat Phyſiognomus in diuinando ib. n.100.

Phyto.
Sibyllarum quarta alias Eriphile. diſ.5. num.22.

Planetæ.
Planetarum diſtributio ſecundum Chiromantas. diſ.20.n.108.
Ex Planetarum complexionibus gignuntur admiranda. diſ.23.n.123.

Plantæ.
Plantarum, & arborum diuinandi notæ. diſ.2.n.11.
Prædictiones ex Plantarum ſignis aſſertæ. diſ.43.n.217.

Plato.
Quomodo Fatum in Aſtris collocauerit. diſ.6.n.26.
Eius error de Deo. ib. n.28.
Aſtronomiam non Aſtrologiam recipit. diſ.16.n.77.

Plutarchus.
Oracula à Dæmonibus ſubducta ad Naturam retulit. diſ.4.n.21.
Confutatur eius diſputatio de Oraculorum origine, duratione, & defectu. ib.

Poeſis, Poeta.
Mala ex antiquis Poetis errata. diſs.15. num. 73.
Ex Poeſi diuinationes exploſæ. ib.
Poetarum temeritas, & vanitas ib.n.74.
Illorum vaticinia vt fabuloſa explodenda. ib.
Poeſis vtilitas. ib. n.75.
Quomodo Poetarum vaticinia ad mores accomodanda. ib.

Portenta, Prodigia, Monſtra.
Quid ſint? diſ.27. n.135.
An illis adhibenda fides. ib. n.136.
Ad quid illis vtatur Deus. ib.
Prodigiorum vanitas. ib.n.139.

INDEX RERVM

Politica.

Politicæ prædictiones Aſtrologicæ improbatæ. diſ. 37. n. 189.
Quænam aſſertæ. ib. n. 190.

Prædictio.

Prædictiones vulgares quæ ſint. diſs. 2. *num.* 8.
Quibus adhibenda fides. ib. & n. 9.
Prædictiones ab animantibus ex naturalibus rebus. diſ. 2. n. 10.
Ex Aſtris, & Naturæ, & Experientiæ arcanis. ib. n. 11.
Quomodo in fortuitis euentibus ferri poſſint. diſ. 3. *n.* 17.
Prædictiones Oraculorum fabuloſæ plerũque & commentitiæ. diſ. 4. *n.* 21.
Prædictiones fatidicæ exploſæ. d. 6. *n.* 25.
Prædictiones ex Deo aſſertæ. diſ. 7. *n.* 30.
Prædictionibus diuinis cur fides adhibenda ſit. diſ. 7. *n.* 32.
In prædictionibus vita, & mores prædicentis ſunt inſpectandi. diſ. 8. *n.* 37.
Prædictiones Angelicæ non facilè admittendæ. diſ. 9. *n.* 40.
Prædictiones ex Genijs fabuloſæ explodendae. diſ. 11. *n.* 53.
Inquantum à Deo, vt Genio noſtro recipiendae. ib. n. 54.
Praedictiones Ecſtaticorum erroribus ſubiectae. diſ. 22. *n.* 58.
Praedictiones Phyſicae ſuperſtitione carẽt. diſ. 13. *n.* 61.
Infirmari poſſunt à Deo. ib. n. 63.
Quae certiſſimae. ib. n. 66.
Praedictiones Theologicae haud certae. diſ. 14. *n.* 72.
Praedictiones Poeticae omnino falſae. diſ. 15. *n.* 74.
Praedictiones Aſtronomicae aſſertae. diſ. 16. *n.* 75. Vide Aſtronomia.
Praedictiones Aſtrologicae exploſae. d. 17. *n.* 79. *& n.* 81.
Item Genethliacorum. ib. n. 82.
Aſtrologicarum praedictionum impoſsibilitas. diſ. 17. *n.* 85.
Praedictiones Phyſiognomicae aſſertae. diſ. 19. *n.* 95.
Praedictiones ex Metopoſcopia fallaces, & incertae. diſ. 20. *n.* 101. *& ſeq.*
Praedictiones Chiromanticae ex Aſtrologia deſumptae damnatae. diſſert. 21. n. 107.
Praedictionum Meteorologicarum quaenam futiles, & quaenam certae. d. 22. n. 122. *& ſeq.*
Praedictiones ex Cometis. ib. n. 117.
Praedictiones Pyromanticae exploſae. diſ. 23. *n.* 121.
Item ex Pyroſcopia. ib. n. 124.
Pariterq. ex Aeromantia. d. 24. *n.* 127.
Praedictionum Hydromanticarum inanitas. diſ. 25. *n.* 130.
Praedictiones ex Gaeomantia inſipientia laborant. diſ. 26. *n.* 134.
Ex Teratoſcopia incertiſsimae. diſs. 27. *num.* 136.
Ex Magia damnatae. diſ. 28. *num.* 140. *& ſeq.*
At ex naturali Magia laudabiles. ib. num. 145.
Ab Incantatoribus, Cinganis, alijſque praeſtigiatoribus profectae item damnatae. diſ. 29. *n.* 143. *& ſeq.*
Sicut & à Cabaliſtis. diſ. 30. *n.* 151.
Itemque à Cinganis. diſ. 31. *n.* 156. *Vt inanes, & vanae.*
Item à Sortibus, & Sortilegijs. d. 32. *n.* 159.
Sicut ab Augurijs. diſ. 33. *n.* 267.
Et à ſomnijs. diſ. 34. *n.* 171.

Et à

Et à ſacrificijs. diſ. 35. per totum.
Prædictiones Hiſtoricæ aſſertæ, & quæ fides illis adhibenda. diſ.36.n.187.
Prædictiones Politicæ Aſtrologicæ improbatæ. diſ. 37. n. 189. Et quænam aſſertæ. ib. n.190.
Prædictiones Medicæ quæ certæ, quæ veriſimiles, quæ falſæ. diſ.38. per totum.
Item prædictiones ex Stoicis. diſſert. 39. per totum.
Prædictiones Coniectorum, qualicumque vocitentur nomine damnatæ. diſſ.40. per totum.
Prædictiones ex ſignis temporum aſſertæ. diſſ. 41. n.208.
Et ex ſignis animalium. diſſert. 42. n.213. & ſeq.
Et Plantarum. diſ. 43. per totum.
Et lapidum partim aſſertæ, partim dãnatæ. diſ.44.n.219.
E natura Cœli probatæ. diſ.45. n.225.
Et ex ſignis temperamenti. diſſert.46. n.229. & ſeq.
Quæ autem ex illis damnandæ. ibid. num.232.
Item ex corporis conſtitutione. diſ. 47. per totum.
Ex ætatis diſcrimine: diſ 48. n.266. & ſeq.
Ex ſexus diſparitate. d.49 per totum.
Ex ſtatus conditione. diſ. 50. n.244. & ſeq.
Ex ſignis vitæ. diſ. 51. n.248.
Ex ſignis indolis. diſſer. 52. n.250. & ſeq.
Ex animi affectionibus. diſ. 53 n.253 & ſeq.
Ex corporis, & animæ coniecturis. d.54. n.257. & ſeq.

Præſciendi.

Dei proprium attributum. diſ. 3. n. 30.
Etiam Etnicorum confeſſione. d.16.n.75

Prognoſtica.

Halorum, & Cometarum prognoſtica. diſſert. 13. n.61.
Prognoſtica Genethliaca explodenda. diſſ. 17. n.84.

Propheta, Prophetia.

Prophetarum vaticinijs fides adhibenda. diſ.1.n.4. & diſ.4.n.18.
Diuinationes ex Prophetis aſſertæ. diſ.8. num.33.
Quomodo in ipſis loquebatur Deus. ibid. num.34.
In quibus emicet Prophetia. diſ.8.n.37.

Pub. Claudius Pulcher.

Eius dictum de Augurio. diſ. 9. n.42.

Pyromantia.

Vndenam materiam ſumat diuinandi. diſ.23.n.119.
Pyromanticæ prædictiones incertæ, & futiles. ib. n.121.

Pyroſcopia.

Quid? & vnde ſumatur? d.23.n.124.
Eius vanitas, & incertitudo. ib.

Pyrrhus Rex Epirotarum.

Homines proceros in milites eligi volebat. diſ.47.n.234.

Pythagoras. Pythagoræis.

Phyſiognomicas prædictiones Pythagoras commendauit. diſ. 19. n. 97.

Pythagoricæ diuinationes ex numeris exploſæ. diſ.32.n.160.
Pythagorici ex ſignis Indolis coniectabant diſ.52.n.252.

Pythia.

Sacerdos Oraculi Pythÿ. diſ.4.n.20.

Q.

Quercus.

QVercus Vocales in Epiro ad Vrbem moloſſis. diſ.4.n.20.

Quintus Fuluius Conſul.

A Catone damnatus quod vaticinÿs Ennÿ fidem adhiberet. diſ.15.n.74.

R.

Rabanus Monachus.

KAbalæ luſibus addictus. diſ.30. num.152.

Ranæ.

Pluuias, & tempeſtates præſagiunt. diſs. 42.n.214.

Religio.

Si Religio concidit, & Regna concidere neceſſum eſt. diſ.37.n.190.

Roſa.

Si ſecundo in Autumno floret peſtilitatem prænuntiat. diſs. 2.n.11.

S.

Sabathum.

SAturni dies.
Quare tempeſtates, quæ in illo accidunt rarò durant. diſ.41.n.210.

Sambethes.

Sibyllarum prima à quibus procreata, & quo tempore floruerit. diſs. 5.n. 22.
Alias Sibyllarum octaua, quæ & Perſica, & Hebræa nominatur. ib.

Sapor Rex Perſarum.

Eius deteſtanda impietas in diuinando. diſ.4.n.204.

Scyomantia.

Necromantiæ pars, pariter cum illa damnata. diſ.29.n.118.

Scythæ.

Quare irriſi ab Hippocrate. diſſert 45. num.227.

Senectus.

Quid ex hominis ſenectute coniectari poſſit. diſs.48.n.239.

Sacrificia.

Sacrificia Etnicorum ridenda. diſs. 35. num. 175.
Sacrificia diuinatoria apud Ægyptios, Græcos, Romanos, &c. & plurima, & omnia falſa. ib. & n.ſeq.

Sacri-

Sacrificandi modi. ib.
Item diuinandi ſpecies. ib.n.179.
Diuinatio in Epate damnata. ib.n.180.
Item diuinationes ab igne deſumptæ. ib. n.181.

Septemtriones.

Septemtrionalium gentium natura, & mores. diſ.45.n.225.

Seruius Tullius.

Felix eius præſagium è Coeli facibus. diſſert.22.

Seuerus Imperator.

Imperij præſagium accepit ab Equo ignes eijciente. diſ.27.n.124.

Sexus.

Quid ex ſexus diſparitate coniectari liceat ac prædicere. diſ.49.n.240. & ſeq.

Sibyllæ.

Vnde nomen acceperint. diſ.5.n.22.
Quot fuerint, vnde ortæ, quomodo compellatæ. ib.
Quare et quomodo in illis locutus eſt Deus ib.n.23.
Sibyllarum libri Chriſtianis ab Etnicis interdicti. ib.
Quantum Eccleſia Sibyllis tribuerit. ib.
Quæ Sibyllarum Vatidicæ. ib.n.24.

Socrates.

Diuinationem ex Aſtris probauit. diſ.1. num.6.

Eiuſdem Genius expenſus. diſ.11.n.52.
Geomantes fatus appellabat. d.26.n.134

Sol.

Solis virtus, curſus, & operatio. diſ.16. num.77.
Solis apogæum in quo gradu exiſtat. diſs. 17.n.85.
Centrum Solis quantum diſtet à centro Terræ. ib.
Vnitas, & Quaternitas Soli aſſignatæ. diſ.32.n.160.
Ex Sole prædictiones. diſ.41.n.208.
Dies Dominicus Soli aſcriptus. ib.n.210.

Somnia.

Diuinationes per ſomnia apud Romanos. diſ.1.n.5.
Somniorum genera apud Poetas. diſ.34. num.169.
Somniorum numerus; Pyſica, Præſagica, Diuina, & Diabolica. ib.
Diuinitus immiſſa ſomnia aſſerta, cætera qualiacumque exploſa. ib.n.170.
Somniorum obſeruatio damnata. ib.
Somnijs Dæmon illudit hominibus. ibid. & n.171.
Somniorum euentus in magnis Viris. ibid.
Nulla ſomnij fides adhibenda. ib.
Accademicorum, & Arabum opiniones de ſomnijs improbatæ. ib.

Sors. Sortilegium.

Sortes Homericæ, & Virgilianæ quæ? diſ. 15.n.73.
Sortes Lyciæ, Deliæ, Præneſtinæ, & Antiatinæ. diſ.22.n.157.
Sortilegi a nihil habent certi. ib.

Sortium varia genera. ib.n.158.
Sortis Diuinationes vel Deo, vel Dæmoni adſcribenda. ib. n.159.
Sortes Diuinæ, & Politicæ. ib. n.161.
Sortes Athenienſes, Romanæ, ac Venetæ. ibid.

Stellæ. Sydera.

Centum annis vnum gradum efficiunt, diſ.17.n.85.
Stellæ Polaris diſtantia à Polo apud antiquos, & recentiores. ib.
Syderum actio generalis eſt, ideo nullus effectus particularis ex ipſis producitur. diſ. 8.n.92.
Stellis, & Planetis Pythagorici numeris, vimque diuinandi attribuerunt. diſ. 32.n.160.

Sternutatio.

Prædictiones ex Sternutatione, quæ laudabiles, & quæ damnatæ. diſ.54.n.161. & ſeq.
Sternutamentum præſagium mortis. ib. num.162.
In Puerperis, & moribundis bonū omen. ibid.

Stoici.

Diuinationem ex aſtris non reiecerunt. diſ.1. n.6.
Stoicorum delira neceſsitas, qua Deo imperium naturæ eripiunt. diſ.17.n.79.
Stoicorum deliramenta de Somnijs. diſſ. 34.n.169.
Stoicorum prædictio de Mundi fine. diſs. 39.n.199.
Stoicorum opinio de pabulo ſtellarum deridendi. ib.n.200.
Stoicorum prædictiones fide carentes. ib. 201.

Superſtitio.

Superſtitionis damna: diſ.1.n.2.

Sybaritæ.

Sybaritis prædictio ex coniectura Dæmonum. diſ.10.n.47.

Sympathia.

Quid ſit. diſ.44.n.222.

T.

Tartari.

Diuinandi ſtudio addicti, Cinganorumq. crediti panes. d.31.n.155.

Temperamentum.

Prædictiones ex ſignis Temperamenti aſſertæ. diſ.46.n.229. & ſeq. Quæ autem damnatæ. ib. n.232.

Temperantia.

Maſſiniſſæ, & Mythridatis Regum temperantia, & longa vita. diſ.53.n.256

Tempeſtas.

Tempeſtatum prognoſtica. diſ.1. num.6, & diſ.2.n.11.

Tempus.

Ex ſignis temporum prædictiones aſſertæ. diſ.41.n.208.

Vnde

Teratoſcopia.

Vnde nomen acceperit,& quid ſit. d.27. num.135.
Vnde prædictiones eliciant Teratoſcopi. ib.
Illarum incertitudo. ib. n.136.

Ternarius Numerus.

Quarè Ioui aſſignatus. diſ.32.n.160.

Tertullianus.

A mulierculærum viſionibus in errorem tractus. diſ.8. n.36.

Teſperius Cilex.

Cum Luna interijſſe, ac reuixiſſe ſe teſtabatur. diſ.38.n.197.

Thebani.

Thebani Tireſiæ Vaticinijs quotannis victimas mactabant humanas. d.1.n.2.

Theologus.

Quorumdam Theologorum error de præſcientia Dei. diſ.7.n.31.
Theologorum diuinationes aſſertæ. diſ.67.
Quibus nitantur ſignis in diuinando. ib. n.69.& ſeq.

Theon.

Ex ſignis plantarum ſuas de ventis prædictiones accepit. diſ.43.n.217.

Therſites.

Quare fatuus prædicetur ab Homero. diſ. 19.n.100.

Tiberius Cæſar.

Religionem in ſternutamentis fouebat. diſ.54 n.263.

Timarcus.

Quid de Genijs acceperit in Trophonij antro. diſ.11.n.52.

Titus Imperator.

Eius pietas in reficiendis Veſuuij incendijs. diſ.23.n.122.

Trifolium.

Prædictiones ex Trifolio tempeſtatum,& plantarum. diſ.43. n.218.

Turcoida.

Turcoidis mutatio, morbum, vel mortem prænuncians expenſa. diſ.44.n.227.

V.

Valeria Proba.

CEntones de Chriſto ex Virgilio collegit. diſ. 30.n.152.

Vates.

Vates Etnicorum quomodo arrepti à diabolo vaticinabantur. diſ.4.n.21.
Quis Vates optimus. diſ.9.n.41.
Vates Phyſici non ſolum Naturæ, ſed & Artis præſidio ornandi ſunt. diſ.13. num.65.

Quo-

Veſuuius Mons.

Quoties incendio eruperit; atq. eorumdem incendiorum præſagia. diſ. 23. n. 122.

Virgilius Maro.

OraculorumSibyllinorum notitiam habuit, illiſque vſus eſt. diſ. 5. n. 22.

Virilitas.

Quid ex hominis Virilitate coniectari liceat. di. 48. n. 237.

Virtus.

Virtuti, non Fortunæ adſcribenda præſcientia, & præuiſio in fortuitis euentibus. diſ. 3. n. 16.

Viſio. Viſus.

Quid differat à Prophetia. diſ. 8. n. 34.
Varijs contingunt modis. ib.n. 35.
Viſionum prædictionibus difficulter fides adhibenda. ib.
Exemplis probatur. ib.
Quare antiquitus frequentiores. ib.n. 36.

Vita.

Prædictiones ex ſignis vitæ afferta. diſ. 51 *num.* 248.

Volucres.

Volucrum volatus nec dextra, nec ſiniſtra hominibus portendit. diſ. 1. n. 1.

Voluntas.

Humanæ voluntatis libertas. diſ. 14. n. 68
Voluntas non appetit incognitum. ibid.
Præſidio diſciplinæ roboranda ne rapiatur ad detorta. ib. n. 72.

Vox. Sermo.

Vox grauis in homine generoſæ naturæ nota. diſ. 54. n. 259.
Vox tremula molliciem ſignificat. ib.
Sermo eſt animi Idolum. ib.

Vultus.

Ex vultu hominis prædictiones deſumptæ. diſ. 54. n. 258.
Vultus animi ſimulacrum. ib.
Animæ ſpeculum. ib. n. 259.

X.

Xenophanes.

Omnem diuinationem ſuſtulit. diſ. 1. *num.* 6.

Xenophon.

Ex milite ſternutante omen accepit. diſ. 14 *num.* 263.

Z.

Zeno.

Stoicorum Princeps eiuſque ad Adoleſcentem admonitio.

F I N I S.

ANIMADVERSIONES
PHILOSOPHICÆ
IN TRACTATVM DE FIDE
Diuinationibus Adhibenda.

Digitized by Google

ANIMADVERSIO I.
PHILOSOPHICA.
In Exiſtentiam Diuinationis.

1 NONNVLLI Philoſophorum, præſertim veterum cum Epicuro conati ſunt diuinationem omnem funditùs abolere, ea præſertim ratione, quod capere non poſſent, oppoſitarum de futuro contingenti enunciarionum alteram definitè veram eſſe, alteram definitè falſam, & hominem nihilominùs remanere liberum, quaſi eligere vtrumlibet poſſit; cum tamen niſi vnum definitè fieri nõ valeat; & ideò coherenter negarunt diuinationem vllam, prædictionemue vllam certam eſſe circa futura contingentia; quatenus ſi id, quod prędiceretur, eſſet omnino verum, atque indubium, nulla ratione poſſet non fieri; neque adeò oppoſitum poſſet vllatenus euenire; vnde & ad vnum foret neceſſitas, & ad vtrumuis libertas tolleretur; Quorum tamen doctrina ex Theologicis principijs, & etiam ex Philoſophicis eo facile reijci poteſt, quod ſtante etiam diuina præſcientia omnino infallibili, & ſtante quacunque alia de futuris contingentibus diuinatione, ac certa præcognirione, intemerata tamen maneat libertas noſtra, nullaque inducatur in nos agendi neceſſitas, cũ futura ipſa contingentia prænoſcantur, non ſolum ſecundum ſubſtantiam ipſorum, ſed etiam ſecundum modum; idque eſt ſatis ad firmandam in agentibus libertatem, quod fortaſſis non percepere Philoſophi Veteres; quemadmodum nec multi recentiorum percipiunt, vt videre eſt in Philoſophia Scholaſtica, vbi agitur de concurſu primæ cauſæ cum ſecundis, & in Theologia, vbi de præſcientia Dei, ac de præfinitionibus rerum ab æterno.

2 Eſſe igitur Diuinationem ſatis demonſtrare videtur, non ſolum conſtans de illius exiſtentia apud omnes gentes, & per omnes ætates opinio, ſed etiam plura de euentibus prænunciatis habita experimenta, quibus fidem inhibere, omnino probroſum eſ-

ſet; conſtat enim inter nos de multis prædictionibus Diuinis, Angelicis, & Propheticis; conſtat etiam inter priſcos de oraculis ſybillarum, & aliorum vatum; & ſi fides aliqua eſſet adhibenda Poetis, habemus apud Homerum, & Hæſiodum Chalcantem vatem egregium; apud alios, Mopſum, Tireſiam, Amphiaraum; innumeros denique apud Chaldæos, Ægyptios, & Indos; denique non paucos apud Græcos, & Latinos, quos omnes habemus diuinatione vſos eſſe, ita vt nihil in vita ſiuè in priuatis, ſiue in publicis rebus agerent ſine diuinatione; & ſi grauium virorum authoritas in hac re aliquid ponderis habet, Pythagoras, Plato, Socrates, Ariſtoteles, Democritus, Chryſippus, Diogenes, Cratippus, Porphyrius, Plinius, & alij quamplurimi diuinationem aſſeruere, eam exiſtere probantes vel ex exiſtẽtia Deorum, quorum munus ſit, non ſolum omnia occulta, atque futura præſcire, ſed ea quoque hominibus reuelare; vel ex animi immortalitate, eiuſque diuina origine, cui debita ſit diuinatio, præſertim cum à corpore abſtrahitur; vel denique ex fato, quibus omnia fieri putabant, quod, cum ſit ſeries, & ordo cauſarum infallibilis, ab æterno, & in æternum ductus continua concatenatione, & ſæpius iterata reuolutione, illud conſequenter importat, vt ex præteritis ſæculis, & experimentis in illis factis, & ex ſimilibus ſignis tempore decurrentibus, & apparentibus ſimiles quoque diuinentur euentus.

3 Ratio verò potiſſima diuinationis adſtruendæ in natura ea eſt, quod multorum effectuum, quæ nondum ſunt, multæ ſunt cauſæ, & multa ſunt ſigna, quibus perfectè cognitis, poſſunt etiam eorum effectus cognoſci, præſertim futuri, & contingentes; volunt enim aliqui Philoſophi de effectibus futuris neceſsarijs nõ eſse propriè diuinationem, ſed potiùs certam ſcientiam, quod præſertim docet Tullius lib. 11. de diuinat. definiens diuinationem rerum ſolummodo fortuitarum prædictionem; quæ tamen doctrina ad ſummum eſt intelligenda de rebus neceſſarijs ſimpliciter & abſolutè; non verò de neceſſarijs ſecundum quid & ex ſuppoſitione; nam ex iiſdem Philoſophis ſupponitur poſſe eſſe diuinationem etiam de præteritis, & præſentibus, quatenus ſunt ignota & occulta, quæ tamen habent neceſſitatem ſuppoſitionis; illi igitur effectus & euentus, qui quomodocunque latent in ſuis cauſis, poſſunt ex ipſis aliquo modo diuinari ac prædici antequam ſint, ipſis cauſis perfectè cognitis; quod etiam affirmatur de ijs, ſi quæ ſunt, quæ tantum futurorum ſigna ſunt, & non cauſæ. Addo ad conſtituendam diuinationem, quod ſit tantum de rebus contingentibus, ſatis eſse, quod cauſæ illarum rerum poſſint quoquo modo impediri, itaut dicantur res illæ aliquatenus poſse non eſse, licet ſpectato naturæ ordine in ipſis cauſis dicerentur effectus neceſsariò cum illis connexi. Demum ablata quacunque alia ratione ex eo dumtaxat poni poſset diuinatio, quod aliquid occultum alteri diuinaretur, ſiuè diuinans illud certò ſciret ex ſuis cauſis, ſiue non; ſatis eſt enim vt diuinatio euentus admittatur, quod talis euentus ab aliquo præſentiatur, &

præ-

dicatur, & quod talis euentus verè contingat alicui, cui erat occultus & ignotus; non enim hic de alio quæritur, quam de diuinationis exiſtentia, quæ ſatis ex dictis probatur contra Epicurum, Xenophanem, & Carneadē, qui licet Deos aſſererēt, videntur tamen omnem diuinationē ſuſtuliſſe.

ANIMADVERSIO II.
PHILOSOPHICA
In Eſſentiam Diuinationis.

4 DIVINATIO, quæ à Diuis dicta eſt, vt Cicero animaduertit, lib. 1. de diuin. inquiens, nihil magis diuinum eſſe, quam futura prædicere, varijs modis definita eſt à Philoſophis, ac primum ab ipſo Cicerone definita eſt præſenſio rerum fortuitarum, à Chryſippo vis cognoſcens, & videns ſigna, quæ à Dijs hominibus portenduntur; à Cardano coniectura vera de futuris non certa ratione habita; à Platonicis furor oracula fundens; ab alijs alijs modis, quos non eſt opus recenſere. Ego verò puto diuinationem eſſe vniuerſaliùs definiendam, ſcilicet rerum, quæ latent, præſenſionem, atque prænunciationem, qua definitione omnia comprehenduntur diuinationis obiecta, quę poſſunt eſſe, tum præterita, tum præſentia, tum futura, dummodo vel occulta, vel ignota ſint, quidquid in oppoſitum dicat Cardanus lib. 14. de variet. rerum, affirmans diuinationem eſſe tantum coniecturam de futuris; nam ex ſacris literis habemus Nathan Prophetam diuinaſſe adulterium, quod iam commiſerat Dauid, & occiſionem Vriæ; & Heliſæum diuinaſſe, licet abſentem, quod Giezi argenti talenta acciperet à Naaman. Sic etiam præterita dicitur diuinaſſe Sophocles, cum in ſomnis monitus eſt ab Hercule, quis eſſet ille, qui auream pateram ab Herculis æde ſurripuiſſet; Præſentia denique apud Ciceron. 1. de diuin. diuinauit Accius Nauius, cum Tarquinij regis cogitationem de cote nouacula diſſecanda reuelauit. Non ſolum igitur de futuris, ſed etiam de præſentibus & prçteritis poſſe eſſe diuinationem concludo; & licet vt plurimū dicatur diuinatio tantum eſſe de futuris, id fit, quoniam futura ſuapte natura nobis ignoriora & occultiora ſunt, cum præſentia & præterita faciliùs à nobis ipſis intelligi poſſint abſque diuinatione.

An verò diuinatio diſtinguēda ſit omnino à ſcientia, ac viſione rerum, non eſt ita certum apud Philoſophos licet enim diuinatio, prout dicit artem aliquam adhibitam ad diuinandum non poſſit eſſe ſcientia, eo quod ars omnis à ſcientia diſtinguatur, poteſt tamen ipſa quoque ad intellectū ſpectare, & non tantum ad ſenſum, vt illi præſertim volunt, qui eam cum Cicerone definiunt prçſenſionem futurorum; 5

turorum; atque non ſolum ſpectare ad intellectum tamquam ars, quæ eſt vnus ex habitibus ipſius intellectus; ſed etiam tanquam ſcientia, cum in multis naturalibus effectibus diuinandis, ac prænunciandis vti poſſimus diſcurſu & certa ratione, quidquid dicat Cardanus loco citato; gratis namque aſſeritur à quibuſdam Philoſophis diuinationem non poſſe eſſe ſcientiam, neque poſſe diſcurſum inuoluere; cum is, qui per ſcientiam aliquid ex alio deducit, tãquam ex cauſa, vel tanquam ex ſigno licet reſpectu ſui dicatur ſciens, eo quod res illa iam ſibi per ſcientiam nota ſit, reſpectu alterius poteſt eſſe, & dici diuinator, cum occultam rem alteri poſſit reuelare; Vnde ſequitur, quod licet non omnis diuinatio ſcientia ſit, cum plures etiam inueniantur diuinandi artes, poteſt tamen aliqua diuinatio eſſe ſcientia; Et hinc ſatis reijciuntur definitiones illæ diuinationis, quibus ab illa nituntur Philoſophi diſcurſum excludere, cum ferè diuinatio omnis diſcurſu fiat, & ratiocinatione, nimirum euentus ipſos ſemper deducendo, vel ex cauſis, vel ex ſignis, vel ex obſeruationibus, & experimentis; quare nullo modo audiendus eſt Frãciſcus Sanchez in ſuo libello de Diuinat. cum ait eſſe definiendam diuinationem Viſionem internam occultorum nullo rationis diſcurſu habitam; multas namque patitur difficultates hæc definitio, præſertim quoad illam partem, quod viſio ſit; cum viſio videatur exigere obiecti præſentiam, quæ ſæpè non eſt in diuinatione.

ANIMADVERSIO III. PHILOSOPHICA

In Differentias Diuinationis.

6 OMISSA diuina diuinatione, quę ſola certiſſima eſt, atque infallibilis, ſiue ipſe Deus immediatè reuellet occulta, ſiue id agat per alios, ſcilicet vel angelos, vel Prophetas, duplex tantum diuinationis genus diſtinguendum eſt, quorum alterum naturale dicatur, alterum verò artefactum, ſeù artificiale; hæcque tantum duo diuinationis genera admittebant Philoſophi veteres teſte Cicerone 1. de diuin. licet ea ſæpè confunderent, ac permiſcerent, putantes in quacunque diuinatione partem habere naturam, ſed naturæ plerumque artem quoque ſuperaddi, qua nimirum res ipſæ naturales ad diuinandum applicarentur; & ideo putabant prudentes & ingenioſos viros ſæpiùs diuinare, quam ignauos, ob artis vſurpationem; & ob id etiam longè certius ſapientiores diuinare, quam rudiores, qui ſolum caſu abſque vllo ingenij artificio diuinant. Artificiales autem diuinantiones naturalibus permixtæ, quas longo vſu & experimento ſolent

lent ferre Medici, Aſtrologi, Agricolæ, Nautę, Duces in bello, & gubernatores, qui omnes ſi in arte, quam profitentur valdè periti ſint, poſſunt multa diuinare, quæ tamen ineptum vulgus admiranda, ac propè extrà ordinem naturę poſita iudicabit; Sic Thales Philoſophus futuram oliuarum vbertatem præuidit; Sic Solon inſurgentem Pyſiſtrati tyrannidem; ſic Galenus futuram hemorragiam, & ſic de cæteris; Quin imo nonnulli tam acri ingenio inuenti ſunt, vt ex præſentibus quadam coniectandi arte adhibita ferè omnia præterita diuinarent, & ex præteritis ventura, facta potiſſimum obſeruatione experimentis.

7 Stoici vnum tantum diuinationis genus admittentes, illud ex triplici genere componebant; volebant enim in quacunque diuinatione, & Deos interuenire, & naturam, & artem, ita vt omnis diuinandi modus eſſet ex Dijs, ex natura, & arte, quatenus Dij ipſi omnibus naturæ, & artis operibus præſiderent, opemque ſuam, & concurſum præſtarēt; ex quo ipſi nullum vaticinandi genus reſpuebant, ſed omnium gentium credulitati fauentes, cenſebant & auſpicia, & auguria, & portenta, & ſcientiam Magorum, & ſortes aliquid in ſe certi, & firmi continere, tum propter naturam, & artem, quæ firmiſſimis, & certiſſimis innituntur principijs; atq. adeo nullum diuinationis genus tanquam vanum reijciebant, ſed quiduis auſpicatò aggrediebantur, præſertim in vita magni eſſet momenti: Quin eſſe præter rationē autumabant contemplationem dimittere dextri, & ſiniſtri, volatus auium, lugubris, aut hilaris cantus, & extorum animalium in ſacrificijs; præter hæc etiam eſſe vim quamdam quibuſdam hominibus, & quibuſdam locis vaticinandi, nunc ſcilicet cælitùs immiſſam, nunc furore conceptam; eſſe quoque frequentiſſima Deorum reſponſa de rebus futuris; ex quibus omnibus videbantur vnum conſtituere diuinandi genus, quod ſimul eſſet diuinum, naturale, & artificiale.

At id, quod Stoici vnum tantum fecere diuinandi genus, tripartitam fecit reliqua Veterum Philoſophorum turba, exceptis Epicureis, quo omnem diuinationem funditùs ſuſtulerunt, cenſentes nihil eorum, quæ omnino non ſint, ſciri poſſe, ac propterea futurorum, quorum nullum adhuc eſt eſſe, nullam notitiam haberi poſſe, ſiue hæc ſit naturalis, ſiue artificialis; nam de diuina nec verba faciebant, cum nullos putarent eſſe Deos, vt teſtis eſt Cicero, qui rebus humanis præeſſent. Sic Platonici pręter diuinos afflatus ponebant diuinationem ex arte, præſertim dæmoniaca, & alteram ex natura, ita tamen vt diuinandi vis ijs pręſertim hominibus eſſet à natura tributa, qui minimè vti prudentia valerent, ac propterea mēte alienatos, furentes, ignauos, ac etiam morti proximos maximè diuinos eſſe aſſerebant. Sic Pythagorici apud Laert. diuinationem per auguria præſertim admiſere, ita tamen vt ipſam benè augurandi artem Dij ipſi dirigerent. Sic denique Peripatetici cum Ariſtotele, licet fortaſſis diuinationem ex arte improbarent, probabant tamen eam, quæ eſſet ex 8

natura

natura per inſitam quamdam facultatem hominibus futura præſentiendi calore incitante : De quorum opinionibus quidquid ſit, id ſaltem ex illis colligi poteſt ſemper cognita fuiſſe hæc tria diuinationum diſcrimina; ſcilicet diuinum, artificiale, & naturale; hæcque etiam à nobis eſse admittenda tanquam apud omnes vulgatiſſima; licet quoſdam diuinandi modos ad ea ſpectantes tanquam nugaces, futiles, ac fallentes omnino reijciamus; primò namque diuinationibus ex Deo mediatè, vel immediatè latis nullum dubium eſse poteſt apud Philoſophos Catholicos; cum illas habeamus ex fide, & ex ſacris literis; de alijs quoque diuinationibus naturalibus, & artificialibus, quæ omnem ſuperſtitionem excludunt, nemini dubitandum eſt, vt patet ex dictis iam, & melius patebit ex dicendis.

ANIMADVERSIO IV. PHILOSOPHICA

In facultatem diuinandi cuique inſitam à natura.

9 APVD Plerosque Philoſophorum, etiam ſapientiorum error ille firmiſſimè inualuit, quod quædam eſset hominibus inſita diuinandi vis, qua non ſolum præterita, & præſentia ſibi ignota, & occulta præſentire poſsent, ſi vellent, ſed etiam futura; idque ex eo præſertim colligebant; quod in maniacis, & furentibus, in dormientibus, ac moribundis vis illa ſæpiſſimè deprehenſa eſt; quæ ſanè nõ poteſt haberi niſi à natura; & Plato præ cæteris hanc naturalem diuinandi vim ponebat in iecore, quod ſatis conſtare videtur ex Dialogo de Natura, vt teſtatur Valeſius in ſacra Philoſophia cap. 30. licet Ariſtoteles contrà illam poſuerit in cerebro, vbi eſt mentis ſedes, eam incitante calore, vel morboſo vt in maniacis, phreneticis, & lymphaticis; vel naturali per atram bilem in ipſo cerebro exundantem, cuius cauſa ſybillas, vates, & alios plures diuinatores factos eſſe ipſe opinatur ſect. 30. Problem. Additur etiam horum Philoſophorum authoritati ratio, nam cum ſit animæ naturaliter tributa vis quædam ſentiendi præſentia, quæ dicitur ſenſus, & alia etiam vis ſentiendi præterita, quæ dicitur memoria, oportet etiam pari modo affirmari eidem animæ collatam eſse à natura vim præſentiendi futura; conſentaneum enim eſt animæ perfectioni, vt obiecta ſua queat in omni ſtatu cognoſcere, non modo in ſtatu præſentiæ, & præteritionis, ſed etiam poſſibilitatis, & futuritionis, cum aliàs dicatur potentia animæ cognitiua ſuis obiectis proportionata; neque ratio diſpar innoteſcit,

teſcit, cur anima poſſit præſentia, & præterita naturaliter attingi, & futura nequeat attingere.

10 At nullam eſſe eiuſmodi vim diuinatricem hominibus naturaliter inditam certum eſt apud ſaniores Philoſophos; nihil enim eſt hominibus naturaliter collatum, quod non ſit eorum naturæ aut conueniens, aut debitum; cognitio autem futurorum neque congrua eſt hominibus, qui tantum obiecta cognoſcunt per ſpecies ab ipſis obiectis immiſſas, quas immittere non poſſunt, niſi ſint, naturaliter loquendo, neque talis cognitio futurorum debetur hominibus naturaliter, cum ſatis perfecta intelligatur natura cognoſcens creata, ſi præſentia, & præterita cognoſcat per ſpecies immiſsas, & in memoria relictas, etiamſi non cognoſcat futura. Anima verò noſtra nimis perfecta eſset, & diuinitatem ipſam attingeret, ſi facultatem naturalem haberet omnia cognoſcendi futura; ſi enim quædam cognoſcere valeret, non eſset maior ratio, cur non poſset etiam reliqua cognoſcere, & ita fieret ſicut Deus, qui ſolus dicitur omnium futurorum cognitor. Addo ſatis eſse ad perfectionem animæ intelligentis, quod poſſit futura cognoſcere, cùm erunt in ſtatu ſibi proportionato, ſcilicet cùm erunt præſentia, vel præterita: nam in ſtatu futuritionis, cum nõ habeant præſentiam realem, neq. poſſunt habere præſentiam obiectiuam. Quod ſi dicatur nullum eſse inconueniens, quod admittatur in hominibus facultas intelligens, quæ ſe extendat ad infinita, ſaltem ſucceſſiuè cognoſcenda, ac pari ratione non eſse incongruum, quod admittatur facultas diuinatrix etiam infinitorum, ſi eodem modo conſiderentur; dico ego illam eſse in hominibus potentiam tantum ſynchategorematicam, quæ poteſt admitti; potentia verò diuinandi eſset cathegorematica, cum actu ſe extendat ad omnia futura, quę ſupponerent actu eſse obiectum illius facultatis diuinatricis. Deniq. etiamſi admitteretur illa potentia diuinatiua eſse reſpectu futurorum, quemadmodum eſt potentia intellectiua reſpectu intelligibilium ſucceſſiuè, quæ infinita ſunt, dico ex ſpeciali Dei prouidentia futura poſita eſse inter obiecta, quæ voluit ipſe Deus homines latere.

Negandam tamen non eſse in hominibus illam naturalem diuinandi facultatem, ego cenſeo, qua, vt dictum eſt, poteſt naturaliter homo aliquem euentum aut effectum futurum præſentire, aut præcognoſcere, ac diuinare ex perfecta cognitione cauſæ talis effectus, vel ſigni talis ſignificati; cum enim cauſa ſic vel ſic diſpoſita maximam habeat connexionem cum tali, vel tali effectu, poterit quis naturali quodam diſcurſu, ſeu naturali illatione vnum ex altero deducere, quod erit diuinare, ſi non reſpectu cognoſcentis effectum in cauſa, vel in ſigno; ſaltem reſpectu alterius, cui effectus ille, vel euentus ſit ignotus; & licet videatur neceſsariò cùm ſua cauſa connexus, cum tamen per alias cauſas, vel ſaltem per firmam cauſam illa cauſa ſit impedibilis, ex hoc capite poteſt dici contingens. Cæterùm alio modo admittere diuinationem naturaliter homini inſitam om- 11

nino

Digitized by Google

nino à veritate alienum eſt, quemadmodum etiam fidem adhibere alijs diuinationibus artificioſis prorſus inſanum eſt, licet concedamus inter genera diuinationum non minus naturale, quam artificiale.

ANIMADVERSIO V. PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex Mentis Alienatione.

12 QVI ex oraculis vaticinia non ſine ratione reddita fuiſse opinantur, eo præſertim fundamento innituntur, quod in quibuſdam locis, vbi Oracula fundebantur, poterat eſse animus ab omnibus curis corporeis ſolutus, ſicque magis aptus ad reddendas diuinationes; quod præſertim in antro Trophonij contigiſse dicitur, cuius proprium erat mentem ita à ſenſibus amouere, atque abalienare, vt ſtatim rerum futurarum, quæ conſulebantur, fieret compos, eaſque conſulentibus prænunciare poſset; adſtante præſertim benigno Veneris influxu, cuius aſtrum vatibus, & Sybillis dicebatur quammaximè fauere. Quæ tamen mentis alienationes, licet ab antiquis præſtigiatoribus admiſsæ fuerint, à ſapientioribus tamen ſemper irriſæ perhibentur, qui tales vaticinandi furores præſertim in antris conceptos, vt Numinibus indignos omni æuo deteſtati ſunt; ac præ cæteris Tullius 1. de diuin. furores illos vocat potius inſanos, quam diuinos, cum in illis pars hominis princeps, quæ eſt mens, amitteretur, cui tamen dicebantur potiſſimùm Dij præſidere. Mitto hic reliqua ſapientum teſtimonia oraculorum falſitatem abiurantia, ea præſertim ratione, quod in credentibus eſset nimia ſtoliditas, ac rationis impotentia, in diuinatoribus verò nimia vafrities, atque fraudolentia; etenim hic potius philoſophicis rationibus, quam authoritatibus pugnandum.

13 Ijs ergo potiſſimùm rationibus oracula euertenda ſunt, omnique fide indigna cenſenda; nam cum affirmēt oraculorum Aſsertores creduli, inter quos Cardanus diuinationes factas eſse in Pythia, & in Sybillis ex quodam violento terræ halitu, vel vapore animum vatis circumferente, qui cogebat lumine futurorum indito vaticinia proferre præſertim in antro, aſtro Venereo aptè etiam in Cælo diſpoſito, ac collocato, non videtur aliqua ratione conſtare, cur, aut qua vi animus ille vaticinātis poſset ad fundenda vaticinia commoueri; & qua de cauſa eo temporis vaticinijs ipſis adſtaret Veneris aſtrum; hæc enim omnia vt gratis ab ipſis prolata, gratis etiam & abſq. vllo negotio à nobis

bis

bis improbanda ſunt; vbi enim ab ipſis figmentis agitur non eſt nobis argumentis agendum. Verum eo pręſertim telo confodiendi ſunt, quod aſserant, non potuiſse talia ab oraculis vaticinia fundi, niſi mens à ſenſibus abſtraheretur, itaut vaticinantes propè inſanirent; ſi enim id neceſſarium fuiſſet, omnino ſuperuacanea fuiſſent antra illa, in quibus animi vatum in diuinationes commouebãtur; potuiſſent namque etiam extra antra illa inueniri ebrij, maniaci, ac phrenetici, qui ex mentis alienatione vaticinarentur; nec ſolum Trophonij antrum potuiſſet mentes,& animos ſubmouere, ſed etiam meconium, & cicuta. Addo nullam eſſe rationem, qua animus à corpore, atque à ſenſibus ſubmotus vim illam vaticinandi poſſit aquirere, niſi futurorum ſpecies aquirat, quod tunc non conceditur; & cum vim illam nõ habuerit in corpore, & cum ſenſibus colligatus, neque poteſt illam obtinere extra corpus, ſeu alienatus à corpore; nulla enim perfectio, quæ ſit animo indita à natura poteſt per corpus impediri, aut per ſenſus, cum corpus ipſum ſit animi perfectio, & complementum.

14 Si verò confugiant ad Aſtrum Veneris, quod diuinationibus illis præſideat, vt vult Cardanus de rerum variet. non eſt perceptibile, cur aſtrum illud futura illa reuelet tantum in antro Trophonij ex. gr. & non alibi, vel ſine antro; nulla enim cogitatur ratio talis ſocietatis aſtri Venerei cum illo antro, quodcunque ſit; neq. conſtat adhuc, vnde habeat Veneris aſtrum, vt ſecreta,& futura prænoſcat. Addo quod ſi Virgo Apollini ſacra diuinat, quia nata eſt Veneris aſtro in tali puncto exiſtente, cur non & aliæ eodem momento natæ non poterunt diuinare? nam ſi ſolum cum Veneris aſtrum in tali eſt cęli puncto, & tali reſpectu ad alios planetas, & aſtra etiam fixa diuinationi fauet, tũc quotquot eo in inſtanti naſcentur, diuinatores erunt; quamdiu ergo viuent hi, qui eo in puncto nati ſunt, tamdiu diuinabunt, ac ſine intermiſſione, quod tamen antiquis vaticinantibus non concedebatur, quibus non erat aſſidua diuinandi facultas. Denique ridiculum erat apud illos id quod agebatur, nam abſque vllo reſpectu ad aſtrum Veneris, cum vates vnus ex illis interiret, vel vna Virgo Apollini ſacra, ſtatim altera ſubſtituebatur, quæ diuinaret, licet eadem geneſi non eſſet prædita; & hac fortaſse ratione nugas, & deliramenta Veterum agnoſcens partim diuinationem ex oraculis admiſit, partim verò irriſit,& irriſit potius vt Philoſophus, quam vt Aſtrologus.

ANIMADVERSIO VI. PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex Animi Concitatione.

15 NON eſt id prætereundum in diuinatione, quod pertinet ad animi concitationem ſuapte natura diuinatoris; voluere enim nonnulli Philoſophorum animum ex ſua natura omniſcium eſſe, quod vel eiuſdem ſit naturæ cum Deo, vel particula ſit Animæ mundi, quæ vbique præſens ſit, nihilque ſit rerum, quod ignoret; nam quamuis dicant animum non eſſe præſentem adhuc rebus ipſis, quæ nondum ſunt, ſed tantum futuræ, docent tamen præſentem eſſe earum cauſis, vel proximis, vel remotis, quæ continuata ſerie colligãtur cum ſuis effectibus, ſicque vt in seminibus vis ineſt earum rerum, quæ progignuntur, ſic in cauſis conditæ ſint res omnes futuræ; ac propterea ſi cõcitetur animus in cauſarum contemplationem, aiunt, facilè ex ipſa res omnes futuras innoteſcere poſſe. Verò fiat hæc animi concitatio ad diuinandum, docent, animum ipſum in corpore immerſum, nec perinde ex corporis impedimento omnia peruidentem, peruidere tamen valentem, ſi remoueatur obex, abduci quoquo modo debere ab ipſo corpore; aut vi alicuius morbi, qua quaſi emerſionem à corpore moliatur; quo modo Ariſtoteles docet apud Cicer. 1. de diuinat. furentes, & melancholicos aliquid præſagiens in animis habere, ac diuinum; aut phreneſi, & mania; aut aliqua alia ratione placidiore, qua ſe quaſi abducat, auocetque à corpore, quod potiſſimum per ſomnum fieri opinabantur, in quo animus longè ſolutior eſt à corpore, quam in vigilia, ideoque magis aptus ad diuinandum. Atque ad hanc doctrinam perhibentur illi quoque acceſſiſſe, qui omni diuinatione in naturam Deorum relata, ab ipſis hauſtos, ac delibatos animos noſtros eſſe putarunt, quorum Deorum cognatione pro ipſorum placito animi ad diuinandum excitarentur indita quadam interna commotione.

Verum hæc omnia, quæ de animi concitatione dicuntur ad diuinandum mera figmenta putanda ſunt; quemadmodum nugæ ſunt, & fabulæ antiquorum, quæ recenſentur de Anima mundi, de particula diuinitatis animis impreſſa, & de alijs eiuſmodi, quæ nulla ratione nituntur in ſana philoſophia, vt alibi fusè demonſtratum eſt. Addo facta etiam ex Veterum erroribus omni ſuppoſitione de anima mundi, de animi Deorumq. cognatione, de furore 16

diui-

diuinitùs concitato, de alienatione à corpore quomodocunque facta, adhuc eſſet inueſtiganda ratio, cur animus potius in vno ſtatu concitetur, quam in alio, potiùs vno tempore, quam alio, & ſic de cæteris; neque etiam facile diſcrimen inueniretur, cur potiùs ad quædam diuinanda futura concitaretur, & non ad alia, vel ad ad omnia, cum iam ſupponant iſti Philoſophi animum noſtrum ex ſua natura omniſcium eſſe; quod ſanè ſi eſset, à diuinitate non recederet cum proprium ſolius Dei ſit omnia ſcire, & cuncta ex ſuis cauſis, imo ex ſe ipſo præuidere; & licet interdum quidpiam ea ratione prædictum contigerit, non proinde, quod caſu factum eſt, animi naturæ adſcribendum eſt, qui ea tantum nouit, quorum vel acquiſitas, vel inditas à Deo ſpecies habet; & certum eſt ſpecies omnium futurorum non habere, vt præter ſaniores Philoſophos fatentur Theologi omnes; vnde reijcienda omnino eſt hæc diuinatio ex animi concitatione.

ANIMADVERSIO VII.

PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex Idearum Contemplatione.

17 PVTARVNT Academicorum non pauci, dum anima magis eſt à corpore ſoluta per quaſdam inditas ſibi rationes ideis reſpondentes ſomnia quædam excitari, quæ diuinationem includerent ob nexum rationum illarum cum ideis Diuinæ menti conuenientibus; Imo quod hi tantum in ſomnijs contingere docuerunt, alij plures etiam extra ſomnum euenire crediderunt, cum poſſit anima pro libito etiam extrà ſomnum rationes illas inditas contemplari, ex quarum contemplatione ea dignoſcantur etiam, quæ futura ſunt, dummodo rationibus illis, ſeù ideis reſpondeant; ea facta ſuppoſitione, quod ſint animæ noſtræ congenitæ omnium cognoſcibilium ideæ, ſeu rationes. Quæ doctrina non videtur ab ea recedere, quę animum noſtrum facit omniſcium; niſi forte in eo diſcrepet, quod illi faciebant animum ſuapte natura omniſcium, vt participem diuinæ ſubſtantiæ, iſti verò faciunt omniſcium ratione idearum congenitarum; qui tamen viderentur eſſe omniſcius per ipſos, ſicut Deus, qui omnia ab ipſis dicitur ſcire per contemplationem idearum, ſiuè ſint immanenter congenitæ, ſiuè exteriùs poſitæ, vt illas reſpiciat Deus ipſe, quando aliquid vult operari.

18 Ad hanc euertendam, ac repellendam doctrinam ea ſatis eſsent, quæ congerit Ariſt. vbi Platonicas ideas oppugnat; cum enim ab ipſo Ariſtotele figmentum Platonicum vocentur ideæ abſq. vllo fundamento philoſophico excogitatum, ficta quoque ea omnia putanda ſunt, quæ ex ideis colliguntur; at præſertim, quæ ſpectant ad diuinationem, quę etiam admiſſis ideis, nullo modo ex ipſarum ſola contemplatione haberi poſset. Primò, quia nulla poſset aſſignari ratio, ſi per ipſas ſolas fieret diuinatio, cur potiùs vna, quam altera ad ſui cognitionem nos excitet, cum eodem modo ſe habeant. Secundò, quia ſequerentur eadem abſurda, quæ allata ſunt de Idolis emiſſis ab obiectis; eſſent namque & ipſæ actu infinitæ, vt potè omnium rerum cognoſcibilium, quæ infinitæ ſunt; eſsent ſummæ confuſionis cauſa, quia poſsent ſimul cōtradictoria, & contraria cognoſci; eſſent quoq. diuinationis impedimenta, quia dum euentum vnius rei repręſentarent, poſset ſimul oppoſitum repræſentari eiuſdem euentus; ſicque vel nihil futurum diuinaretur, vel diuinarentur oppoſita. Tertiò, quia ideæ illæ animæ congenitæ, præter abſurda, quæ afferrent, eſſent etiam formæ omninò ſuperuacaneæ, cum omnis cognitio abſq. illis formis haberi poſſit, quemadmodum de facto habetur apud Peripateticos omnes; ſatis enim eſt ad efficiendam cognitionem, vt formæ quædam intentionales, quæ à Philoſophis ſpecies vocantur, vel emittantur ab obiectis, vel infundantur; poſitis verò illis ideis adhuc requirerentur ſpecies illæ determinantes potentias potiùs ad cognitionem vnius obiecti, quam alterius; nam ideæ illæ, quæ æquè, ac ſimul eſſent in potentia, non poſſent ex ſe determinare potentiam, cum omnes æquè illam actuent; vnde aliquid aliud exigeretur; id verò, quod exigeretur, ſi eſſet ſpecies obiecti, ex ſe ſatis eſſet.

ANIMADVERSIO VIII. PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex Idolorum effluxione.

19 DOCEBAT Democritus, & cum eo etiam Syneſius Platonicus à rebus omnibus tum præteritis, tum præſentibus, tum futuris idola quædam, & ſimulachra perpetuò fluere, quæ cum phantaſticum ſpiritum, qui eſt illorum quaſi ſpeculum impingūt, eum excitant, & mentem ad ſui contemplationem compellunt; ſicq. omnium rerum diuinationem fieri; ac propterea dormiētibus potiùs, quam vigi-

vigilantibus, & Ecſtaticis potiùs, quã prudentibus eiuſmodi idola offerri, atque ex illis diuinationes immitti, ex eo præſertim, quod in hoc hominum genere animus ſit à curis corporis magis ſolutus, ac ſegregatus; Quod verò hæc idola noctu potiùs, quam interdiù offerantur ſpiritui phantaſtico, & effluant ab obiectis, ea ratione cõtingere tradebat Democritus, quod noctu aer vt plurimùm tranquillior ſit & purior, adeoque magis aptus ad illa recipienda, atque in phantaſiam tranſmittenda. Ariſtoteles verò, qui ferè in omnibus Democritum inſectatur, in hac re videtur ambiguus, quod præſertim notauit Franciſcus Sanch. lib. de diuinat. per ſomnum ad Ariſt. poſtquàm enim docuit ſomnia naturaliter quandoque ſigna eſſe, quandoque etiam cauſas, quandoque neque ſigna, neque cauſas eorum, quæ fiunt, tandem in eo libro ſub finem videtur ad Idola, & effluxiones Democriti accedere, aut ad dæmones, vt quidam putãt, qui hominibus in ſomnis futurorum imagines obijciunt. Vtrum Ariſtoteles verè iſta idola effluentia admiſerit admodum Democriti adhuc controuerſum eſt apud Commentatores; ſi tamen dicatur illa admiſiſſe, iure eſt cenſura notandus, erroreque damnandus, vt Democritus ipſe.

20 Abſurdiſſimum itaque eſt in Philoſophia eiuſmodi idolorum effluxiones admittere eo modo, quo admittebat Democritus, vt fieri poſſet omnium rerum diuinatio; nulla enim ratione ſuaderi poteſt, quod aliquid actu effluere poſſit à re quæ actu non eſt; & cum futura, neque præterita ſint, licet fuerint, non poſſunt actu illa idola ex ſe ipſis emittere. Deinde ſi ſic ab omnibus rebus emitterentur idola, eaque ad illuſtrandum, aut excitandum phantaſticum ſpiritum cuiuſcunque peruenirent, ſequeretur quod omnes eſſent vates & diuini, quod tamen non conceditur; quemadmodum etiam ſequeretur, quod æquè omnino futura, præſentia, & præterita ſcire poſſent, quæ cum ſint infinita, in cognitionem finitæ perfectionis cadere non poſſunt; ſupponuntur enim talia idola actualiter emitti ab omnibus obiectis, neque eſt maior ratio de vno, quam de alio. Addo denique ex his idolorum effluxionibus maximam in ſpiritu phantaſtico oriri confuſionem, quæ etiam diuinationem impediret; ſi enim effluat idolum de hoc futuro contingenti, quod Byzantium diruetur, & aliud idolum, quod Byzantium reædificabitur, deinde alia idola, quod ſecundò, & tertiò id continget, longis tamen interuallis, cum æquè effluant eiuſmodi idola deſtructionis, & conſtructionis, quid ex his poterit diuinari, quod ſit euenturũ? aut quæ temporum diſtinctio eſſe poterit, vt primò deſtruendam, deinde conſtruendam, denique euertendam illam ciuitatem inſinuent? ſed eſto inſinuent; ſi præciſè tempus deſtructionis non denotent, quid prodeſt hæc videre, quæ non contingent noſtris temporibus? Denique ſi præterita, præſentia, & futura de ſe idola, & effluxiones mittũt, vel impreſſum habent temporis characterem, quo res eſt, aut erit, vel nõ; ſi non habent, tanta erit in nobis confuſio, vt futura pro præteritis, & vice

verſa

Digitized by Google

verſa præterita pro futuris accipiamus; ſi habent, ergo non ſunt pura idola, vt ſupponuntur, cum idoli proprium ſit, vt ſit ſimplex imago rei abque temporis nota. Quod ſi verborum, cogitationum, actionum, operumque, inſuper & rerum permanentium, fluentium, orientium, occidentium, omni tempore, omni loco futurorum; omniumque hominum, brutorum, lapidum, plantarum, vrbium, domorum, omnium denique & quorumcunque entium fluxionibus ſunt omnia repleta, quid quæſo in hoc chaos, in hac tanta rerum confuſione poterit diuinari? Mihi quidem ne cogitare etiam licet, vnde abſurdum cenſeo in tam abſurda doctrina diutiùs immorari. At id non eſt prætermittendum, eiuſmodi idolorum & ſimilitudinum effluxiones eo præſertim admiſſas eſſe, vt facta quadam cũ aere permixtione; & cum ſpiritibus animalium, vna cum ipſis ſpiritibus ad animam deferrentur, indeq. ſomnia conſurgerent, in quibus volebant potiſſimùm diuinationes fieri; hæ tamen idolorum effluxiones cumulatè ſatis reijciuntur ab Ariſtot. in lib. de ſenſu, & ſenſili, quem in hac re opus eſt conſulere.

ANIMADVERSIO IX. PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex Animorum egreſſu, & congreſſu.

21 FIERI animorum egreſſionem, & congreſſionem cum præſertim homines detinentur ſomno, tumq. animos ipſos vt diuinos origine, & immortales natura pro libito extra corpora egredientes, & cum alijs animis, ac ſpiritibus congredientes, & ſuo principio ſe ſe adiungentes poſſe facilè omnia futura diuinare, vel ſaltem quorundam ſcientiam expiſcari, conſtans fuit multorum opinio, quos quidam Pythagoræos vocant, alij verò Academicos, id proprium vocantes animorum officium, quod corporis cura ſoluti, ſe ſe excitent ad omnia cognoſcenda, quorum ſemina ipſis ab initio indita ſunt; cum tamen non aſſignent rationem, qua fiat in animis eiuſmodi excitatio, neque cur potiùs quædam, quam alia futura prę-noſcant, ac diuinent, quod indicat eorum leuitatem in admittendo hoc animorum egreſſu, & congreſſu; videntur namque omnino ſomniare, dum admittunt in ſomnijs has animorum egreſſiones extra corpora, diſcurſationes per aera, congreſſiones cum primo principio, & cum alijs ſpiritibus, reuerſiones denique in ſua corpora; quis enim eſt homo ille, cuius animus pro libito exire è corpore

poſſet, & id ru:ſus reuerti ? aut quæ eſſet illa hominis forma, quæ, cum vellet abſq. alio agente, poſſet ſuum ſubiectum deſerere, atq. iterum abſque alia actione illud amplexari ? certè eſſent hæc omnia ſatis miranda in philoſophia ; idque eſſet in eorum errorem incidere, qui docuerunt poſſe hominem mori quotidie, ac regenerari, dum ſingulis diebus poſſet anima à corpore diſcedere, & iterum ad corpus redire. Quin hoc etiam eſſet animorum tranſmigrationẽ quoquo modo cum Pythagoræis amplecti, vel in ſententiam Platonis abire, qui docuit corpus noſtrum eſſe animo tanquam carcerem conſtitutum, è quo tamen poſſet ſponte, ac ſæpius euolare, quæ tamen à ſanioribus Philoſophis non probantur.

22 At neque quoad animorum congreſſionem videtur admittenda in hominibus diuinatio; nondum enim cõſtat, quinam eſsent ſpiritus illi, cum quibus congrederentur animi, & ea, quæ ſcirent, inuicem communicarent, vt inde fieret futurorum alicui ex ipſis ignotorum, notorum tamen alijs diuinatio, ſi enim ſupponantur ſpiritus illi alij animi humani, non eſt credendum eos plus ſapere quoad futura, quam quod quiſque ſapit in ſe ipſo; ſi ſupponantur Dæmones, iam ſatis dictum eſt eos quoque futura contingentia latere, nec quod ipſis latet, poteſt alijs patere; vnde ad ſummum in hac animorum congreſſione poſsent præſentia, ac præterita inuicem communicari, non futura, quorum in ipſis non adeſt ſcientia, quam ſibi ſoli reſeruauit omnium cõditor Deus, cuius, licet animus noſter ſoboles, & propago ſit, non tamen propterea voluit in ſcientia futurorum æqualem habere; neque fas eſt vllo modo, dum hic adhuc erramus, lumen illud ineffabile intueri, & eminùs aſpicere, quo futura beatis panduntur, cum id ex peculiari priuilegio alicui tantum à Deo concedatur. Cum igitur certò ferè experimento conſtet, animos noſtros nunquam corpus in vita deſerere, quod patet, cum ſubito à ſomno excitamur, quod non contigeret, ſi animus à corpore longè diſtaret; neque per inane vagari, & cum alijs congredi ad hauriendam inde diuinationem, non eſt vllo modo ex hoc doctrinæ fundamento admittenda in nobis futurorum diuinatio, etiam ſi hanc ſolummodo in ſomno contingere fateantur; cum eædem ſint rationes diuinationem ex illa oppugnantes, ſiue in ſomno, ſiue extra ſomnum.

ANI-

ANIMADVERSIO X. PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex Geniorum dictamine.

23 DOCVERE quidam ex Vetuſtiſſimis Philoſophis ſpeciali quadam Deorum prouiſione factum eſse, vt cuiuslibet hominis animo lumen quoddam inditum eſset, quo dictante homo iugiter dirigeretur ad opus; quo ſuadente, bona tantum amplecteretur, quo denique reuelante nedum præſentia ſciret, & præterita, ſed etiam futura; putabant namque intellectualē in homine naturam nimiùm fore defectibus obnoxiam, ſi paulò brutorum perfectionē excedens tantummodo præſentia dignoſceret, ac rimaretur obiecta, ſublata omnino futurorum cognitione. Quodnam verò eſset hoc lumen, non facilè explicabant, nam plerique exiſtimarunt eſse illuſtrationem quandam à Genio cuicumque dato dimanantem, qua etiam occulta, & obſcura poſset attingere; Alij verò Genium ipſum cuique adſtantem, & iugiter quæ agenda, quæue cauenda eſsent edictantem voluere; Alij denique in ea fuere ſententia, vt nobis quidem adeſsent aliqui puriores ſpiritus, quorum tutela regeremur, ſed præter ipſos noſtris ineſse ānimis lumen, quo ventura præuideremus; ſicque homines quoslibet, velut quidam diuinandi principijs inſignitos, quidquid ab æternitatis abyſso præparauerint fata poſse præcognoſcere; ita tamen vt animas nobiliores illuſtriores quoq. Genij tutarentur, adductis in exemplum Genijs magnorum illorum virorum Socratis, Pythagoræ, Pompilij, Scipionis, Octauiani, & aliorum plurium, qui fatalem quamdam, ac omnino glorioſam ſortiti ſunt à Genijs naſcendi, & agendi felicitatem.

At quidquid ſit de varia Genio- 24
rum doctrina, quæ fusè in diſsertationibus allata eſt, ſiue, nimirum, Genij ſint quædam lumina animis innata, vt vult Pythagoras, ſiue ſint animi ipſi, & indoles vniuſcuiuſque vt putat Apuleius; ſiue ſint boni, & mali dæmones ab initio ad hominum regimen deſtinati, vt antiquis Ethnicis perſuaſum erat, non proinde admittendam putamus ex Geniorum dictamine diuinationem, quæ ventura perluſtret; cum enim nihil à natura inſeri homini poſſit, quod facultatem, & vires ipſius naturæ ſuperexcellat, certum eſt neque potuiſse à natura infundi hominibus lumen, quo futura dignoſcerent, cum futurorum notitia, vt ſæpius dictum eſt, ſit impar cuiuſcunque facultati, quæ à natura proueniat; Si verò lumen illud aliquid eſse ſupra naturam cuiuſcunque contenderetur, quatenus à primo rerum conditore indi-

indiium eſſet ad mala præcauẽda, atque ad bona proſequenda; iam non amplius Genius vocandus eſſet, ſcilicet ipſi naturæ congenitum ad opera naturæ perficienda; præterquamquod gratis aſſereretur tale lumen eſſe aliquid ſuper naturam, cum ipſa natura, vt aliquid debitum expoſceretur; Si denique Genij putarentur Dæmones eſſe, quid futuri poſſent nobis ſuggerere dæmones, quod ipſi ignorarent? neque enim vt toties dictum eſt futura contingentia vniuersè poſſunt dæmones attingere, & quæ ipſi diuinare non poſſunt, neque alijs poſſunt, excitato in ipſis ſpiritu vatidico, reuelare. Quare fabuloſa omnino ea putanda ſunt, quæ diù ſenſere Ethnici de adſtantibus cuique Genijs, atque de eorum dictamine, ſi intelligantur ea à Deo, vel à natura data eſſe ad diuinandum; ac denique hæc quoque res ita claudenda eſt, vt non ſit tanquam certa diuinatio admittenda ex ijs, nimirũ ex Genijs, qui adhuc apud Philoſophos ipſos incerti ſunt.

ANIMADVERSIO XI.

PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex intelligentiarum afflatu.

25 ARABES olim magni nominis Philoſophi, inter quos non ima tenet Auicenna exiſtimarunt Intelligentias miro nexu inter ſe, & cum primo principio ita eſſe colligatas, vt cunctæ ordine aliquo penderent à Deo, adeout Deus ſe intelligens produceret primam Intelligentiam, quæ prima Intelligentia, vt intelligens primum principium, produceret ſecundã ex nihilo, vt verò intelligẽs ſe produceret animam ſui orbis, & mediante anima orbem; pariter ſecunda Intelligentia, vt intelligens primam, crearet tertiam, vt intelligens ſe produceret animam ſui orbis, & ea mediante orbem; idipſum de cæteris affirmabant vſq. ad poſtremam, quæ poſtrema Intelligentia cõprehendens primũ principiũ, produceret immediatè intellectum agentẽ, & materiã primã; intellectus verò agens apprehẽdens primũ principiũ, produceret animas rationis compotes numero multiplicatas, quæ materiæ iunctæ producerent cæteras animas, & formas mortaliũ, quę formę ſingula conſtituerent cõpoſita, ſicque abſolueretur omniũ corporũ productio, & perfectio, quaſi per quamdã inſolubilem concatenationẽ, qua cũcta à primo vſque ad vltimum eſſent colligata, & per quã omnia aſcenderent, ac deſcenderent, cuius etiam virtute animæ noſtræ poſſent de omnibus diuinare, quas primæ illæ intelligentiæ intelligerent adhibito miniſterio intellectus agentis, ne dum præſentium, ſed etiam futurorũ imagines in anima excitantis; ſicq. Intelligentiarum ope

fierent in nobis de futuris diuinationes. Hæc habet Auicenna magnæ authoritatis vir inter Arabes 9. Met. cap. 4.

26 In quibus tamen acriter redarguitur ab omnibus ferè Philoſophis, vt potè malè ſentiens de Intelligentiarum productione, cum ſolus Deus ille ſit, qui creare valeat; nec fortaſsè poſſit tale creandi munus, vt pleriq. opinantur, Intelligentijs, quantumuis per ſectiſſimis conferre, ex eo quod in creatione virtus infinita exigatur ad ſupplendam infinitam diſtantiam inter eſse, & non eſſe. Sed quidquid ſit de Auicenna, cuius mos ſemper fuit à ſanioribus Philoſophis recedere, Arabum doctrina, vt plura continens abſurda, prout ſpectat ad diuinationem, omnino reijcienda ſit; ſiquidem ſupponit animam cæli præditam virtute ſentiendi, & imaginandi, quod falſiſſimum eſt, cum in cælo non inueniatur anima ab Intelligentia diſtincta, nec debent multiplicari entia abſque neceſſitate; vnde ſequitur etiam falſum eſſe animam noſtram accipere vim diuinandi ab anima cæli medio intellectu agente, & ab Intelligẽtijs animæ ſuperioribus, cũ ipſæ quoque careant hac virtute quoad futura quædam contingentia, omnino ipſis ignota; non enim poſſent accipere animæ noſtræ ab Intelligentijs, niſi quod ipſæ dare poſſent; nullo autem modo poſſunt dare intelligentiam futurorum, qua ipſæ carent vniuersè loquendo. Addo eſſe Arabibus reddendam rationem, quare ab intellectu agente horum futurorum potiùs imagines, & diuinationes excitentur, quam aliorum; ſi enim aſſererent id fieri munere Idearum, iam inciderent in opinionem Platonicorum, quæ ſupra reiecta eſt; ſi verò per aliquid aliud, id eſſet aſſignandum, & eſsent adhuc ipſis plures difficultates ſoluendæ.

Modus verò, quo eiuſmodi diuinationes excitarentur ab Intelligentijs 27
in anima noſtra adhuc improbabilis eſt, nam volunt Intelligentias, quas formas mundi apellant, nedum adſtare cęlo, ſed etiam illi perfectionem impertiri; & inſuper virtutem quamdam, quaſi lumen per vniuerſum effundere, quæ virtus, cum ſit efficiens omnium attinentium ad illam Intelligentiam, & orbem eius, dicitur ea omnia in ſe continere; hęc eadem virtus pręſertim in animam rationalem dicitur effundi, quæ illi Intelligẽtiæ ſit affinis, e aq. eſt, quæ futura patefacit. Improbabilis inquam eſt eiuſmodi explicandi modus, cum non explicetur, quid ſit illa virtus ab Intelligentia anima infuſa, cum enim deberet eſse incorporea, non pendẽs à materia, vel eſset aliqua alia Intelligentia, & ſic daretur progreſsus in infinitum, vel alia ſubſtantia ſpiritualis vt ipſa anima, quæ tamen ab Intelligentia fieri nequaquam poteſt. Igitur admiſsa diuinatione ex Intelligentijs, non ità facilè percipi poteſt, quomodo talis diuinatio contingat; Et quod captu difficillimum eſt, quaſi ad impoſſibilitatem accedit.

ANI-

ANIMADVERSIO XII. PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex Dæmonum intelligentia.

28 ARISTOTELES, qui Dæmonas apertè aſſerere,nec negare auſus eſt, non veretur tamen ſæpe ſæpius illud Dæmonium vocare, quod diuinum eſt,ſeu, quod vim aliquam diuinandi habet; ſiue id habeat, quatenus ſint etiam Dæmones diuinæ ſubſtantiæ particulæ, vt quidam errore decepti voluere, ſiue,quod ſint particulæ animæ mundanæ, quæ cum omnibus inſit rebus præſentibus,præteritis,& futuris, videtur poſſe omnia illa cognoſcere,qui tamen etiam fuit Veterum Philoſophorũ palmaris error. At quidquid ſit de eiuſmodi Antiquorum erroribus, apud quos conſtabat Dęmones, & Cacodæmones eſſe, præſertim apud Platonicos, nos, quibus diuini Euangelij, & ſacræ Scripturæ veritas illuxit, licet fide teneamus inconcuſſa Dęmones eſse, non proinde abſolutè omnium rerum diuinatores facimus;fueruntque ſemper Veterum præſtigioſa figmenta illa, quibus artẽ diuinãdi dæmonibus tribuebant; poſſunt namque Dęmones indito quodã diuinitùs naturæ lumine multa naturalia ſcire,præſentire, atq. etiam prædicere, ſed omnes omnino cõtingentes effectus nulla ratione poſsũt, licet eos acriori quodam ingenio,ac ratiocinatione coniectent; quo fit,vt quoties putamus aliquid per dęmones reuelari, ſi neceſsariã inter cauſas,& effectus naturæ connexionem excedat, ſemper ſuſpectũ,imo prorſus incredibile nobis habendũ ſit; licet plura experimenta teſtentur ſæpè vera etiã à dæmonibus fuiſse prænunciata,quod caſu tantum factum eſse potuit,vel ex ſolertiori quadam coniectura, & induſtria abſq. vlla ipſius euentus certitudine;vnde eos omnes deceptos credere fas eſt,qui tantam dæmoni adhibent fidẽ circa futuros euentus,quantam ipſi diuinæ reuelationi adhiberent, ſi illius compotes eſsent.

Nequeunt ergo dæmones vniuer- 29
ſè diuinare,neq. omnes futuros euentus prænunciare, cum id neque obtineant à ſuæ naturæ perfectione, neq. ab indito ſupra naturam diuinitus lumine; licet enim ſint ipſis congenitæ omnium rerum naturalium ſpecies, illæ tamen ea ſola repræſentant obiecta, quæ præſentiam habent, vel iam habuerunt, niſi dicantur quoddã præſentiæ genus etiã illa obiecta obtinere,quæ neceſsariò connectuntur cum ſuis cauſis tali, vel tali modo ad operandũ diſpoſitis;tũc enim quod reſpectu noſtri ignotũ eſt, cum nobis deſit etiã illarũ cauſarũcognitio,poteſt eſse

Dæmonibus notum, atq. ab ipſis prænunciari poteſt, vt eſſent futuri Eclypſes, ortus ſiderum, & cætera eiuſmodi, quæ ex rata diſpoſitione, conſtantique corporum cæleſtium motu dependent. Cæterum reliquos contingentes effectus, quos voluit Deus ex ſua prouidentia latere, licet ſint intra ordinem naturæ, nullo pacto dęmones præſcire poſſunt; dicũtur enim eſſe obiecta illa, ſi non ſupra ordinem naturæ, ſaltem præter ordinem ipſius naturæ, atq. adeo dæmonum cognitionem dicuntur excedere. Neque ex eo, quod concedantur Dæmonibus ſpecies rerum naturalium ab initio congenitæ, concedi debet futurorum omnium cognitio; ſuppoſito nãque quod habeant Dęmones eiuſmodi ſpecies rerum pro eo tempore, quo futura ſunt extitura, vel quo Deus voluerit illa ipſis reuelare, nõ eas tamen habent reprę́ſentantes pro omni tempore, vel defectu exiſtentiæ obiectorum, vel defectu diuinæ voluntatis, quæ non vult ea Dæmonibus innoteſcere. Quapropter licet datæ fuiſſent ipſis etiam ſpecies ad occulta, & arcana cordium cognoſcenda, cum actu ſunt, nequirent tamen illa obiecta repræſentare, niſi quando vellet Deus; idque ex eo præſertim, quod tale obiectorum genus, licet non ſit ſupra cognitionem Dæmonum, eſt tamen præter eorumdem cognitionem; quod pari modo de Angelis dicendum eſt.

ANIMADVERSIO XIII. PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex Influentijs Cælorum.

30 PHILOSOPHORVM quamplurimi non valentes apertas cauſas multorum effectuum in cęlis inuenire, ad influentias quaſdam occultas confugere, in hac re Aſtrologis ferè omnibus adhærentes, qui cum omnes euentus, liberos etiam, & fortuitos cælis adſcribant, nec tamen conſtet ſatis de illorum cauſis, virtutes quaſdas inter aſtra latentes produxere, quas eorum omnium cauſas ſine hæſitatione compellant; opinantes etiam ex eiuſmodi cauſis, & virtutibus, quamuis ipſis ignotis, poſse omnia ventura prædici, ac diuinari. At quidquid ſit, an præter lumen, & motum ſint in cælis admittendæ virtutes, ſeù influentiæ illæ occultæ (quod tamen pleriq. etiam Philoſophorum, & Aſtrologorũ negant, putantes pro omnibus ſublunaribus effectibus lumen cælorum ſatis eſse, in quo vis earum omnium virtutum eſse poteſt)

malè

malè ſemper arguitur ex illis certos euentus, & effectus poſse diuinari; cum enim virtutes illæ ne dum eſsentiæ, ſed etiam exiſtentiæ ſuæ incertitudinem patiantur, non videtur ſufficiens ratio ſuppetere, quomodo ex illis virtutibus, & influentijs occultis certi, ac notiſſimi deducantur effectus. Addo ex alio capite impoſſibilem eſse diuinationem futurorum ex influentijs illis occultis, cum enim influentiæ occultæ ſint eiuſdem omnino rationis in cælo, ac influentiæ Philoſophis, & Aſtrologis notæ, ſi ex notis non licet diuinare, neque licebit ex occultis; eoque magis diuinandi ratio, vel ars aberrabit, quod nulla detur virtutum occultarum notitia, quæ ſit certa. Præterquamquod virtutes illę occultæ deberent eſse maioris efficacitatis, quam virtutes cælorum, quę cognoſcuntur, vt ſunt lumen, motus, calor, & aliæ eiuſmodi; ex illa autem maiori in agēdo efficacitate deberent magis cognoſci, non ſolum in effectibus, ſed etiam in ſe ipſis. Denique cum futura, quæ vt plurimum prædicuntur ex influentijs cælorum, eorum actiuitatem, ac ſphæram excedant, nulla ratione poterunt in ipſorum virtute contineri.

31 Quod ſi dicant Aſtrologi occultas cælorum influentias eſſe neceſsariò admittēdas vt explicetur modus, quo cæli ipſi agunt in viſcera terræ, vbi mineralia producunt; quò tamen non poteſt pertingere lumen, neque calor, neque aliqua alia huiuſmodi qualitas; ac proptereà, ſi admittuntur virtutes occultæ progignentes effectus notiſſimos in rebus omnino naturalibus, admitti etiam debere quoad effectus liberos, ac fortuitos, ità vt poſſint ex illis facilè præuideri: Dictis Aſtrologorum in hac re reſpondendum eſt, quam longiſſimum eſſe diſcrimen de effectibus purè naturalibus à cælo productis, ac de effectibus liberis contingentibus, aut merè fortuitis, poſſunt namque tales effectus naturales in virtute cęlorum contineri quæcunque ſit, & ſatis eſt, quod à Philoſophis determinetur ſiue ſit lumen, ſiue calor, ſiue aliquid aliud; eo namque ipſo, quod eſt determinata à Philoſophis, non dicitur ampliùs virtus ipſis ignota, aut occulta; & hæc quæcumque ſit, potens eſt illos effectus, nedum continere, ſed etiam progignere; quod tamen affirmare non licet de effectibus liberis, & contingentibus futuris, qui ſemper virtutem illius cauſæ excedunt, quæ ab Aſtrologis ſtatuatur in cælo; & hinc eſt, quod ritè, ac phyſicè ratiocinantes, nequeant certas ducere diuinationes ex cælorum influentijs, ſiue notæ ſint, & omnibus apertæ, ſiue ignotæ, & occultæ.

ANI-

ANIMADVERSIO XIV. PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex Conſtellationibus Cælorum.

32 EO contendunt Aſtrologi futura diuinari poſſe ex cælorum conſtellationibus, quod conſtellationes ipſæ, licet effectus futuros præueniant, eos tamen poſſint indicare, vel continere pro eo tempore, quo res ipſæ ſtatum futuritionis ingrediuntur; poteſt namque ſignum virtuale, & virtualis cauſa relationem habere ad ſuum effectum, & ſignificatum in potentia, licet actu nõ ſint effectus ipſi, aut ſignificata; quemadmodum enim cauſa actu agens expoſcit terminum ſuæ actionis in actu; ita cauſa potens tantum agere terminum requirit ſuæ potentiæ actiuæ in potentia; hancque ratione conantur tueri, quomodo ex conſtellationibus, ſaltem tanquam ex cauſis, & ſignis poſſint effectus contingentes futuri præuideri etiam antequã ſint. Quam doctrinam ego quoque cenſeo non ſolum ab Aſtrologis, ſed etiam à Philoſophis eſſe admittendam, cum nulla ſit ex hac parte difficultas. Sed id, quod haud facilè percipitur à Philoſophis illud eſt, quomodo poſſit cauſa, vel ſignum quoquo modo cauſare, aut ſignificare, quando actu non ſunt; & hoc eſt quod multum faceſſit negotij in philoſophia; cum enim adueniunt illa futura, quæ talia ſunt, quia à talibus prodeunt conſtellationibus, iam conſtellationes ipſæ euanuere, & tranſactæ ſupponuntur; quomodo ergo tunc erunt illi effectus, vel ſignificata ſine ſuis cauſis, & ſine ſuis ſignis? Cauſa namque, quæ præceſſit, & amplius non eſt, non poteſt producere effectum de præſenti, præſertim cum nouę ſemper conſtellationes adueniant, ſæpè contrariæ, vel ſaltem admodum diuerſæ à pręteritis; in qua etiam re Picus Mirand. deridet Aſtrologos, quod cælorum influxus, & conſtellationes, tunc velint eſſe magis efficaces, cùm non ſunt.

Id verò, quod quidam proferunt recentiores Aſtrologi ad tuendos cõſtellationum influxus etiam in effectus non præſentes, vel non præſentibus ipſis conſtellationibus; nimirum, quod non ſit neceſſe vt perſeuerent conſtellationes poſt emiſſos influxus, ſed ſolum quod ſit opus, vt perſeuerent effectus ipſi cùm eſſe, & conditionibus receptis ab illis tranſactis conſtellationibus, mihi omnino videtur ineptum atq. à veritate alienum, cum omnino imperceptibile ſit effectus recipere ſuum eſſe non exiſtentibus ſuis cauſis, aut exiſtentibus cauſis in illis effectus præuideri, qui tunc 33

non

non ſunt, & qui varijs, & varijs conſtellationibus, quæ continuò mutantur, obnoxij ſunt; ex quo neceſse eſſet affirmare, quod ſi ex exiſtentibus conſtellationibus poſsent effectus nõ exiſtentes præuideri, poſsent pro ipſarum conſtellationum varietate, quæ fit ſingulis momentis, & ipſi varij & varij præuideri, & ita nulla de ipſis ſequeretur diuinatio certa. Quod præſertim aſserendum eſt de futuris, & ſucceſſiuis accidentibus, quæ pendent à momentanea natalis conſtellatione, in quibus maximè decipiuntur Aſtrologi rationibus ſuprapoſitis.

ANIMADVERSIO XV.

PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex efficientia Siderum.

34 EX eo præſertim Aſtrologi in ſuis diuinationibus ſibi fidem conciliare nituntur, quod omnibus in confeſso eſt, ſidera nimirum non mera ſigna eſse, ſed cauſas quoque phyſicas plurimorum effectuum, & ideo ſidera ipſa æquè ſuam cauſalitatem exercere in omnes euentus etiam liberos, & fortuitos, quos ſe iactãt præuidere; putant namque omnibus ſatis notum, ac compertum eſse non fruſtrà res inferiores eſse ſuperioribus ſubiectas, cum ab ipſis adeò apertè foueantur, moueantur, regantur; Solem ſiquidem eſse cauſam lucis, & caloris, acceſsuque, ac receſsu ſuo inducere ſeriem, ac viciſſitudinem tempeſtatum anni, procreare plantas, & animalia; ſpecialiterq. hominem generare cum homine; ex terra excitare vapores, vt concreſcant in aquam, abeant in ventos, & id genus alia, nemo eſt, qui ambigat. Lunam ſimiliter & complere, & vacuare conchylia, oſsaq. animalium; plurimùm poſſe in res omnes humeſcentes, ac in mare potiſſimùm, cuius acceſsus, & receſsus ad eius motum dicitur contemperari, nemo vertit in dubium. Dari denique alias quamplures cæli influentias, quibus reliqua quoque aſtra ſuas in hæc inferiora exerunt vires, certum eſt apud omnes: Atque ex his, quę nemo fortaſſis inficiabitur, colligunt Aſtrologi eſse admittẽdam etiam in cæteris rebus ſiderum efficientiam, & ex illa licere de omnibus fortuitis euentibus diuinare, cum contineantur in ſiderum virtute, tãquam in virtute ſuarum cauſarum; quippe, inquiunt, cum aſtra otioſa eſse non valeant, & euentus illi non ad alias cauſas, quam ad ſidera referri poſſint, ſequitur benè poſse ex aſtris ipſis à longè dignoſci.

At

35 At in hac re ea videntur Aſtrologi connectere, quæ nulla, neque experientia, neque ratio probare poteſt; mirumque eſt Aſtrologos ſæpè viros graues, & Philoſophos, qui rationem profitentur turpiter, probati in pueriles nugas, & anilia deliramenta; cum turpiſſimum ſir in philoſophia ex ſpecioſo antecedente elicere conſequẽs abſque vi vlla conſequutionis; nam licer ratione, & experientia probetur Solem variare tempeſtates, Lunam implere conchylia, & quæ ſunr alia eiuſmodi ab alijs aſtris effici, non probatur tamen euentus omnes fortuitos haberi à ſignis Zodiaci eiuſq. gradibus, aut à ſideribus, cum nulla ratio oſtendat rales effectus ad ſidera pertinere tanquam ad cauſas, cum id tantum ex ſe habeat vnumquodq. ſidus, vr lucidum ſit, vt pro ſuæ lucis modulo luceat, calefaciat, & agat omne aliud, quod ex eiuſmodi luce, ac calore promanare poreſt, nulla in ipſis ſideribus deprehenſa virtute, quæ ad effectus ſe extẽdat, qui ſint extra vim cauſandi in ipſis poſitam; Ex qua mala illatione, quam faciunt Aſtrologi ex bono antecedente reprehendunrur apud Philoſophos communiter verſus illi diuinarorij, in quibus licet ex ſuis cauſis quidam diuinẽtur effectus, non tamen euentus omnes, qui in illis recenſentur, bene diuinantur, quod facilè conſideranti patebit

Rorida ſi nubes confinxerit Iridis arcum
Pacatum mundo fædere Numen erit.
Si micet è Cælo lampas, fax, lancea, trabſque
Feruebit lõgo tempore terra nimis.
Si rugiat tonitru, tranſcendent flumina ripas
Et mutæ infauſtũ fluctibus æquor erit
Inſonet horrificum, ſiue intremat inclyta tellus
Exul erit pietas, exul & ipſa fides.
Si glacies gelidas condenſet ſaxea lymphas
Parturiet ſobolem fæmina quæque marem

nihil enim habent connexionis ſpiritualia cum corporeis, atque animata cum rebus inanimis, quæ tamen ex illis portenduntur.

Addo ſidera, cũ ſint generales ſolummodo cauſæ reſpectu horum inferiorum, poſcere rationem, vt determinatio ſingularis cuiuſq. effectus ad ſingularem aliquam cauſam, quæ in his inferioribus ſit, non ad ſidera ipſa referatur; hæc verò ſingularis cauſa non agnoſcitur ab Aſtrologis; vnde omnino præter rationem eſt, dicere vbi plures alicuius effectus ſunt cauſę, ſine quibus omnibus concurrentibus ſequuturus effectus non eſt, ſufficere, vt earum vnica noſcatur, quo de futuritione effectus pronunciare liceat; maximè cum ſint plures effectus, qui vel nullam, vel ſaltem non ita manifeſtam dependentiam habeant à ſideribus; ac proprerea ſaltem in his poſtulabit ratio, vt potiùs cauſæ inferiores agnoſcantur, quam vt ad ſidera confugiamus; dato enim, quod cęlum, & ſidera ſint complurium effectuum cauſæ, inferiores tamen cauſæ ſpecialiores ſunt, & ideò ab ipſis ſpecialiores influxus expectandi ſunt, cum ad illas tantum pertineat, vt hi effectus in 36

indi-

indiuiduo; ſcilicet hic & nunc, hoc, & non alio modo contingant; Cælum namque abſque illis nihil producere poſſet, cum influxum ſuum earum diſpoſitionibus attemperet; & ideò minùs philoſophicè loquuntur illi, qui nihil aliud putant eſſe cauſas inferiores, quam inſtrumenta cæli, cum & ipſæ reuera habeant ſuas virtutes agendi ſpeciales, quales inſtrumentis non cōpetunt; ipſæq. ſunt potiùs, quæ vtūtur cæli viribus, tanquā inſtrumentis.

ANIMADVERSIO XVI. PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex ſignificatione Siderum.

37 EX inſpectis ſideribus, tanquam ex ſignis in cælo ad diuinandum cōſtitutis ità fidenter ſuas prænotiones ferunt Aſtrologi, vt nihil veriùs eſſe putent, quā quod ipſi prædicunt aſtra ſignificare, ſiue id ſit circa aereas varietates, vt ſunt frigora, æſtus, venti, pluuiæ, & ſimilia, ſiue ſint circa hominū fortunas, coniugia, liberos, dignitates, & amicos; cum tamen id etiam vt Philoſophi noſſe deberent, quod ſi quid parere valet notitiam cuiuſpiam effectus futuri, id debere eſſe illius, vel cauſam neceſſariā, ſeù qua poſita talis effectus ſemper fiat; vel ſignū neceſſarium, ſeù quo poſito talis effectus ſemper ſequatur; eo modo quo Sol quoties accedit ad vernum æquinoctium, flores dicitur in arboribus creare, & quoties aurora ad orientē conſpicitur, ſuccedentem mox Solem dicitur habere; & ideò facile eſt prænoſſe, dum trāſigimus hyemem, proximo vere flores futuros, & dū verſamur in aurora, exoriturum breui Solem, illud ob cauſæ, iſtud ob ſigni manifeſtā neceſſitatem. Quod ſi nulla talis neceſſitas ſit, ſed vel cauſa, & ſignum aliquādo ſint abſq. eiuſmodi effectu; vel effectus aliquando abſq. cauſa, atq. ſigno eiuſmodi, perſpicuū eſt incertam omnino prænotionē eſſe, etiamſi plures fuerint obſeruationes, quæ probēt eiuſmodi cauſā, vel ſignū crebriùs cōiungi cū hoc effectu, quam cum alio. Neque hoc loci examinandum venit, an à ſupremo naturæ cōditore potuerint ſidera in ſigna omniū agēdorum, vel futurorū conſtitui; ſatis namq. eſt de facto ſidera, quę ab Aſtrologis ſigna futurorum cēſentur, ea ſignificare nō poſſe, cum deſit requiſita connexionis neceſſitas inter ſignum, ac rem ſignificatam; dato namq. quod Deus voluiſſet ſidera eſſe ſigna omnium futurorum, non proinde illorū ſignificatio omnib' innotuiſſet, præſertim ſi futura fuiſſēt ex natura ſua libera, & occulta; quod patet in Angelis ipſis, qui licet per quoſdā Theologos loquantur per ſigna, per alios medijs ſpeciebus, per alios alijs varijs eiuſmodi modis, nō poſſūt tamen Angeli per ſola illa indita ſigna loqui, vel aliorū cōceptus intelligere, niſi volentes loqui, liberè

velint manifeſtare; vnde fit, quod etiam admiſſis ſideribus in Cælo tamquam ſignis futurorum, futura tamen ſi libera ſunt, aut alio modo occulta, debeant vlteriùs manifeſtari; Idque in eorum gratiam dictum eſt, qui ſigna omniũ rerum dant in cælo, abſque eo quod res omnes manifeſtari poſſint.

38 Quæcunq. igitur ſit actio ſiderum, vel illorum ſignificatio, non propterea ex ipſis fas eſt diuinare futura, cũ & ipſa actio, & ipſa quoq. ſignificatio ad ſummum generalis ſit, non ſpecialis; quemadmodũ enim ſola cauſa vniuerſalis non poteſt continere omnes rationes, & conditiones agendi, quas habent cauſæ particulares, ita ſignum vniuerſale non poteſt niſi aliquid in vniuerſum ſignificare. Addo, quod ſi ſidera poſſent omnia futura ſignificare, poſſent etiam illa omnia tanquam cauſæ continere, cũ non ſit potior ratio de continentia, quam de ſignificatione, deberent ſiquidẽ continere ſaltem in ſignificando illas omnes loci, temporis, agentium cõditiones, quas præ ſe ferunt res ſignificatæ; quod captu difficillimum eſt in philoſophia, cum plures ex illis conditionibus ſint ad placitum agentium vel merè liberã, vel merè contingentia, & quod eſſe non poteſt, poteſt etiam non ſignificari; vnde haberetur in terminis cõtradictio; ſigna namq. vt naturalia, & vniuerſalia non poſſent omnia non ſignificare; ex alia parte res ſignificatæ; quia liberæ, & contingentes poſſent non ſignificari; Impoſſibile autem eſt dari relationem in quocunq. genere ſine termino relationis; quidquid ego ipſe alibi docuerim in Scholis præſertim de relatione tranſcendentali.

ANIMADVERSIO XVII. PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex efficacia Eclipſium.

39 PRIMORVM luminum deliquia, aliorumq. aſtrorum obumbrationes quomodocunq. prouenientes materiã ad diuinandũ de futuris euentibus omni tẽpore ſuppeditaſse, ſatis omnibus notũ eſt; quia eiuſmodi obtenebrationes fuiſſe hominibus ſummarum calamitatũ pręſagia nemo poteſt inficiari, cũ experimentis pluribus conſtet, ac diuturna temporũ obſeruatione nũquam innoxiè Solẽ ſuã faciẽ abſcõdiſse Lunæ interuẽtu contectã, vel iacturã ſui luminis Lunã ex vmbra terræ fuiſse perpeſsã ſine pernicie; cõſpicuis enim admodũ ſe ſe declararũt effectibus. luminũ deliquia, quæ varijs tẽporibus inciderunt, vel tota Luna in terræ vmbrã deuoluta, vel magna Solis parte Lunę opacitate infuſcata; nec aliud magis ſuadere nituntur Aſtrologi, quã magnas calamitates per Eclipſes hominibus imminere, atq. portendi; quod, licet præſertim affirment

ment

ment de potioribus Solis, & Lunæ Eclipſibus, confirmant tamen etiam de alijs, tam inerrantium quam errantiũ ſtellarum obnubilationibus,cum perſpicuum ſit poſſe etiã inerrantes ſtellas à Planetis occultari, licet ipſæ,nec poſſint ſe inuicem, neq. planetas occultare; quemadmodum in ipſis quoque planetis illi inferiores oportet ſint,& ſuperioribus ſubtercurrant,qui ſunt illos occultaturi; non dicuntur propriè Stellæ Eclipſim pati à Sole, cum radijs eius occultantur,cum proprij Eclipſes illi tantum ſint,in quibus tam Luna, quam quælibet inferior ſtella ſuperiorem tegere poteſt. Ex his itaq. ſiderum Eclipſibus,quicunq. ſint, varia malorum portenta omni tempore ducta ſunt, ita vt nemo in cælum ſuſpicere poſſet, quin ſpectata aſtrorum infuſcatione, ſibi mœrorum tenebras inde compararet.

40 At licet fortaſſe hoc triſte ex Eclipſibus diuinandi genus plura experimenta ſuadeant, quatenus longa euẽtuum ad Eclipſes conſecutorum obſeruatione deprehenſum ſit, clades, interitus, peſtilentias, aliaſque id genus calamitates ad orbis exitium fuiſſe profuſas, ex hoc tamẽ nil aliud colligi poteſt certò, niſi mala poſt Eclipſes in orbem aduentaſse, non verò ex Eclipſibus pullulaſſe; multa namque cõcedunt etiam Philoſophi euenire poſt alia,non tamen ex alijs tanquam ex cauſis, neque tanquam ex ſignis, quæ intrinſecam habeant ad ſignificata correlationem; neque enim vlla ratio philoſophica ſuadere poteſt, cur portentoſa faciant Aſtrologi ſiderum deliquia,cur ſingulares caſus, euentaq. triſtia præire affirment, cum neq. contra vſitatum naturæ curſum, neque inſueta, ac minus ordinaria ratione Eclipſes ipſos conſtet accidere; Luna quippe non proprio, ſed commodato à Sole refulgens lumine, non poteſt non illo exui, ac priuari, cum à regione Solis facta caligine circumfunditur, & obuoluitur terra ipſa ſoliditate ſua arcente,atque excludente Solis radios à Lunæ contactu; nec ſui occultationem euitare Sol poteſt, ſi Luna ſibi directè in eodẽ puncto ſubtenſa, noſtriſque oppoſita oculis excipiat, ac repellat ſurſum demiſſos ex alto radios; quod verò contingit conſtanti quadam motuum naturalium lege,portentum eſse non poteſt,neq. ex eo tanquam ex infauſto ſigno præter naturam dato licet malum ominari,cum ipſum nec ſit in natura malum. Addo reliqua ferè omnia ſidera, vt ſcitè notauit Caſsẽdus in philoſophia Epicuri ſuos Eclipſes pati, quos tamẽ non æquè portentoſos faciunt Aſtrologi diuinatores. Quos ſi infauſti euentus ideo Eclipſibus adſcribuntur, quod corpora inferiora conſuetis orbata illuminationibus facilè fatiſcant, fiantque prauis ſtatim obnoxia malorum incurſionibus; id ad ſummum eſſet admittendum pro illo modico tẽpore, quo benignis illis luminum influxibus carent elementaris regio, nõ pro reliquo temporis tractu, quem deſignant Aſtrologi pro Eclipſium effectibus, remotis enim cauſis, ſtatim eſſent effectus remouendi, quod tamen nolunt Aſtrologi, malorum durationem longius extendentes, quam durationem Eclipſium, duos mẽſes vt plurimum Eclipſi Lunari præſcribẽtes,duos verò annos Eclipſi Solari.

ANIMADVERSIO XVIII. PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex Eclipſium Duratione.

41 QVIDQVID in Eclipſibus accidit, cum iuxta leges naturæ contingat, nihil præter naturam portendere, aut præſagire poteſt, quod de ipſa Eclipſium duratione affirmare licet, ex qua magis, aut minùs extenſa ſolent Aſtrologi extenſiores, aut inextenſiores effectus prænotare; nihil enim aliud ex luminis priuatione contingere poteſt in ſublunaribus, quam eorum effectuum priuatio, qui per ipſum lumen habentur, & hæc tamquam effectus ex ſua cauſa prænotari poteſt; cætera verò, quæ prædicuntur, aut prænunciantur, omnino nugatoria ſunt. Quod verò naturale ſit quidquid in Eclipſibus contingit, cõſtat ſatis ex naturali methodo, qua fiunt Eclipſes ipſæ, eripitur enim alterutrius luminis ſplẽdor oculis noſtris, quotieſcunq. circa ſuarum Abſidum commiſſuras coeunt, vel inter ſe opponuntur; tam certò, tamque neceſſariò, vt ſex menſium interuallo alterutrũ vni terræ tractui bis adimi poſſe, & ratio ſuadeat, & experimento compertum ſit. Similiter naturæ lege ſtatutum eſt, vt Lunæ defectus nũquam accidat, niſi in plenilunio, Solis verò, niſi in nouilunio, dum illic nempe Sol, & Luna opponuntur è diametro; Terra autem media intercipitur, quæ vmbra ſua lumen Lunę à Sole acceptum hebetare poſſit; hic Sol, & Luna ſic coeunt in eamdem cum terra lineam, vt Luna interpoſita vices rependat, ac luce Solis orbare terram valeat. Deinde non quouis plenilunio, ſeu nouilunio defectus illi contingunt luminum, verum ſexto proximè menſe ſolum redeunt, quia nimirum orbita Lunæ Eclipticam ſecat duobus ſolum in punctis, ſeu modis, quos caput, & caudam Draconis appellant, & in quibus neceſse eſt Sol, & Luna ſint, vt certè proximè, vt Eclipſis fiat; & in diſtinctis quidem, ſeù oppoſitis, vt fiat Lunaris, in eodem verò, vt fiat Solaris; aliàs quippe Luna habente latitudinem, & diſtantiam ab Ecliptica, aut vmbra terræ ipſam non attingit, aut vmbra illius terram pręterit. Quare & cnm Sol, niſi bis in anno eſse in nodis illis queat, non poteſt Luna defectum paſſa, niſi ſexto menſe redeunte iterato deficere; neque Sol ſimiliter; niſi quod vbi Eclipſis Lunæ in ipſo met nodo contingit, poteſt Sol in nouilunio tam antecedẽti ad nodum accedens, quam in conſequenti ab ipſo met recedẽs leuiſſimum pati deliquium, vt potè Lunæ margine margini eius ſubter currente; & aliquando

do

Digitized by Google

do quidem contingit, vt nulla toto anno ſit Lunæ Eclipſis, ſi nempe duo ſint nouilunia centraliter Ecliptica; at frequens eſt tamen, vt vna, ſæpius etiā duæ contingant, quatenus per quàm crebrò contingit, vt aliquantò ante, aut poſt nodorum nouilunium ſit, atque ea ratione non poteſt, quod plenilunium, vel præcedit, vel ſequitur, Eclipticum non eſſe. Ad Solem verò quod ſpectat, vix vllus eſt annus, quo non alicubi terrarum bis, aliquādo etiam ter, Eclipſim patiatur; dico alicubi terrarum, nam reſpectu quidem alicuius determinati terræ loci pauciores fieri Solis, quam Lunę Eclipſes manifeſtum eſt.

42 Ex quibus periodicis temporibus, ac ſtatutis naturæ curſibus fit, vt tametſi aliæ fingi poſſint cauſæ, quæ Luminaribus officiant, eaque extinguāt, ipſa tamen res clamare videtur, nihil eſſe neceſſe cauſas alias ad diuinandum requirere præter dictas iam ad hoc ab ipſa natura conſtitutas; ex quibus etiam ars quædam veluti certā orta eſt prænoſcendi, ac prædicendi Eclipſes, cum cauſæ ſint veluti in natura certæ; ex quo Thales Mileſius, licet Eclipſim illam prædixerit, quam Herodotus contigiſſe memorat anno ſexto belli inter Lidos, & Medos, non multæ propterea præſcientiæ commendatus eſt. Hinc etiam certa forma, ac duratione qua prædicuntur ſolent Eclipſes contingere, cum id totum habeatur ab oppoſitione, & coitione, quam habent in nodis ipſa Luminaria, modo proximiùs, modò remotiùs accedentia; modo etiam tardiùs, modo celeriùs recedentia; ac propterea, cum diuinantur effectus ex Eclipſium forma, quæ fit vel totalis, vel partialis, & ex duratione, quæ ſit extenſior, vel minus extenſa, non poſſunt niſi effectus quidam naturales diuinari, ad illas cauſas naturales conſequētes; reliqua, quæ diuinantur, ſemper incertiſſima erunt.

ANIMADVERSIO XIX. PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex obſeruatione Cometarum.

43 PRIVSQVAM diuinationem, quæ fit ex Cometarum apparitionibus attingam, operæ pretium eſt Veterum opiniones de natura, & ſubſtantia Cometæ breuiter recenſere, non vt aliquid tandem ex tam varijs ſententijs in hac lite concludam, ſed vt ex tanta opinionum varietate incertitudinem diuinationis, quæ ſumitur ex Cometis, apertiùs euincam. Ariſtoteles igitur & tota Peripateticorum

corum

corum Schola terrena origine natum Cometam voluit in aere incendi, eſſeque exhalationem ſiccam, & calidam, quæ è terræ ſpiraculis in altum protracta paulatim compingitur, radijſque ſiderum percuſſa inflammatur, pendulum velut à primo igne incendium ſpargens. Stoici referente Seneca lib. 7. natural. Quæſt. voluere Cometas, ſicut tubas, & trabes, & alia oſtenta denſo aere creari: Democritus, & Anaxagoras, item Pythagoræi, & ante illos Chaldæi in Cælo, & numero ſtellarum errantium Cometam collocarunt, etſi non eodem modo omnes. Seneca, in hac re loco citato à Stoicis ſuis diſcedens, abſurdum putauit adeò pulchrum ſpectaculum aeri conſecrare, ſed Cometas æternos fecit, & ſortis eiuſdem, cuius ſunt cætera ſidera, etiamſi faciem non habeant ſimilem. Hippocrates Chius & diſcipulus eius Eſchylus è cælo, & aere dogma ſuum miſcuerunt, feceruntque Cometam cæleſtem quemdam ſideris globum cum aerea coma. Fabularum conditores non potuerunt ſine Cometa ingenioſi eſſe, nec conſecrare lepidiſſimum figmentum, niſi in cælum eueherent; putarunt enim Metiocham, & Menippam Orionis filias, vt Aoniam peſte liberarent, ſe ipſas immolaſſe; earumque cadauera à Plutone, & Proſerpina in ſtellas fuiſſe conuerſa. Æui noſtri opiniones potiſſimæ aere, & cælo diuiſæ ſunt; pro aere accenſo plerique Philoſophorum cum Ariſtotele; pro Cælo vero Mathematicorum nonnulli. Nos id vnum ex tot opinionibus colligimus nõ poſſe eſſe omnino certam ex Cometis diuinationem, cum adeò incerta ſit earum ſubſtantia, & natura.

44 Quidquid ſit de Cometarum natura, & ſubſtãtia, quidquid de eorum loco, forma, & figura, de quibus diſſerit egregiè Petrus Caſſendus in Meteorologia Epicuri, & Ericius Puteanus in ſuo libello de Cometa, à nobis philoſophicè loquentibus ſtatuẽdum eſt, certos non poſſe ab illis prænoſci, aut prænunciari euentus, neque fauſtos, neque infeſtos; exemplis ſiquidem plurimis, & experimentis à Philoſophis pluribus demonſtratum eſt, modo felicia, modo infauſta ad Cometas eſſe ſubſecuta; quin nunquam Cometas aliquid mali portendiſſe, niſi etiam ſimul, & ſemel aliquid boni præſeferrent; quæ experimenta rationibus ipſis philoſophicis longè potiora ſunt. Addo alios Cometarum effectus, qui dicuntur ab eorum natura promanare, ipſos quoque admodũ incertos eſſe; nam quod in primis venas creet diſſipatione exhalationum; quod tempeſtates ventorum vi; quod ſterilitatem, & ſiccitatem eductione ſucci terreni; Quod præ ſterilitate famem, rixas, ac proinde bella, & Principum interitus, itemque peſtem, quę vulgò famem, bellumque conſequitur, cæteraq. ſimilia, ferè omnino gratis, ac ſine ratione affirmatur; nam & venti, & aliç impreſſiones in aere, quę dicuntur ad Cometarum exortum, & durationem conſequi, alijs etiam cauſis facilè adſcribi poſſunt, nec adeſt ratio maior, cur potius illa omnia ſint Cometis adſcribenda; experimento ſiquidem deprehenſum eſt aerem nõ ſimiliter ad omnes Cometas commoueri, nec eaſdem impreſſiones pati;

Si

Si igitur circa has res, quæ magis naturales videntur, tãta incertitudo eſt, quid erit de illis dicendum, quæ magis arbitrariæ ſunt, vt ſunt prænunciatæ bellorum clades, regnorum euerſiones, principum interitus, & id genus alia; licet enim de Cometa canat Claudian. lib. 4. bell. Gottic.

Et nunquam Cælo ſpectatum impunè Cometen

In hac re tamen potius Philoſophis, quam Poetis fides adhibenda eſt; ſi enim anni ſteriles non forent, ſi non inualeſceret fames, ſi non graſſaretur peſtis, ſi bella non excitarentur, ſi exercitus nõ profligarentur, ſi Principes non morerentur, niſi Cometis præeuntibus, præclarè quidem illæ omnes diuinationes de Cometis circumferrentur; at, cum ſiue præfuerint Cometæ, ſiue abfuerint, omnia pari modo contingant, non ſuppetit ratio, cur potius effectus eiuſmodi referantur in Cometas, quam in alias cauſas, pręſertim cum Cometę non ſoli vni domui, vrbi, aut regioni impendant, non vnius aciei, cladi, aut exercitus deſtructioni, non vnius regis, aut optimatis morti, ſed per varias diſcurrentes regiones, totam ferè terram circumeant, alijs calamitatem afferentes, alijs felicitatem; alijs cladem, alijs victoriam, alijs funera, alijs auras vitales, & ſic de reliquis. Quod ſi Cometæ, qui vt plurimum benigni, ſalutares, atq. amabiles eſſe deberent, noſtris oculis terrifici euadunt, id noſtra dementia contingit, quæ vt plurimum Panicos ſibi obijcit timores, ac proprijs malis non contenta, extranea vndiq. adſciſcit.

ANIMADVERSIO XX.
PHILOSOPHICA
In Diuinationem ex frequenti ſiderum cadentium diſcurſione.

45 NONNVLLI, obſeruatâ præter morem ſiderum cadentium diſcurſione, Regnorum, ac Rerumpublic. caſus, vbi pręſertim obſeruarentur Stellæ cadentes, prænunciarunt, eo præſertim ducti argumento, quod ſtellę cadẽtes ſint Cometis valdè perſimiles, ac propterea neque diſpares effectus portendant. At nos illud idẽ, quod de Cometis attulimus, de ſtellis cadentibus pronunciare debemus, cum eiuſmodi cadentes ſtellæ nihil aliud ſint, quam ignes quidam minores in aere, ſeù quaſi in æthere accenſi, qui præſertim nocte ſub obſcura variè excurrere, ac deficere obſeruantur; nec aliam habent vim præſignificandi futura, quam illam, quam de Bolidis, & Lampadibus canunt Poetæ tritis illis carminibus 1. Georgic.

Sæpe

Digitized by Google

Sæpe etiam ſtellas vento impendente videbis
Præcipites cælo labi, noctiſq. per vmbram
Flammarum longos à tergo albeſcere tractus.

Vbi id, quod dicitur de noctis vmbra, ita intelligendum eſt, vt præſertim ad tales præſignificationes inter nocturnas tenebras eiuſmodi ſtellæ cadentes obſeruentur; tametſi credere par ſit non pauciores etiam interdiù præcipites labi, cum idem frigus, quod dicitur neceſſarium noctu vt antiperiſtaſi quadam in aere accendantur, poſſit etiam inter diu vigere in ſuperiore aere, imo etiam intenſiùs, & per æſtatem maximè, vt proinde habituum accenſioni ſufficere valeat; quod idem etiam proportione dicendum de cæteris cauſis.

46 Ad ſummum igitur, cum eiuſmodi cadentes, ac diſcurrentes ſtellæ ſint, vel cauſæ naturales aliquorum effectuum, vel naturales effectus quarumdam cauſarũ, poterit ex ipſis aliquid naturale prænotari, non liberum, aut fortuitum; hacque ratione putauit Achilles Tatius cum alijs Philoſophis non paucis generari eiuſmodi ſtellas per ſcintillas à ſtellis vento agitatis emiſſas, ad modum carbonum, qui dum exſufflantur, ac deteruntur, quaſdam ſui particulas dicuntur emittere, quæ ſcintillæ ſunt promicantes; & refert ipſe Tatius Aratum antiquum Philoſophum exinde ducere præſagium pro ventis conſueuiſſe; non ex eo, quod ſtellæ perpetuæ, quæ in cælo ſunt, vento agitentur, ſuique detractione has cadentes faciant; verum ex eo, quod dum hæ ſtellæ ad perpendiculum non cadunt, indicetur ventus ab ea parte flare, à qua flabellorum inſtar deflectuntur. Qui tamen modus generationi harum ſtellarum adſcriptus, cum multas patiatur difficultates, incertas quoque reddit ex illo modo diuinationes; Ariſt. namque 1. Meteor. cum alijs Philoſophis docet alio modo generari, & accendi; vult enim eſſe exhalationes calidas, & ſiccas ſurſum prouectas ea parte accenſas, quæ ad accenſionem fuerit magis diſpoſita, quod docet etiam de alijs ſtellis diſcurrentibus, quæ cadēre non diſpiciuntur, quæ vix differunt ab ipſis ſtellis cadentibus, niſi quatenus plures ſunt, quæ videantur vna, dum vna poſt aliam ſtatim genita, ac velut ſubnata apparet; voluit enim Ariſtot. eſſe exhalationes varias, quæ ſic vna ab alia propter viciniam accendantur, vt ſolent lucernæ extinctæ, & adhuc fumantes, cum ad ad motum aliarum flamma in eas excurrit, ac diſſilit; ex quo putarunt aliqui eas eſſe appellandas Capras ſaltantes; licet Ariſt. velit Caprā ſaltantem fieri, cũ inflammatio longior eſt, quam latior; Alij verò putarunt ex illis ignes fatuos, & erraticos efformari, ex quibus ſæpe ducuntur felicitatis præſagia, vt in mari, cum nautis apparent flammæ illæ, quæ dicunt Gemini ſcilicet Caſtor, & Pollux; vel vt in alijs eiuſmodi euentibus, in quibus apparent ignes lambentes, qui ſæpe regiæ dignitatis præſagia habita ſunt, præſertim tempore Seruij Tullij, in cuius vertice viſi ſunt, quemadmodũ etiam de Aſcanio cecinit Poeta

Fundere lumen apex, tactuque innoxia molli

Lam-

Digitized by Google

Lambere flamma comas, & circum tempora paſci.

Ex quibus tamen omnibus, ſi naturalis tantum & philoſophica attendatur ratio, incertiſſimæ diuinationes ſumũdæ ſunt, cum nulla adſit effectus cohærentia cum ſua cauſa.

ANIMADVERSIO XXI. PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex Meteoris.

47 DIVINATIO ex quibuſcunque rebus naturalibus ideò faciliori negotio admittitur à Philoſophis, quod ordinem, & connexionem cauſarum phyſicarum, naturas, vires, effectiones, conſenſioneſque earumdem, atque etiam in vtriſque corporibus ſimplicibus, & mixtis qualitates omnes, & accidentia ſcrutatur, indeque æſtimatis pro ſua conditione rerum omnium naturis, de ſecuturis coniectat effectionibus; cum & ipſæ cognitiones noſtrę, quantumuis certò comprehenſæ nihil aliud ſint, quàm quædam ex effectionibus, notiſque in ſenſus incurrentibus de interioribus, atque abſtruſis viribus rerum diuinationes, & coniectationes; & viciſſim ex animaduerſis ſignorum, effectuum viribus ratiocinationes futurorum præſenſiones vocentur. Potiſſimum verò diuinationes ſumi ſolẽt ex quibuſdam corporibus naturalibus imperfectè mixtis, quæ dicuntur Meteora nata in ſublimi ex vaporibus, vel exhalationibus eductis, atque eleuatis aſtrorum vi, & calore, aut de ſicciori-bus terræ locis, aut de humidis, & irriguis, ſed extenuatis, caloreq. aut frigore in igneã, aeream, vel aqueã ſubſtantiam commutatis; terra namq. cũ mediam teneat mundi ſedem, in qua feruntur cũcta, & ex qua aquis vndiq. reſperſa cuncta vaporũ, & exhalationum materia eleuatur, dicitur quodãmodo eſſe omnium Meteororũ parẽs, Sole ipſo concurrente, cuius radijs fota, quos ex aere demiſſos excipit humores; quoſque, aut ſibi inſitos, aut infuſos extrinſecùs nutrit, extenuatos in halitus, aſſidua viciſſitudine remittit; hincq. omnium meteororum habetur origo, ſiue meteora ſint ignita, ſiue aerea, ſiue aquea, quæ & materia differre dicuntur, & etiam cauſarum efficientium vi, & efficacia.

Ex his itaq. Meteoris animaduer- 48
tendũ eſt, quædam eſſe aliquid ſignificantia, quędã verò nihil ſignificantia, quæ nimirũ nihil imminẽs, aut ſecuturũ ſignificant, neq. vllas effatu dignas mutationes præmõſtrant, ſi moderata ſint, nec menſuram quantitate, aut tẽpore excedant. Ex ſignificãtibus poſſũt philoſophicè plures diuinationes

Digitized by Google

inſtitui, præſertim de cęli conſtitutione, aeriſque ex tempeſtatum mutatione, de ventis, pluuijs, turbido aere, ſerenitate, & de alijs id genus; hoc enim nihil aliud eſt, quam de ſuis cauſis effectus diuinare; quapropter plura ex Meteoris ſignificantibus non ſolum futurorum ſigna ſunt, ſed etiam cauſæ; ſigna namque & cauſæ mutationum, quæ fiunt in aere, ſunt venti, halones, Irides, Ignita Meteora omnia, ac præcipuè Cometæ; Meteora verò nihil ſignificantia dicuntur pluuię, niues, rores, pruinæ, tonitrua, & alia huiuſmodi, dummodo modum non excedant; ſi quidem ſi eorum aliquis daretur exceſſus, ſtatim aliquid portenderent, quod tamen ex principijs ipſius naturæ poſſet denotari. Remouendæ tamen ſunt hic omnino commenticiæ, & ab Ethnicis affixæ tonitruis ſignificationes, qui opinati ſunt ſonitus, fragoreſque percuſſarum nubium, & ſcintillationes emicantium flammarum diuinitùs ſuſcitari eo fine, vt calamitatis aliquid, aut detrimenti ineutiatur pro flagitijs, vel vt lęta ſpõderent pro meritis, ac virtutis operibus; cum tamen tonitrua nihil aliud ſint, quam flatus, ac vapores per nubes vagi ruentes, atque torrentium modo luctantes, vt exitum quærant, qui hùc, & illuc agitatione traiecti, ſolidiores nubium partes concutientes, ex agitationis impetu ſonitus illos horrificos, & fragores edunt; hæcque omnia cum ipſius naturæ fiant ingenio, nihil vltrà naturam debent portendere, aut ſignificare.

ANIMADVERSIO XXII. PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex afflatione Ventorum.

49 ETIAM aerea Meteora ſuas diuinationes habent, cum pro varia ipſorum afflatione variæ temporum mutationes prænoſcantur, ac prædicantur, nedum ab Aſtrologis, qui ventorũ flatus redigũt in aſtra, ſed etiam à Philoſophis, qui illos tanquã futurarũ mutationes cauſas agnoſcũt, eorumq. originẽ; vel ad terrã, vel ad aquam, vel ad aerẽ tãquã ad omniũ mutationũ ſubiecta referunt; qua Philoſophorũ doctrina redarguuntur illi, qui ventos omnes ex vno prodire loco, eſſeq. vnicum tantũ ventum affirmarunt, & illi quoq. qui licet putarent ventos varios eſſe pro varietate locorũ, per quę eos flare cõtigerit; eſſe tamen omnes eiuſdem naturæ, eoſdemq. ſemper effectus indicare, adhęrẽtes fortaſſis in hac re Poetarum figmentis, qui regẽ vnum ventis omnibus præficiunt, eumq. fingũt eſſe, qui non modo apud Virg. 1. Æn.

Impe-

Imperio premat, ac vinculis & carcere frænet

——————— qui fœdere certa

Et premere, & laxas norit dare iuſſus habenas

Sed etiam qui illos omnes vno vtre concludat, ex quo etiam omnes in vnum erumpant, vt eſt apud Homer. Odyſs. 10.

Vtrem ſoluerunt, venti omnes proſilierunt.

Certum namque eſt plures, ac varios eſſe ventos, nedum pro Elemẽtorum varietate, è quibus progignuntur, ſed etiam pro locorum diuerſitate, cum in quouis horizonte quatuor occurrant præcipuæ plagæ, nimirum, Septemtrio, Meridies, Oriens, cõdiſtincti, ſcilicet Septemtrionalis, Auſtralis, Subſolanus, & Fauonius; licet quidam apud Strabon. lib. 1. ſex ventos diſcernerent, duos præcipuos admittentes Septemtrionem, & Auſtrum, quibus ſingulis duo alij laterales adiungerentur, qui flarent hinc inde ad ortus, & occaſus ſolſtitiales; hiſque ſucceſſere alij, qui traderent eſſe quatuor vẽtos, hoc eſt, præter quatuor primores, alios quatuor à Solſtitialibus punctis; inter quos refert Vitruuius lib. 1. c. 6. fuiſſe Andronicum quemdã Cyrrheſtem, qui pro exemplo ventorum collocauit Athenis Turrim marmoream octangularem, & in ſingulis lateribus ſingulorum ventorum imagines exculpſit, ſuos cuique flatus deſignãs, collocato etiam ſupra Turrim Tritone Æneo, manu dextera virgam porrigente, qui omni vento circumactus, ſemper tamen contra flatum conſiſteret, & ſupra imaginem flantis venti indicem virgam teneret. Alij etiam cum Ariſtotele decem ventos poſuere; alij cum Varrone apud Senecam duodecim; Alij denique alias pro libito inuenere, de quibus agunt Meteorologici omnes; hæc nos tantum tetigimus, quatenus etiam ventorum numerus, diſcrimen ſolet ad diuinandum adhiberi; dicuntur namque nubibus Cælum turbare, atque implere Cæcias, & Africus, qui etiam dicuntur tẽpeſtates quaslibet anni autumnare; dicuntur contra aẽtem ſerenare diſploſis, atque depulſis nubibus Septemtrio, Thraſcius, & Corus; dicuntur denique fulgetra ciere Aquilones, & alij eiuſmodi; quo fit, vt ex eiuſmodi ventis præ cæteris mutationum diuinationes inſtituantur.

Ventorum igitur, cum in ciendis tempeſtatibus, iiſdemque ſedandis, atque amoliendis, atque etiam in aere repurgando maxima ſit vis, vt obſeruationum experimenta docent, non agricolis ſolum, ac nautis notata, ſed etiam medicis, propterea fit, quod ex ipſorum varia afflatione variæ tẽporum mutationes poſſint præcognoſci, ac prænunciari; hincque prædictiones illæ de ventis vſurpatę circumferuntur etiam apud Poetas 50

Protinus vrget hyems, Boream ſi prouocet Auſter

Offendente lutum Borea, mox terra gelaſcit

Tertia lux numquam nocturno Aquilone laborat.

Similiter à Cæcia tractum illud Prouerbium (omnes ad ſe trahit, perinde vt nubes Cæcias.) Serenant aerem Fauonij, & Septemtrionali, turbant,

Digitized by Google

obnubilanteque Auſtri, Eurus caliginoſus eſt, & ſic de reliquis, ex quibus philoſophica ratione diuinationes erui poſſunt.

ANIMADVERSIO XXIII. PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex Nubium aggregatione.

51 MVLTIFORMIS, ac varia nubium aggregatio in aeris regione cōſpecta ſolet Meteorologis multiplex eſſe diuinationis argumentum; ſiquidem denſæ, compactæque nubes ſolent humorum eſſe admodum fæcundæ, raræ, ac tenuiores in roridas guttulas liqueſcere, pinguiores, & frigore diuulſæ velut in lanarum floccos in niues euolare, alias denique in grandines, alias in pluuias, & ſic de reliquis; ita tamen vt eiuſmodi varios effectus ſemper variæ denotent ipſarum nubium aggregationes, obſeruatis præſertim plagis, ac mundi partibus, in quibus congregantur; quamuis enim in aere fiant multoties nubium aggregationes, abſque eo quod ex ipſis aliquis portendatur euētus, vt plurimùm tamen, ſi certis locis, temporibus, atque colligationibus fiant, ſolent aliquid ſecuturum ex aere, vel ex aqua prænunciare, quod tamen dicitur cauſam habere in natura, cum ſępe deprehenſum ſit fragmina nubium ex aere auulſa, ac præcipiti in valles delata motu fluminum alueos compleuiſſe, tum aggeres rupiſſe, atque exitu vndique patefacto per immenſa terrarum ſpatia vndatim decurriſſe. Verum tamen eſt, effectus ex nubium aggregatione præuiſos ſæpe ſæpius impediri poſſe, alijs ſurgentibus, atque agentibus in aere cauſis, quæ ſint frigore, vel calore validiores; quo fit, vt tempeſtatum mutationes ex Meteorologia prænūciatæ plerumque non ſuccedant; fieri namque poteſt, vt Ariſtoteles ipſe obſeruauit, vt nubes, quæ pluuiam ſolent indicare, paulatim in nubeculas, & caligines diſperſæ indicent ſerenitatem, fiantq. nubes infæcundæ, quod tunc præſertim contingit, cum in nubibus ipſis excedunt aliquæ partes nō aqueę, quę partibus aqueis in pluuiam delapſis ſolent etiam ſupereſſe, & nubeculas infæcundas contexere.

Id potiſſimum animaduertendum eſt, quod licet ex nubibus ingentes, ac diuturnę pluuiæ, & ex illis pluuijs Eluuiones quædam poſſint prçuideri iuxta illud Lucretij lib. 6. 52

At retinere diu pluuiæ, longumque morari

Conſueuerunt, vbi multa fuerunt ſemina aquarum

Atque alijs aliæ nubes, nimbique rigantes

Non

Non tamen propterea ſola naturæ vi præuideri poteſt Diluuium aliquod vniuerſale, quo tota terra abſorbeatur; id namque quod naturaliter fieri non poteſt, neque poteſt naturaliter præuideri; Si quidem licet aquas omnes in vapores abijſſe fingas, cum illi tamen rurſus in aquas fuerint reſoluti, non maior ſanè ijs excipiendis debebitur locus, quam priùs; & hinc quidquid de Diluuio Deucalionis, vel Ogygis percrebuit, accepit ex fabulis vires, cum inūdationes eiuſmodi fuerint ſolum in paucas regiones, & vrbes graſſatæ; Quin Plato in Timæo, Seneca in Q.natural. & alij plures, qui Diluuijs fauere videntur, ſaltem mōtes excipiunt, in quos perfugium pateat, quantumcunque velint, vt ſimul imbres cadant, increſcant flumina, maria ſedibus ſuis excita percurrant, & omnia vno agmine ad exitium humani generis incumbant. Quæ tamen dicta volo, ſpectata ſola naturæ vi, cum certum ſit extare in ſacris literis Diluuium Noachicum, cuius aquis cacumina celſiſſimorum mōtium cubitis quindecim fuerint ſuperata; id verò, vt perſpicuum eſt, ſolitis, aut vaporibus, aut aquis præſtari nō potuit; neque tot diebus pluere ex regione nubium poſſibile fuit naturaliter, qua- propter tale diluuium neque potuit naturaliter præuideri, licet fuerit multo ante tempore prænunciatum.

De alijs pluuiarum prognoſticis 53 multa eſſent attexenda cum Theophraſto, Plinio, Arato, Virgilio, Lucretio, & alijs; verum, cum ex earum ſignis plurima dubia ſint, aut planè fallacia, ſiue ex animalium præſenſionibus petantur, vt ex coaxantibus ranis, ex crocitantibus magno agmine coruis, & ſimilibus; ſiue ex aſtris, ex Sole, dum mane rubeſcit, ex Luna, dum paleſcit, atque id genus cæteris; ſiue denique ex alijs Meteoris, vt ex halonibus, Iride, coruſcationibus &c. idcircò relinquenda ſunt cum reliquis innumeris ſignis, quæ obſeruari ſolent, quorum oppoſita ſignificata, vt plurimùm contingunt. Quemadmodum etiam relinquuntur hic diuinationes omnes, quæ colligūtur ex pluuijs prodigioſis, quibus nihil occurrit apud hiſtoricos frequentiùs; vt plurimùm enim fabuloſa fuere illa portenta, quæ narrantur, quales fuere pluuiæ vitulorum, lapidum, & aliorum animalium, quæ vi turbinis cuiuſdam immanis abrepta eſse potuere, & in nubes tranſlata, licet inter nubes genita viderentur, atque ex nubibus deciſa.

ANI-

ANIMADVERSIO XXIV. PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex Iridis apparitione.

54 Ex Iride inter nubes apparente ea tantum pręſagia ducere par eſt, quæ vel in viribus cauſarum naturalium continentur, vel ex ſacris literis denotantur; quare ex ſacra hiſtoria Iris nil aliud ſignificare videtur, quam nullum amplius futurũ eſſe diluuium; quemadmodum ex Meteorologia id tantum colligitur, vt quandocunque Iris in aere, ſeu in nube aquę ſæta pingitur, ſignificet, aut iam cadentem, aut mox caſuram pluuiam, quod docet etiam Ariſtoteles, & ex ipſo fortaſſis Seneca, qui ait cæleſtem arcum, non eaſdem vndecunque apparuerit, minas afferre, cum, ſi à meridie oriatur, magnam vim aquarum vehat, ſi verò circa occaſum refulgeat, tantum irroret, & leuiter impluat; ſi denique circa ortum ſurrexerit, ſerena promittat. Verùm experientia conuincit nihil certi vniuersè de Iride affirmari, aut prędici poſſe; nam & quod ait Plinius lib. 18. cap. 35. & lib. 2. cap. 29. Arcus, cum ſunt duplices, pluuiam nunciare, poſt pluuias ſerenitatem, ſępenumero falſum obſeruatur, nam arcus frequẽtes ne pluuios quidem, aut ſerenos dies cum fide portendunt; tametſi enim in Iride nubes rorida ſit, & aquoſa, ea nihilominus eſſe poteſt aeris conſtitutio, vt quidquid eſt humoris facilè exhaletur, atque tenuetur in auras, neque concreſcat in pluuiam, ac proinde ſerenitas ſequatur. Quod intelligendum eſt de effectibus ſignificatis etiam ab Iride Lunari, quã Ariſtoteles memorat inobſeruatam Veteribus, & bis ſolum ſuo tempore ſupra annos quinquaginta viſam; quãuis enim doceat ipſe IridemLunarem prorſus albam eſſe, & nonniſi plurium annorum interſtitio contingere, vnica etiam menſis die, in qua plenilunium cõtingat, oppoſitum tamen euiſtum eſt tum à Cornelio Gemma, qui eam variè coloratam obſeruauit, tum etiam à Snellio, qui biennio bis apparuiſse teſtatus eſt; Ipſeque Magnus Albertus ait Iridem Lunarem viſam eſſe etiam Luna non plena; quidquid ſit, [illegible] Meteorologici iſti obſeruatores Iridem Lunarem pro halone, ſiue Area circaLunam acceperint, vt multi opinantur; Ex qua opinionum incertitudine circa Iridis naturam, colores, & apparitiones non niſi incertæ diuinationes poſſunt haberi.

55 Quod verò variè ſentiant Meteorologi de Iridis apparitione quoad colores, formam, figuram, & ſitũ adeò certum eſt, vt probatione non egeat; ſiquidem Ariſtoteles tres tantum colores

lores præcipuos adnotauit in Iride, extimum puniceum ſeu croceum, medium viridem, intimum purpureum; & quia inter puniceum, & viridem color apparet flauus, vult Ariſt. ex eo id eſse, quod color puniceus iuxta viridem veluti albeſcat. Ptolemæus verò ex Olympiodoro Iridem Septicolorem fecit; Alij non ſolum multicolorem, ſed etiam mille trahentem colores aduerſo Sole. Sic circa Iridis cauſas non omnes conueniunt, quamuis enim ferè omnes Philoſophi duplicem conſtituant ipſius Iridis cauſam, nimirum, Solem illuſtrantem, & aquoſam nubem ſitam ex aduerſo, tamen rem non explicant eodem modo; quippe aliqui apud Senecam c. 3. guttulas nubis roridæ, quas ille ſtillicidia vocat, rariores, & denſiores ſtatuunt; ſicque cum aliæ transluceant, aliæ vmbras faciant, ex mixtione lucis cum vmbra procreari Iridis colores volunt. Denique circa formam arcus volunt Anaximenes, & Anaxagoras apud Plutarchum, & alij apud alios Nubem, ex qua confingitur Iris, eſse veluti ſpeculum concauum, cuius rotunditas vel ab ipſa nube proueniat, vel à Solis imagine, quæ eſt rotunda; In quibus omnibus, cum ſumma appareat ſentẽtiarum diſcrepantia, nulla poteſt eſse ex Iride diuinandi certitudo.

ANIMADVERSIO XXV. PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex Tonitruis.

56 A PRIMIS vſque temporibus tonitrua ipſa ad diuinandum obſeruata fuere; quidam enim è Veteribus notarunt, quòd, ſi vehemens tonitruorum fragor, ac ſtrepitus ſerena tempeſtate fuiſſet exauditus, infauſti rerum euentus hominibus, rebuſque etiam ſacris imminerent; ſereno namque cælo tonare, videbatur ipſis idem perinde ac triſtes ominationes è cælo fieri, neceſque ac clades velut cæleſti tubarum clangore ad orbis exitium edictari; præſertim verò, ſi ab occaſu tonitrua increpitaſsent, aut per Septemtrionem in occaſum tranſcurriſſent; quod etiam animaduertebant, ſi multiplici ſonitu, ſed pari numero edito inciperent, ac deſinerent; ex eo namque numero in paritatem redacto diros euentus, & calamitates ſibi ominabantur. Alij contra teſtante Homero felix omen, ac lætum auſpicium tonitruis adſcribebant, ſi præſertim inſonuiſsent tonitrua ſereno cælo poſt effuſas preces, quibus à Dijs læti poſcerentur euentus; fauſtumq. etiam à tonitruis accipiebant auſpicium, ſi

ſæpius

ſæpius repeterentur cum exaudientiũ terrore; putabant namque ſic terrore illo concutiendos eſſe hoſtes, quorum victoria optabatur in prælijs, ac conflictibus ineundis. Ex tonitruis alia etiam capta fuiſſe auguria apud Veteres iam in diſſertationibus adnotaui

57 Quæ tamen ex tonitruis obſeruationes adeo ſẽper inanes fuere apud Sapientiores, vt eas ſummoperè deriderent, cum experimentis, vt plurimũ compertum ſit, nil aliud indicare tonitrua, quam temporis, vel aeris mutationem, pluuiam, vel grandinem; hæc enim ex ipſis tamquam naturalibus ſignis poſſunt facilè indicari; vel enim excitantur tonitrua ab igne fulmineo rapidiſſimè, ac validiſſimè è ſuo glomere erumpente, vt vult Pontan. in Meteor. qui circumquaque mouetur, & ſic tamquam eorum effectus præcisè ſignificantur, nec aliud ſignificãt naturaliter; vel fiunt tonitrua ex ſpirituum volutatione intra nubes, quod non improbat Seneca in Q. natur. & ſic ſumuntur tonitrua tamquam ventorum indicia intra nubes colluctantium, fluctus quoſdam, ſeù agitationes ſuſcitantium, quemadmodum præter Heraclitum, Anaſſimandrum, Anaximen, & Metrodorum videtur innuere etiam Lucretius, cum agit de tonitruorum murmure.

Sunt etiam fluctus per nubila, qui quaſi murmur
Dant, infringendo grauiter, quod item fit in altis
Fluminibus, magnoque mari, cum frangitur æſtu.

Vel coaleſcunt tonitrua ex ipſa effractione, & concuſſione nubium, cum fulmineus ignis erumpit, quod apud Stobæum opinati ſunt Leucippus, & Empedocles, vel ex effractione nubiũ vi ventorum facta, cuius ſentẽtiæ fuere Strato, & Diogenes apud Senecã, & ſic eorum, quæ portendunt naturaliter, ſatis clara præſeferunt argumenta; vel denique fiunt tonitrua ex ſola nubium colliſione, vt putauit Epicurus, & ſic poſſint inuicem collidi nubes ex aeris motione, & etiam ex congelatione, iam inde manifeſti pãduntur eorum effectus, abſque alia rerum fortuitarum diuinatione. Quomodocumque igitur habeatur tonitrus fragor, nil extra effectus naturæ poteſt portendere; inter quos tamen admittere non poſſum extinctionem illam, vel ignis ætherei, quam cogitauit Anaxagoras fieri in tonitribus, vel traſcurrentium ſtellarum, quæ incidant in nũbes, & extinguantur; non enim agnoſco, quomodo ſonus tam vehemens poſſit exoriri ex ſola luminis, vel ignis extinctione; præterquamquod non ſatis deprehenditur à Philoſophis, quinam ſit ille ignis æthereus, qui extinguitur, vel quænam aſtra, quę ſuum lumen amittant in nubium occurſu, cum nulla nubes tollatur ad aſtra,

ANI-

ANIMADVERSIO XXVI. PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex fulmine, fulgure, & coruſcatione.

58 FVLMINA quoque, fulgura, & coruſcationes pro indicijs futurorum habebantur antiquitus, itaut ſi ex ortu emitterentur fulmina, atque in eamdem partem redirent, quod Syllæ Dictatori cōtigiſſe memorant; ſi excuſſa à nubibus à terra reſilijſſent; ſi fulgura à ſiniſtra in dextram emicuiſſent, proſperos euentus prænunciare ex Numinum afflatu opinabantur. Diſtinguebantur autem fulmina & authoribus, & vſu, & finibus, nam Romani fulmina diurna Ioui, nocturna Plutoni attribuebant, & ea, quæ ſolus Iupiter eiacularetur, læta promittere, quæ verò habito Deorū conſilio aduerſa minitari putabant; Antiquiores Romanis lucos etiam, araſque & ſacra pro euocandis fulminibus habuere, & inter Deos Statores, Tonantes, Feretrios etiam Iouem habuere, quem Elicium vocarunt, quod crederent ipſum fulmina è cælo elicere, vel ciere. Porro fulminum alia nominabant purè bruta, ac vana, quæ nulla ratione naturæ contingere putabant, alia fatidica, quæ ex alto, ſtatiſque de cauſis ex ſuis ſedibus venire cenſebant; horum verò alia conſiliaria vocabantur, quæ negotijs cogitatis ſuperueniebant, alia authoritatiua, quæ rebus conſilio ſuſceptis præſidebant; Alia publica, alia priuata, alia poſtularia, alia auxiliaria, alia monitoria, quæ pro rerum diuerſitate nominabant, vt varia etiam ex illis futurorum acciperent vaticinia; quæ varia fulminum obſeruatio præſertim apud Thuſcos Veteres fuit in vſu, qui Cælum in ſexdecim partes diuidebant, & fulmina, quæ ex illis partibus ira diuiſis erumperent, ſuam putabant felicitatem, vel calamitatem afferre; multum enim apud illos referebat, vnde venirent fulmina, & quò ferrerentur, atque excurrerent, eaque præſertim dira habebantur, quæ in Septemtriones ab occaſu porrigebantur.

59 Epicurus tamen, & cum ipſo Philoſophi omnes ſanioris intelligentiæ æquè fulminum, ac fulgurū ſignificationes extra naturā inuentos deridēt, eamq. haruſpicinæ partem, quæ tāto ſtudio ab Hetruſcis exculta fuiſſe perhibetur, velut prorſus inanē reſpiciūt, quoad ea præſertim, quæ ad fulmina, & fulgura ſpectant; nā miſſis illis, quæ Seneca cæterique Philoſophi congerunt, illa præ cæteris notāda ſunt, quæ habet Tullius ad hanc rē lib. 2. de diu. qui ideo improbat ex his omnibus diuinationem, quod malè ex ijs rerum conſe-

conſequentius ſignificatio quæratur, quæ nulla vi naturæ, nulla conſtantia, nullo rato tempore effici videmus; ſi enim in illis quædam Iupiter ſignificaret non tot fulmina fruſtrà diceretur emittere, præſertim in medium mare, in altiſſimos montes, atque in eas gentium oras, in quibus illa ne quidem obſeruatione digna cenſentur. Addit Lucretius non eſſe inquirenda alia fulminum, vel fulgurum myſteria, præter illa, quæ dat natura ipſius fulminis, cum reliqua omnino ſuperuacanea ſint, ac ſine ratione excogitata

Hoc eſt igniferi naturam fulminis ipſam
Perſpicere, & qua vi faciat rem quãcumque videre;
Non Tyrrhena retrò voluentem carmina fruſtrà
Indicia occultæ Diuum perquirere mẽtes:
Vnde volans ignis præuenerit; aut in vtram ſe
Verterit hic partem: quo pacto per loca ſepta
Inſinuarit; & hinc dominatus vt extulerit ſe;
Quidue nocere queat de Cælo fulminis ictus.

Nihil enim aliud metuendum, vel iucundum portendunt fulmina, vel fulgura, quam id, quod ex eorum natura dignóſcitur, licet homines ex prima admiratione, quam ex fulminibus, atque tonitruis contaxerunt, crediderint ea effeciſſe rerum omnium præpotentem Iouem ad aliquod ſignificandum.

ANIMADVERSIO XXVII. PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex Terræ motibus.

60 POSSE Terręmotus facili negotio ex quibuſdam præcurrẽtibus ſignis præſentiri nemini dubiũ eſt; tantum enim mali in Terrœmotibus eſt, vt in ijs imminentibus ipſa inhorreſcat natura, pluraq. edat ſigna, quorum potiſſima ſunt lineæ quædam inſuetæ ex nubeculis tenuioribus in lõgum ſpatium per cęlum protenſæ, ac diù perdurantes, quæ reconditorum ventorum vi diſſlari nequeant; maris etiam præter ſolitũ intumefactiones, atque exundationes, quæ indubia eſſe ſolet etiam nauigantibus coniectura, qui ideò non minus contremiſcunt in nauibus, quam in ædificijs; Aquæ turbidiores, quę prius erant in puteis puriſſimæ, quę ſcilicet perturbatę naturę indicia ſint, ac diſſidentium Elemẽtorũ tumultũ, pugnamq. teſtentur, ſolẽt & bruta neſcio quo naturę ſtimulo cõcitata huc illuc diffugere, ac ſignificare mortalibus aliò eſſe migrandum, quem-

quemadmodum etiam Anaxagoras ex auium volatu terræmotum prædixit. Ardet etiam aliquando ante terræmotum aer, ac faces prætendit, tanquam indices futuræ ruinæ, quam ex aeris ardore dicitur animaduertiſſe Caliſthenes. Antecedit ſæpe & Lunæ defectus; addunt alij & Solis deliquium, quaſi exhorreſcat ante cælum, & clariſſimos, quos habet oculos, claudat, ne interſint exitio. Cælum ipſum indicium eſt, cum maximè pacatum, ac tranquillum eſt, & cum maximè ſilet à ventis, quaſi tunc incipiat immurmurare, atque mugire tellus, cum venti omnes, omneſque aeris commotiones concluduntur in ſpecubus, & in cauernis. Denique immane quoddam murmur è terra, quaſi pulſantium fragor armorum ſolet ipſius terræmotionem quandoq. præire; hæcque omnia ſigna, & alia eiuſmodi plura ſolent eſſe terræmotus indicia apud Diuinatores, quæ tamen an certitudinem diuinationis faciant, non adeò apertum eſt, cum plura ex his ſignis cum ſuo ſignificato naturaliter non cohæreant; præſertim cum non conſtet adhuc vniuersè, ex quibuſnam cauſis terræmotus ipſi proueniant; ſiquidem poteſt terra, & ab aqua intra eius viſcera exiſtente moueri, ſi ita partes aliquas ipſius terræ abradat, vt illæ decidant, & fundamenta terræ concutiantur, vt putauit Democritus apud Plutarchum, Senecam, & Ariſtotelem; Democritus namque voluit ſubtùs terram magna reuolui flumina, quæ vbi aquis pluuialibus torrentium modo intumuerint, varias terræ partes tum propellant, tum excedant, ſicque ex ijs collabentibus terra contre miſcat; vel etiam ex eo, quod ventus ſubterraneus ipſas vndantes aquas impellat; qua ratione putarunt antiquiſſimi Græcorum Neptunum eſſe terræ motorem, & quaſſatorem, eo quod aquarum in terrarum cauis vndâtium fluctus moueret iuxta illud Lucretij

Fit quoque vbi magnas in aquæ, vaſtaſque lacunas
Gleba vetuſtate è terra prouoluitur ingens
Vt iactetur aqua, & fluctu quoque terra vacillet.

Alij cum Thalete opinati ſunt terram aquis ſuſtentatam nauigij inſtar interdum fluctuare, maximè ſi impetu ventorum concutiatur, & hunc ipſum eſſe terræmotum, eo argumento, quod plerumque aquæ erumpant dehiſcente corpore ipſius terræ, eo modo, quo aqua in nauim per fiſſuras ingreditur; quę tamen opinio omnino reijcienda eſt, deberet namque tota terra intremiſcere, vt intremiſcit, & fluctuat tota nauis, quod non perſpicitur, quemadmodum neque ſemper aquam erumpere in terræmotibus deprehenditur; cum ſæpe etiam ignis erumpat, vt toties viſum eſt in terræmotibus Campaniæ. Alij voluerunt cum Epicuro nullam eſse cauſam motus maiorem, quam ſpiritum intra ipſam terram contentum; Alij denique docuerunt terręmotum contingere ex repentina inflammatione habitus ſulphurei, & bituminoſi, qui ignem concipiat in Cryptis illis ſubterraneis non multũ à terræ ſuperficie diſſitis. Quidquid ſit de eiuſmodi varijs opinationib⁹, id pro re noſtra colligẽdũ eſt ſigna terręmotus diuinationẽ

certam inducere non poſſe, cum pro hominum libito ita varientur.

61 At hic quod magis ad nos ſpectat, diuinatio eſt, quæ ſolet ex ipſis terræ motibus tamquam ex ſignis certis futurorum, vel imminentium malorum fieri; hæc enim multiplici ratione incerta eſſe ſolet, maximè ſi ſit de euentibus præter naturam, atque ab hominum voluntate pendentibus; vnde bella, excidia regnorum, regionum vaſtationes, quæ ex terræmotibus prędicuntur ex ipſis neque ex cauſis, neque ex ſignis naturaliter cōnexis poſſunt indicari, cum nulla ſit horum effectuum connexio cum natura. Quidam tamen euentus ex terræmotu diuinari poſſunt, vt ſunt aquarum eruptiones, quæ ſæpe fiunt dehiſcente terra, & aqua ad replendum vacuum accurrente; vt ſunt etiam incendiorum vomitus, quæ in terræ viſceribus ex halitibus bituminoſis ſolent generari, & alia eiuſmodi, quæ cauſas naturales habere poſſunt; ex illis namque poſſunt effectus argui, & etiam naturaliter prædici. De his verò terræmotus effectibus purè naturalibus plura congerunt Iulius obſequens, & Lycoſthenes in ſuis prodigijs, & etiā Ariſtoteles 2. Meteor.

ANIMADVERSIO XXVIII.

PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex Terræ Incendijs.

62 NEDVM ſua ſigna præuntia habere putant Diuinatores terreſtria incendia inopinatò erumpentia, ſed etiam euentus ipſi, qui ad talia ſubſequuntur incendia, regionumque conflagrationes; ſic putant, non multò ante quam è terræ viſceribus exurgant flammarum volumina, quaſdam inauſpicatas aues apparere, quæ circa regiones illas, ex quibus euomuntur ignes, frequentiſſimè volitāt, ad modum illius auis incendiariæ, cuius memorat Plinius per magna fuiſſe apud Romanos terriculamenta, cū illam videbant inter direptos victimę artus ominoſo aſpectu circumuolitare. Plerique etiam pro incendiorum indicijs ſumere ſolent quædam ſomnia Autumnalia, quibus maximè agitantur, & conſternantur animi etiam in vigilia; quibus tamen nullam eſſe adhibendam fidem docebat Democritus, eo quod, vt arborum folia eo tempore ventis maximè agitantur, ita eodem in ſomnijs homines turbulentis motibus iactati concutiantur. Alij ſigna incendiorū dicunt ſpectra quædam apparentia, ignemque hominibus minitantia; Alij horrendas con-

cuſſæ

cuſſæ telluris tremores, ac fragores; Alij denique alia eiuſmodi portenta pro ſignis incendiorum habuere, in quibus tamen contrarijs euētibus ſæpè decepti ſunt, cum in plerìſque ex illis ſignis nulla fuerit benè coniectādi philoſophica ratio; Quemadmodum neq. ſolida reputatur apud multos Aſtrologorum ratio, qua incendia ventura ſatagunt ex aſtris diuinare, præſertim ex deliquijs Solis, & Lunæ, ex Cometa, ex ignea trabe, & id genus alijs, vt potè ducta ex Herculis fabula, qua perhibetur, eo die, quo Solis defectum futurum præuiderat, ſe conſtructa Pyra in flammas conieciſſe, quo ſe aut diuinum probaret, aut Deum; inde enim ortum dicitur incendij præſagium ex aſtrorum deliquijs, ac propterea nulla fide ex hac parte dignum cenſendum eſt.

63 Quoad verò euentus, ſeù effectus ad incendia ſubſecuturos id in hoc diuinationis genere ſtatuendum eſt, vt illi tantum ex incendijs prænotentur effectus, qui naturaliter ad illa tamquam ad cauſas conſequuntur; vnde reliqua omnino inania exiſtimanda ſunt; qualia præſertim fuere illa apud Siculos Veteres, qui ex Etnæ incendijs ſua ducentes prognoſtica, cum incendium magis efferueſceret, exploraturi, an aliquid mali portenderet, argentea ſigilla, & etiam aurea, tum victimas omnis generis in ardentem eius voraginem tāquam in aram conijciebant, quæ dona, ſi Ætna fundo exciperet, omnia ſibi læta, ac fauſta ominabantur, ſin ea impetu flammæ regereret, foraſq. repelleret, ſiniſtra, & calamitoſa nunciari, portendique interpretabantur, rem adeo inſanam in omen legitimum cōuertentes; cum tamen effectus illi coniectorum in flāmas donorum ipſi naturæ potius eſſent adſcribendi, quam cogitatis diuinationum myſterijs; poterat namque modo flammarum impetus coerceri per pabuli defectum, cuius etiam cauſa dona illa in intimis voraginis receſſus penetrarent, modo etiam vehementiùs excitari, fomitis, & pabuli additamento; nec aliter in hac re philoſophari poſſet Amphiaraus ipſe, qui primus dicitur ignis picia inuenisse. Addo excidia, vaſtationes, & reliqua incommoda, quæ ex incendijs ſolent Aſtrologi prænunciare, vt plurimùm non accidiſſe, quod ſatis eſt, vt earum diuinationes incertæ ſint.

ANI-

ANIMADVERSIO XXIX. PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex Temporum comparatione.

64 MOS erat Antiquis præterita,& futura diuinandi ex temporum comparatione cogitatis ſcilicet temporibus, quibus ſuũ eſſe habuiſſent præterita, ſuum quoque eſsent habitura futura; cũ enim opinarentur nil aliud eſſe tempora intercurrentia, quam eoſdem vniuerſi motus, eoſdem cæli ac ſiderum curſus, inde deducebant, eoſdem etiam recurrentibus illis curſibus, ac motibus, ſtatiſque cælorum vicibus eſſe euenturos effectus; qua potiſſimùm ratiocinatione ſuas diuinationes de rebus omnibus inſtituebant. Quod verò de tempore plures ſenſerint Philoſophorum nihil aliud eſse, quam vel vniuerſi motum, vel Cæli tantum, & ſiderum curſus, refert Ariſtoteles ipſe 4. phyſ. cap. 10. vbi licet illorum Philoſophorum nomina reticeat, ait tamen ab ipſis definitum eſſe tempus motũ vniuerſi, imo ſphæram ipſam vniuerſi; ex quibus Plutarchus innuit vnum fuiſſe Platonem, qui temporis eſſentiam dixerit eſse motum cæli; alium Pythagoram, qui dixerit tempus eſse ambientis ſphęram, Alium Heraclitum, qui dixerit tempus eſse corpus quoddam ingentiſſimum, & nihil differre à corpore primo; Alium Xenocratem, qui dixerit eſse motum rerũ perpetuum; Alium denique Ariſtarchum Samium, qui voluerit tempus eſse motum telluris, cuius conſtanti conuerſione omnia in idem perpetuò conuerterentur; qui omnes, cum in tempore non eoſdem ſemper motus inuenirent, ex eorum comparationibus varia etiam futura indicabant, ſanè varijs præteritis ſimilia,ex eo,quod eædem eſsent præteritorum, ac futurorum cauſæ vel in cælo, vel in ſideribus, vel in vniuerſo, vel in Anima mundi, quæ omnia ad diuinandum conſiderabant.

In qua doctrina, ſi corruat potiſſima illa, quam adhibebant, diuinandi ratio, corruit etiam omnis eiuſmodi diuinationis probabilitas, ac certitudo; ſiquidem cum certò cõſtet Tempora, neque eſse vniuerſi motus, neq. cælorum,ac ſiderum curſus,qui etiam ſua tempora, ac durationes debẽt habere,nam & ipſi in tempore fiunt, etſi æternitati coexiſterent, inde quoque manifeſtum eſt ex illis, quæ ventura ſunt, nequaquam præuideri poſse. Addo nullam certam fieri poſse ex temporum comparatione conicctandi artem, cum licet eadem recurrant tempora, non proinde ijdem mores, eædem leges, eadem viuendi præſcripta; nec proinde eædem agendi rationes, 65

tiones, neque eædem ſemper rerum cauſæ, yndæ nimis fallax eſſet eiuſmodi ex temporibus diuinatio, ſeù coniectatio. Denique ſi ea motibus cælorum, ſiderumq. curſibus, quatenus tempora conſtituunt, poſſent euenturi effectus prænunciari, poſſent etiam ex ijſdem præuideri, quatenus eſſent cauſæ, vel ſigna rerum, quæ contingunt; at ſæpe demonſtratum eſt, non poſse omnia futura ex aſtris dignoſci tanquam ex cauſis, aut tanquam ex ſignis, igitur, neque tanquam ex temporum conſtitutiuis.

ANIMADVERSIO XXX. PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex rerum ſucceſsione.

66 RERVM omnium interitus, quæ ſub cælo sũt fuere diu Veteribus argumenta futurorum, quæ ad ortum trahenda erant; ſicq. ex ijs, quæ in dies corruptioni erant obnoxia, ſumebãt eorum indicia, quæ progignẽda forent, hacq. ratione de futuris diuinabant, opinantes tales eiuſmodi nouas res eſſe extituras, quales interire diſpiciebant, ijſdem quoque ortus, vel interitus ſpectatis circumſtantijs; cuius doctrinæ rationem à cauſis cœleſtibus accipiebant, quæ eodem ſemper tenore ad rerum ſublunarium generationem eſsent intentæ, eo ducti ſanæ philoſophiæ dogmate, quod idem manens idem, ſemper faciat idem; ex quo illud ducebant argumentum tales eſse extituros effectus, quales forent, ac perdurarent in ſuo eſse cauſæ efficiẽtes; illud etiam addentes, tales eſse futuras rerum generationes, quales erant ipſarum rerum exſolutiones; eoque vſque ſuis erroribus adducebantur Philoſophi iſti, vt ex mundi machina, quam nunc interituram agnoſcebant, alios mundos ſimiles in futurum generandos agnoſcerent, atque prædicerent, cum ita prorſus ſe habeat ſeruata proportione totum ad totum, ac pars ad partem, & quemadmodum obſeruantur in mundo partes eidem interitui, & ortui obnoxiæ, ſic obſeruare fas eſset totum mundum noui, ac ſimilis exortus participem, quò ſpectaſse videtur etiam Lucretius lib. 5. illis carminibus

Principio quoniam terræ corpus & humor
Aurarumque leues animæ, calidiq. vapores
E quibus hæc rerum conſiſtere ſumma videtur
Omnia natiuo, ac mortali corpore conſtant

Debet

Debet tota eadem mundi natura putari.
Quippe etenim quoniam partes et mēbra videmus
Corpore natiuo, et mortalibus eſſe figuris
Hæc eadem fermè mortalia cernimus eſſe
Et natiua ſimul. Quapropter maxima mundi
Cum videam membra, ac partes conſumpta regigni
Scire licet Cæli quoque idem, terræque fuiſse
Principale aliquod tempus, clademque futuram

Eadem namque neceſſitate naturæ, qua fit exſolutio vnius partis, nouaq. eiuſdem generatio in mundo, putauit Lucretius fieri poſſe exſolutiones, & generationes aliarum omnium partium, & ſic etiam totius mundi, licet noſtris temporibus videantur tantum ortus, & interitus partium particularium; quamuis enim nec facilè, nec frequenter aliquid fiat, aſſerēdum tamen non eſt, id neque omnino, neque aliquando fieri poſſe: quippe id momento ſæpè euenit, quod euenire non contigerit per aliquot annorum millia. Quin imo exiſtimarunt Empedocles, Heraclitus, & Stoici plures iam fuiſſe correptos, & genitos mundos ſimiles, atque ex cineribus alterius mūdi, qui ad hunc præfuerit, potuiſſe hunc mundum genitum etiam ante generationem coniectari, quaſi mundus eſſet inſtar Phænicis ex cineribus conſurgentis.

At fortaſſis hoc diuinationis genus 67
cæteris ineptiùs in philoſophia putandum eſt, hocque multiplici ratione, nulla enim ſuadet ratio, partes, quæ de nouo in hoc mundo progignuntur conſimiles eſse debere partibus, quæ corrumpuntur, cum ſæpe neque eamdem ſortiantur formam, neque qualitates eaſdem, aut alia accidentia ſimilia, quod ſatis experimētis ipſius naturæ deprehenditur, plura in dies generari, quæ haudquaquam ſimilia ſunt rebus, quæ corrumpuntur. Deinde id etiam pro certo habēdum eſt in philoſophia, plura obnoxia eſse interitui, quæ tamen naturaliter nequeunt regenerari neq. in ſe ipſis, cū à priuatione ad habitum, non detur regreſsus, neque in alijs, quæ ſint omnino ſimilia, vnde ſaltem ex hac parte nimis fallax, & incerta eſset diuinatio. Deniq. falſa omnino doctrina eſt illa, quæ ſupponit plures fuiſse mundos, cum vnicus à Deo in principio creatus ſit, & illa etiam, quæ ſupponit viciſſitudinnem totius mundi, ita eſse propriam toti mundo, quemadmodū propria eſt viciſſitudo in partibus totius mundi quoad generationem, & corruptionem.

ANI-

ANIMADVERSIO XXXI. PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex fatalibus Conſtitutionibus.

68 VNAQVÆQVE diuinatorum ſecta ſuum inuenit fatum, quo de futuris euentibus vaticinia funderet; in ea tamen duo potiſſimùm videntur ferè omnes conueniſse, quod dicerẽt, primò intra fati rationem eſse conſtituenda omnia corpora cæleſtia, ac ſidera ipſa, vel tamquam primarias, ac principales cauſas, vel ſaltem tamquam primarum cauſarum inſtrumẽta principalia; illi namque qui à cauſis materialibus infra lunarem orbem exiſtentibus fatum deduxerunt longè à veritate, atque à recta opinandi ratione diſtare facilè côuincuntur, cum nulla in rebus neceſſitas à materia poſſit exoriri, quæ tot mutationibus obnoxia eſt, niſi ad ſummum neceſſitas quædam in priuationibus, quæ nihil ſunt; ſecundò, quod ea quæ fato eueniunt, ineuitabili prorſus neceſſitate eueniant, ita vt quod in fato cuiuſcunque conſtituitur, nulla ratione vitari poſſit. Diſsenſerunt verò, vt principio lib. 5. de Ciuit. Dei adnotauit etiam Diuus Auguſtinus, quia eorum quidam à ſideribus, corporibus cæleſtibus Deum, & diuinam voluntatem omnino alienarunt, opinantes, virtutem tantum & actionem huiuſcemodi corporum, quocunq. modo ad nos illa delaberetur illud eſse, quod Fatum iure vocitatur; quod hæc ipſa nimirũ regeret, vrgeret, cogeret vniuerſa, à qua ineuitabili neceſſitate euenirent cuncta, quæ eueniunt; Alij vero fatalem vim, etſi à motu cæleſtium corporum, & ſtellarum configurationibus ortum ducere, & inde ad hæc ſubcæleſtia iugiter delabi faterentur, à Deo tamen etiam aliquo modo pẽdere, ac tẽperari rectiùs exiſtimarunt, ſicq. Deum ipſum, & diuinã volũtatẽ intra Fati rationem conſtituerunt; Atq. pro opinionũ diuerſitate ſtatuerũt ad diuinationes ex fato inſtituendas, vel ſolã cæleſtiũ corporũ cognitionẽ, eorumq. inclinationũ, eſse neceſsariã, vel pręter illã etiã diuinorũ decretorũ notitiã, quæ haberetur, per reuelationẽ, aut per quoſdã effectus, qui eſsent veluti ſigna, & indicia diuinę volũtatis.

Hinc etiam alij Fatum apertiùs di- 69
uidentes, aliud fatum Aſtrologicum, ſeù Mathematicum vocarunt, illudque tantummodo depẽdens ab aſtris fecerũt, aliud Fatum phyſicum, quod dicit connexionem, & colligationem quandam cauſarũ phyſicarũ immutabili ordini agentiũ, aliud deniq. fatum diuinum, quod dicit ineuitabilẽ rerum pręordinationẽ diuinitus, & ab æterno con-

Digitized by Google

conſtitutam, quod triplex Fatum ſi agnoſci poſſet ab homine, putant & benè, omnia facile poſſe ab ipſo homine diuinari; Verum cum id ſoli Deo poſſibile ſit, ipſi quoque ſoli adſcribẽda eſt futurorum cognitio perfecta, & diuinatio; ſolus namq. Deus eiuſmodi cauſarum ordinem, & colligationem, tum præteritarum, tum præſentium, tum futurarum intelligit, atque ex hac intelligentia omnia nouit, & omnia omnibus ſiue præſentia, ſiue præterita, ſiue futura, ſiue poſſibilia poteſt reuelare; quæ intelligentia ea eſt, quam Plato concedebat ſummo Ioui, qui rerum omnium cathenã manibus complicabat, hancque non ſolum Academici, ſed etiam Stoici fatalem prouidentiam nominabant. At quidquid ſit de multiplici fatorum opinione, & doctrina, nulla ex fato adſtrui poteſt futurorum diuinatio, cum fatũ ipſum nulla ratione admitti poſſit, eo modo quo explicatur à Stoicis, vel ab alijs Philoſophis ſolam rerum neceſſitatem agnoſcentibus; neq. fatum Aſtrologicum concedẽdum eſt, vt ſæpe demonſtrauimus; quod verò ſpectat ad Fatum diuinum, ſcilicet ad diuinã rerum pręordinationẽ, dico nihil ex illa diuinari poſſe præciſa reuelatione, cum nemini illa innoteſcat.

ANIMADVERSIO XXXII. PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex Animaſticis commotionibus.

70 QVASDAM inueniri in rebus omnibus animaſticas commotiones, ſiue res ipſæ ſint arte factę, ſiuè phyſicè procreatæ, aſſerebant aliqui cum Mercurio Triſmegiſto in libello, cui titulus Pimander, & etiam cum Cardano lib. de ſubtilit. ex quibus fas eſſet de quocumque euentu, vel effectu in arte, vel in natura conſecuturo diuinationes ſumere; Hinc Aſclepius putauit homines poſse Deos facere omnia diuinantes, ſi nimirum ſtatuas quaſdam efformarent, in quibus eductæ ab inferis animæ, vel Dæmones accommodarentur; putabant enim, quod eo modo, quo plerumque naturale trahitur per artem, vt ad lignum quamuis denſiſſimum flamma trahitur per oleum, vel per picem, vel per aliud eiuſmodi, ita prorſus diuinũ trahi poſſe per artẽ, & per naturam, vt dicitur de Embrione humano, qui certo modo affectus, & figuratus trahit animam humanam. Cuius doctrinæ addebat Mercurius Triſmegiſtus fieri poſſe, vt ex certis quibuſdam materijs certo cuidam Dæmoni cõgruentibus, ex quibus ritè ſit aliqua ſtatua compoſita, confeſtim certam videri Dæmonis

nis

Digitized by Google

nis attractionem; ex quo etiam docebat æquè Artem, & Naturam Magam eſse nominandam, cum admiranda eiuſmodi vtraque ſit potens ſuſcitare; Atq. ex his animationibus rerum artificialium, vel naturaliũ, cum plurimæ oriantur commotiones, ex his affirmant poſse omnes futuros euentus pro rerum diuerſitate diuinari. Sic etiam alij ex eo, quod vniuerſum hoc putarẽt animari anima quadam communi, quæ eſset per partes diffuſa in omnibus rebus ſublunaribus, dixerunt, vniuerſum hoc, modo per partes, modo per totum ita pati animaſticas cõmotiones, vt illæ præſertim, ſi ſint inſuetæ, iure meritò habendæ ſint pro futurorum vaticinijs.

71 Pro huiuſmodi animaſticis commotionibus euertendis, licet ſatis eſſe poſſent ea, quæ dicta ſunt alibi de anima mundi, deque Dæmonibus, & animabus ab inferis euocatis, quędam tamen alia dicenda ſunt; nam quomodocunque admittantur in rebus motiones illæ arte, vel natura prouocatæ, ex ipſis, ſtatuendum eſt nihil certò poſſe diuinari, cum neque animæ ipſæ, vel dæmones, quibus res animantur, habeant eiuſmodi vim futurorum diuinatricem; vnde ad ſummum ex illis motibus inſuetis, atque inopinatis argui poteſt, in ijs rebus eſſe aliquod ens animatum, non verò aliquid aliud portendere ex ijs, quæ ventura ſunt; quapropter etiamſi daretur in rebus particula illa animæ mundanæ, quæ prorſus diuina dicta eſt, vt potè à Deo ipſo progrediens, non proinde liceret ex ipſa diuinare, quæ in futurum eſſent extitura, cum ipſi quoque ignota ſint; niſi concludatur animam mundi nil aliud eſſe, quam ipſum Deum per omnia diffuſum, iuxta illud Lucani ex Orpheo deſumptum

Iupiter eſt, quodcumque vides, quodcumque mouetur

dicebat neque ad hanc rem etiã Mercurius Triſmegiſtus in Pimandro, nihil in corporibus eſſe, quod Deus nõ ſit, ipſumque eſſe quidquid eſt; ipſum eſſe, quidquid agitur, quodcunque gignitur, quodcunque intelligitur; ipſum eſſe æternitatis animam, animam mundi, & cæterorum. Quo tamen etiam poſito, vt commotiones omnes in rebus à Deo prouenire putentur, vt ab anima quadam mundi vniuerſali, non rectè tamen ex ijs futura indicari poſſunt, quæ Deus ipſe vult eſſe tenebris ignorantiæ obuoluta.

ANIMADVERSIO XXXIII. PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex Oraculorum natura,& origine.

72 DESVMPTAM diuinationem ex oraculorum origine narrat Plutarchus apud Veteres fuiſſe, ita vt etiam ab ipſa terra vatidici quidam anhelitus excitarentur, quibus mentes hominum vi quadam naturali afflatæ rerum futurarum prouidæ efficerentur; putabant enim quaſdam præſertim terræ partes tali præditas eſſe temperamento, vt vim diuinam parerent medijs ſpiritibus erumpentibus cælitùs in illas immiſſis; ſicque breuiori ſpatio has ſpirituum vatidicorum eruptiones recurriſſe, vbi terræ vis magis vigeret, magiſque idonea eſſet materia ad elaborandos habitus illos vatidicos; quemadmodum contrà tardiùs ſemper, & poſt longa interualla eaſdem rediiſſe, vbi vis effectrix illorum ſpirituum langueret, aut materia minus eſſet idonea; ob quam etiam cauſam, aiebant, quibuſdam locis toto ſemeſtri, in alijs verò certis tantum diebus reſponſa ab oraculis reddi. Denique tùm primùm eam ſe vim terræ exercuiſſe, atq. innotuiſse, quandò exactè maturuit longo tempore, & aſtrorum terræque efficacia, qualitatibus exquiſitè, fortiterque inter ſe mixtis,& earum temperie integrè abſoluta; rurſuſq. circumacta periodo, ſenſim defeciſse, ac tandē euanuiſse, vel languefacta, aut diſsoluta temperie qualitatum illi actioni accomoda, vel materia ſpirituum conſumpta, ac diſſipata; quo etiam id factum eſse opinarentur, vt certiora, ac veriora redderētur oracula, vbi acrior purior, elaboratior, ac politior eſset ſpirituum vatidicarum materia, obſcuriora verò contra, & magis implicata, & ambigua, vbi hebetior, atque impurior terræ vis, ſpirituum natura extitiſset. Sic itaque non ſolum oraculorum originem ad aliquam naturalem terræ temperiem referebant, ſed etiam vim ipſam ex oraculis diuinatricem.

Hæc habet Plutarchus fuiſse à Ve- 73
teribus quibuſdam philoſophicè excogitata, quæ tamen, vt à rei veritate maximè diſsona, reijcienda ſunt; non enim conſentaneum eſt à terra omnis rationis, ac ſenſus experte, cui nulla ineſse poteſt præſentium, vel futurorum notitia, expirationes fieri vatidicas, ſeù futurorum diuinatorias, cum id ſit in philoſophia firmiſſimum, nihil poſse dare, quod in ſe ipſo non habet; neque vnquam ſatis conſtare poterit, quomodo ſint conceſsa rei prorſus exanimæ munera naturæ intelligentis, ac ſentientis, non enim futura præ-

præſentire, aut prænoſse poteſt, quæ neque ſentiendi, neque cognoſcendi facultatem habet; neque ex ſingulari ſtellarum poſitu potuit innaſci illis terræ partibus illa vis diuinatrix, cum in ſtellis ipſis nulla ſit, vt ſæpe dictum eſt, eiuſmodi facultas. Quemadmodum igitur dicendum eſt à nulla corporea natura oraculorum originem dimanaſse, ita neque vim diuinandi, aut à naturalibus qualitatibus, aut ab alia aliqua naturali ſubſtantia exortam eſse, putare debemus, cum iam ſatis ex ſacris literis conſtet, atque ex alijs diuinis oraculis, à Diabolo in lucem fuiſse euocata ad perdendos homines, licet Diabolus ipſe ſæpe habitibus illis terreſtribus vteretur, alijſq. terræ tremoribus, vt fortaſſis huic erroneæ doctrinę fidem conciliaret; Atque ex ſolo Diabolo oraculorum ortum, ex ſolo Christo eorumdem occaſum proſilijſse ſatis teſtantur carmina illa diuinitùs extorta ab eodem Dæmone, quibus ipſe teſtatur naſcente Chriſto ſtatim oracula fore extinguenda.

Me puer Hebræus iubet hinc, Rex ille Deorum
Tartareos remeare domos, hac æde relicta
Poſt ergo ora tenens, altaria noſtra relinquas

quæ carmina perhibetur Delphicus Dæmon protuliſse cum Auguſto Cæſari interroganti Pythiam de ſucceſſore, qui poſt ipſum futurus eſset orbis terrarum Monarcha, reſpondit eum puerum Hebræum fore exiſturū totius orbis dominatorem.

Cum verò pugnet potiſſimùm philoſophia cum fabulis, ideò præſertim explicata oraculorum natura, & origo damnanda eſt, quod in fabulis, ac figmentis quoad primum eorum exordium ſita fuerit; refert namq. Diodorus, oraculum Pythium, quod totius orbis vmbilicum tenuiſse creditum eſt, cum in eo loco, vbi templum poſtea extructum eſt, terra patuiſset profunda quadam voragine, & circum paſcerentur Capræ, factum eſse repente, vt vna ex grege frequenter ad hiatum illum accederet, & quotieſcumque introſpexiſset, toties reuerſa miris, & inuſitatis geſtiret ſaltibus, vocemque ſonaret inſuetam, quę paſtor miratus, cúm accederet, & ipſe hiatum ſpectaturus, mox eodem impetu hauſto, conceptoque ſimili modo exilire, & vaticinia fundere inciperet; cuius rei fama increbreſcente, fiebat in dies cōcurſus maior ad hiatum, & quotquot aderant illi, vatidico habitu ſtatim afflabantur furibundis ſimiles euadentes; cum verò ex furore multi per præceps in hiatum deſilirent, ac perirēt, interdicto cautum fuit, ne quis amplius voraginem inſcenderet; quo denique factum eſt, vt voragini templum imponeretur, ibique futurorum reſponſa exciperentur; Atque ex hoc vbicunque reperti eſsent terræ hiatus, putabantur oracula fundi, errorem Dæmonis artificio ſæpe confirmante. 74

ANI-

ANIMADVERSIO XXXIV. PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex Oraculorum loquutione.

75 ITA loquebantur oracula apud Veteres, vt quidquid prænunciarēt, quoquo modo poſſet contingere, vnde putabant Philoſophi ipſi antiqui, quod ex ijs, quæ oracula proferrēt, vnum ſemper foret determinatè verum, alterum verò determinatè falſum, cum veritas vna tantum ſit; neque licet loquerentur oracula de futuris cōtingentibus, de quibus dicitur in philoſophia, nullam dari determinatam veritatem, poterat eorum dictis, vel reſponſis falſitas ſubeſſe, cum ita ſemper ſua ederent reſpōſa, vt aliquid ex ijs, quæ ſumma ambiguitate proferebant, verum eſſet, & tale experimenro ipſo deprehenderetur; cuius rei exemplū reddidit oraculum Apollinis Didymæi Seleuco Syriæ Regi, qui cum ſciſcitaretur de ſuo in Macedoniam reditu, quam Syriæ à monte Alexandri occupatæ coniungere cupiebat, reſponſum accepit prorſus ambiguum, & cum de morte, & loco, in quo eſſet periturus perconraretur, contrarijs prorſus dictis monitus eſt, vt Argos fugeret, & vt ad Argos aduentaret

Fatales perages annos, ſi fugeris Argos

Ante æuum fatale cades, cum veneris Argos

cuius oraculi veritatē probauit euentus, nam fugere conaretur regionem omnem ſitam ad Argos, vndè etiam Macedones Argeadæ nominati ſunt, tandem accedens ab Helleſponto ad Vrbem Lyſimachi, iam ab ipſo cæſi, ac deuicti, caſu incidit in aram, quam accolæ nominabant Argos, & ibi ex inſidijs ab hoſpite Ptolomæo Cerauno interfectus, oraculi prædicta compleuit.

Verum, tametſi ex ambiguitate 76
verborum verum aliquod omni æuo, quo perdurarunt, protulerint oracula, id minimè contigiſſe ex futurorum præſentione, aut præcognitione cenſendum eſt, quæ ipſis omnino erat indebita, & occulta, ſed vel caſu putandum id accidiſſe, vel ex regalis ipſis philoſophicis, quas optimè callebant Dæmones edentes oracula, cum notum ipſis eſſet, ex quibuſcunq. enunciationibus, quas efformarent, ſiue de præterito, ſiue de præſenti, ſiue de futuro, aliam eſſe determinatè veram, alteram verò falſam; non proinde tamen errores omnes à ſuis reſponſis arcebanr, cum plerumque etiam his, quæ diuinabant, plures ſubeſſent fallaciæ, ac deceptiones, aut ex parte tēporis,

poris, aut ex parte loci, & perſonarum, qua ratione optimè animaduertit Euſebius ſemper plus fallaciæ, ac mendacij in oraculis extitiſse, quam veritatis; vnde etiam probat oracula omnia Veterum, vel à Dæmonibus edita fuiſse, vel à veteratoribus, & præſtigiatoribus calliditate inſigni contexta; quin imo ex ipſa vocum ambiguitate, ex barbaris vocabulis, ex affectata veriſimilium textura, quæ in oraculis inueniebatur, ſæpe eorum falſitas deprehenſa eſt, experientia teſtante, quam malè ijs ceſserit, qui oraculorum hortatu ſuſceperunt bella, vel aliud eiuſmodi peregere; & inde narrat Plutarchus ſapientiores Philoſophos oracula ſemper habuiſse ſuſpecta; quemadmodum etiam Lucretius fatetur plus fidei Philoſophis ipſis eſse adhibendam, qui plura ratione philoſophica nouere, quam oraculis; nam de Philoſophis illud dicitur,

——— multa benè, ac diuinitùs inuenientes
Ex adyto tamquam cordis reſponſa dedere
Sanctius, & multò certa ratione magis, quàm
Pythia, quæ Tripode ex Phœbi, lauroque profatur.

ex quibus ſatis deprehenditur nullam fuiſse in oraculis germanam vaticinandi rationem, licet ad vaticinia ſæpiùs ſequerentur euentus.

ANIMADVERSIO XXXV.
PHILOSOPHICA
In Diuinationem ex Sacrificiorum Immutatione.

77 Ex varijs ſacrificiorum generibus, quæ fuerunt in vſu apud Ægyptios, Romanos, & Græcos, quædam in illis præcipuæ immutationes obſeruabantur, quæ eſſent eorum futurorum notæ, & indicia, quorum diuinationem per Sacrificia intentabāt; ac propterea licet, vt plurimum mactarentur oues, ſues, capræ, boues, anſeres, & gallinacei, ex hædis tamen, ac agnis præcipuas quaſdam innatas qualitates præſeferentibus, putabant multò rectiùs, & Deos conſuli, & ventura, quæ ex ſacrificijs quærebant, facilius prænoſci; cenſebant namque id animalium genus eſſe potiſſimū Dijs deuotum, aſtrorumque confluxibus ita conformatum, vt ſi in mactatione quoſdam motus, geſticulationes, contorſiones, colores, odores, & etiam ſapores ederent, inde poſſent quicunque euentus futuri coniectari; quemadmodum teſtatur Homerus quaſdam immutationes apparentes in immolatione aliorum animalium

fuiſse

fuiſſe omni æuo futurorum portenta

Protinus his ſuperi portenta oſtendere pelles
Serpere humi, verubus carnes mugire cruentæ
Aſſatæque boum, qualis vox grata fatigat.

Licet apparitiones illæ ex præſtigijs Dæmonum cenſeantur inſtitutæ, cum nulla vi naturali fieri poſsent, neque inueniri poſſet agens, quod illas immutationes ex rerum natura poſſet inducere. Solebant verò tot varios euentus ex ſacrificijs prænotare, quot erant differentiæ, ac diſcrimina rerum, quæ in ſactificijs adhibebantur; nam aut hoſtias ipſas, priuſquam iugularentur obſeruabant; aut earum exta conſiderabant, poſtquam eſſent mactatæ, & diſsectæ, aut rimabantur flammas, & fumos, qui ex incenſis, & ardentibus victimis euolabat, aut denique alias qualitates ad ſuas naturales formas conſequentes, vel nō conſequentes examinabant; vnde apud ipſos mali ominis erat, ſi victimę haud ſponte ſuos ductores ſequerentur, ſed vi eſſent trahendæ, vel ſi ex ducentium manibus ſe proripuiſsent, ac profugiſſent, ſi horridiùs iugulatæ exclamaſsent, ſi ſemianimes prouoluerentur in terram, & alia eiuſmodi ſpectanda ederent ſigna, ex quibus ipſi ſignificata ducebant offenſi atque alienati Numinis pænas, & mala minitantis; Quemadmodum contra erant læti ominis indicia, & fauentium Numinum teſtimonia, cum victimæ oppoſita ſupradictis ſigna proferrent.

In quibus obſeruationibus ſi natu- 78 ralia tantum ex qualitatibus, aut motibus naturalibus ducenda ſint præſagia, certum eſt nullos fortuitos euentus potuiſse in illis portendi, vt opinabantur veteres: cum enim illi, qui ſpectabantur effectus in animalibus ante, vel poſt immolationes ſuas cauſas naturales indicarent, omnem naturæ finem in illis indicationibus aſsequebantur; neque ad aliud fuiſse ab ipſa natura inſtitutos cenſendum eſt, cum reliqua omnia, quæ dicebantur prænotare, extra ipſorum naturam eſſent; Quid enim ad proſperos belli euentus, ad felices nuptiarum exitus, ad benè auſpicata negotiorum initia victima in ſacrificio taliter, vel taliter mota, hoc vel illo modo exuſta, ac cremata? Quid flamma celeri motu, vel tardiori victimam corripiens, his vel illis infecta coloribus, fauillas eiaculans, vel retinens? Quid *fumus* in plures orbes contortus, ac multiformi vertigine voluminatus? Quid deniq. aquæ, ſanguinis, vel vini libatio hoc vel illo modo facta, vſque ad tale vel tale ſpatium diſperſa? hæc omnia ſanè, nullam cum fortuitis euentibus colligationem habent in natura, ac propterea neque naturalia eorum indicia, ac teſtimonia eſſe poſſunt.

ANIMADVERSIO XXXVI. PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex Victimarum exploratione.

79 VICTIMARVM explorationem ad futura coniectanda Græci pariter, & Latini Extiſpicinam nominarunt; in diſſectis enim victimis præſertim ſigna quędam fauſta, vel infauſta notabant, quibus ex habitu, coloreuè extorum, & fibrarum, ex humorum affluxu, vel abſceſſu de euentuum conditione iudicabant; ſicque coniecturas ſumebant, in quam partem Numen, cui ſacrificia adornabãtur, propenderet, quibuſnam, vel lætis, vel triſtibus votis adſpiraret. Græci verò pręſertim ex inſpectione Epatis ſuas diuinationes ſolebant inſtituere, & inde ea omnia explorabant, quæ aut contingere, aut non euenire peroptarent; ſpectato namque Epate benè conſtituto, ac optimè temperato pro victimæ natura opinabantur omnia læta promitti, ſicut è contra, ipſo vitiato, aut mutilato aduerſa portẽdi, cum illud per ipſis creditum ſit Deos victimis illibatis maximoperè gaudere, morbidis verò, ac malè affectis offendi, & quam maximè ad iram commoueri; & idcircò priuſquam eos ſacrificijs adhiberent, diligenter contemplabantur, ac forinſecus pertentabant, numquid quod immundiciem argueret aliquam, vel labem interiorem aduerterent. Inchoata igitur extorum contẽplatione in victimis præſertim à iecore, ſi illud grata, & natiua purpura ruberet, nullaque inueniretur labe contaminatum; vel ſi caput iecinoris auctum, duplicatumuè, aut geminum iecur reperiretur, vel ſi extremæ fibræ verſus interiora replicatæ, ac conuolutæ viſerentur; hæc eximiæ felicitatis argumenta certiſſima dare, & magnas acceſſiones, potentiæ amplificationẽ, probationẽ finiũ, triũphos, ſumma dignitatum faſtigia deſignare augurabantur. Sic etiam cõſtitutis in Epate geminis capitibus, vnũ hoſti, alterum illi, in cuius gratiã diuinatio inſtituebatur, deſtinabant; & alterutrum eorũ, ſi vel corrugatũ emarcuiſſet, vel colorẽ habitumq. ſuũ quouis modo mutaſſet, rerũ ruinã, & conſternationẽ, aduerſaq. omnia minitari putabatur, ſi verò florido enituiſſet colore, motuq. alacri, & continuò micaſset, victoriã certã ſpondere, & ſucceſſus fæliciſſimos illi credebatur, cuius nomine victima cędebatur; atq. ex hac extorũ obſeruatione videtur Lucanus ipſe victoriã Cæſari renũciaſſe

Quodq. nefas nullis impunè apparuit extis.
Ecce vides capiti fibrarum increſcere molem

Digitized by Google

Alterius capitis pars ægra, & marcida pendet
Pars micat & celeri venas mouet improba pulſu.

Sic denique explorato Epate ad alia victimarum exta perpendenda gradiebantur, atq. ex reliquorum exploratione ſingulares diuinationes proferebant.

80 Quam tamen inſulsè, ac prorſus ſine ratione id agerent, ſępe experiméta declararunt, cum plura, quæ mali ominis apud ipſos habebantur, fauſtiſſima quæque præſeferrent; nec enim cauſa inueniri vnquam potuit, cur ex animalium partibus euentus pendere putarentur: vnum tamen vaticinij genus videtur ex extis animalium iure, ac optima ratione haberi poſſe, nimirum ſi ex iecoris inſpectione reliquæ viſcerum conſtitutiones in animalibus diuinentur; cum enim inter viſcera in aliquorum ſentētia primum omnium formetur Epar ex ſanguine menſtruo, qui ex prægnantum corpore in matricem attrahitur, & fons eſt ſanguinis, ſi ipſum valeat, vigeatq. ſanguis vniuerſus gignitur purus, naturæque conueniens, ex cuius optima diſtributione, optima fit in cęteris partibus nutritio, & ex hac optimè compactæ reliquæ partes poſſunt diuinari, etiamſi earum exploratio omitteretur; poteſt namq. optimè philoſophica ratione, cauſa ex natura deſumpta, deduci quod ſi in ſanguinis fonte nihil vitij reperiatur, reliquæ partes omnes Epati benè congruentes deprehendantur, ea facta ſuppoſitione, quod optimum nutrimentum ad eas tranſmittatur, quo perfectè alantur, & reficiantur; Cætera, quæ diuinantur, omnino extra rationem ſunt.

ANIMADVERSIO XXXVII. PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex Auguriorum notationibus.

81 AVSPICES, Augures, & rerum inopinatarum obſeruatores eo apud Veteres ſuam augurijs deuouebant fidem, quod quibuſdam ſæpe notatis ſignis, atque euentibus ex illis, artem quamdā diuinandi efformarent, qua vt plurimū adhibita ea quæ prædicerent, euenirent; non aliter ac Medici, qui cōſideratis in male valentibus quibuſdā ſignis, caſibuſq. vitæ, vel mortis, ex illis ſequētibus dicuntur phyſica quadā cognitione ſua prognoſtica pronūciare; nō aliter, ac agricolæ ex quodā inſueto auicularum volatu, ranarū coaxatione, ſuū grunnitu præſentiunt pluere philoſophica ratiocinatione ducti; nō aliter deniq. ac nautæ ex piſciū motu, & maris colore, vel ex alijs eiuſmodi ſignis ſolent imbres

& tem-

& tépeſtates etiã à longè coniectare; vt ergo nemo erat, qui hæc pręſenſionũm genera non reciperet, tamquam naturalia, ita nemo prudens, ac ſapiẽs apud Veteres habebatur, qui augurijs non crederet, atque ex illis ventura ſibi, vel alijs non præcognoſceret; & licet apud eoſdem ignorarentur cauſæ, cur ex illis ſignis certos illos notarent euentus, nõ propterea cenſebãt, eſſe augurijs detrahendam fidem, cum etiam ignorantis cauſis quãplures admittantur effectus; cum ſit ſatis ad Philoſophum conſtituendum, vt in ſuis ratiocinationibus effectum deducat ex cauſa, licet cauſa illa Philoſophum lateat; aiebat enim Cratipus, multa, Philoſophos latere, quæ tamen Philoſophiam non latent, cum non ſit Philoſophi cuiuſcũq. munus id omne ſcire, quod ſcit, & docet Philoſophia ipſa.

8 2 Quibus tamẽ nõ ita facilè admiſſis, ſtatuendũ eſt, omnes, quæcunq. ſint, auguriorũ notationes vanas omnino, ac futiles eſse, vtpotè nullã naturalem ſignificationem præſeferentes; neque enim in auiũ volatu, in victimarũ extis, in pullorum paſtu, aut alijs eiuſmodi caſu cõtingẽtibus potuit natura cõſtituere, id quod natura ipſa non potuit efficere; atq. cũ naturalis Philoſophia ea tantum ſit, quæ per cauſas procedit ad diuinandos effectus, nõ poterit ille Philoſophica ratione, aut Phyſico diſcurſu procedere, qui effectuũ cauſas, quos prædicit, nõ attingit. Dicere nãque poſse Philoſophũ effectus coniectare, tametſi cauſas ignoret, omnino abſurdũ, atq. à veritate alienum; quomodo enim certũ dęducere poteſt eſſe euenturũ effectum, ſi certã cauſam ignoret talis euẽtus? tritum ſiquidem eſt in Philoſophia determinatũ effectũ determinatã cauſam expoſcere, ex quo id etiam certiſſimè infertur certã effectus cognitionẽ certæ cauſæ notitiam ſupponere; cũ eodem modo doceãt Philoſophi res ſe habere ad eſſe, ſicut ſe habent ad cognoſci; hęcq doctrina non ſolũ extendenda eſt ad auguria, & auſpicia omnia quæ ducuntur ex cantu, paſtu, aut auium volatu, ſed etiã ad alias quącunq. res caſu incidẽtes, vt quod hoc, vel illud nomẽ auditũ ſit; quod talis, vel talis homo occurrerit iter agenti, quod in menſa ſal exciderit, aut vinum fuerit effuſum, atq. ad id genus alia, quę omnia eadẽ vanitate notãtur. Si quid verò in his maius euenit, quam vt caſu fieri cenſeri poſſit, id omne Dæmoni adſcribendũ eſt, non naturæ, vel ipſius naturæ ſignis, quæ naturã ipsã in ſuis ſignificationibus nequeunt excedere; nõ enim cogitabile eſt, quid naturaliter ſignificẽt ſigna quędã tantum ex hominũ placito ad ſignificandum inſtituta, ex quibus cõiecturæ ipſæ, quæ ſumũtur, ſine prudentia, ac ratiocinatione accipiuntur, cum neq. ſint, ex cauſis, neq. ex notis ad ea, quæ coniectantur decerptæ, quemadmodum dicuntur coniecturæ illæ, quibus vel Imperator in bello, vel rector ciuilis vtitur in adminiſtranda Rep. vel medicus in curandis morbis, vel Agricola in mittendis ſeminibus, vel nauta in prænoſcendo maris ſtatu, ac ventorum incurſu; qua propter malè comparantur ab aliquibus coniecturæ eiuſmodi, quæ cũ ratione naturali, ac diuturna experientia cõiunguntur, cum illis, quæ capiũtur ex augurijs, quæ nulla naturali innitẽtes ratione, prorſus inanes cenſendæ ſunt.

ANIMADVERSIO XXXVIII. PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex Præſenſionibus Brutorum.

83 EX eo Platonici, & Peripatetici quidam diuinationem in fatuis, ac ſtupidis eſſe dixerunt; quod in illis minimum ſit prudentiæ, & rationis, maximum verò ſenſitiuæ facultatis; quod etiam fabula illa Tyreſię diuinatoris demõſtrabant, qui non priùs diuinandi facultate à Dijs donatus eſt, quam cæcus euaſerit; qua etiam ratione in furentibus magis, quam ſanę mentis hominibus, atq. in dormientibus magis, quam in vigilantibus docuere diuinationem futurorum contingere; quemadmodum igitur ſe habent fatui inter homines ad prudentes quoad vim diuinandi, ita volunt ſe habere bruta ad hominum genus, quibus longè meliorem tribuunt futura præſentiendi modum ob prudentiæ, & rationis defectum, quam hominibus ipſis, indeq. arguunt diuinandi facultatem maximæ ſenſibus adhærere. Quam doctrinam, vt exemplis confirment, referunt piſces in mari, multò magis, quam nautas maris tempeſtates præſentire, auiculas multò magis, quam agricolas, armenta quam bubulcos, greges quam paſtores; quin etiam mures, ſi in proximam confertim abeant domum, dicunt præmõſtrarę incolis ruinam prioris domicilij. Multa etiam alia his admirabiliora narrant de brutorum præſenſionibus, quas illis videtur natura indidiſſe, ad varios prænunciandos euentus, quarum omniũ præſenſionum putãt cauſas quaſdam naturales admitti, ſcilicet maiores quaſdam brutorum compaſſiones cũ cauſis naturalibus, & corporeis; eaq. potiſſimum adducunt cauſam, quod cum animæ brutorum careant mente, ac prudentia, diuinandi quadam vi pro prudentia compenſentur; hincque fit quod præſertim Pulmones marini in pelago plurium dierum hyemem portendant, Delphini tranquillo mari laſciuientes flatum ex illa, qua veniunt parte, turbato verò mari ſpargentes aquam, tranquillitatem; Ranæ vltra ſolitum vocales, imbrem; Grues ſilentio per ſublime volantes ſerenitatem, Corui ſingulto quodam crocitantes ventos, & ſic de reliquis.

At licet futura quædam, quæ naturaliter eueniunt, poſſint bruta perſentire, cum poſſint quamplures effectus in ipſa deriuari ex cauſis naturalibus imminẽtibus, qui ſint veluti ſigna ſuarum cauſarum, non proinde vis quædam diuinatrix animantibus brutis à natura indita admittẽda eſt, qua poſſint omnia futura etiam contingentia perſen- 84

perſen-

perſentire; nō enim ex eo, quod bru-
ta fortaſſe exactiùs hominibus ſen-
tiant, non propterea concedēdum eſt
etiam exactiùs res euenturas præſen-
tire, aut præcognoſcere, cum id ſit po-
tiùs adſcribendum facultati ratioci-
nanti, quæ ex præteritis, & præſenti-
bus meliùs ventura deducit, quam vis
brutorum ſolummodo ſentiēs, & nul-
lo pacto ratiocinans; vnde in hoc de-
cipiuntur illi omnes, qui putant me-
liùs longinqua, ac ventura diuinare
fatuos, ac ſtolidos, quam prudentes,
cum illi tantum caſu colliment, ſi ta-
men quandoq. collimant, hi verò ex
prudentiæ ratiocinio. Neque ex eo,
quod dicat Franciſcus Valeſ. in ſacra
philoſoph. ineſſe brutis, & hominibus
rudioribus naturale diuinationis ge-
nus per compaſſionem cum cauſis na-
turalibus, aut per exordia indita natu-
raliter rerum futurarum, colligendum
eſt, poſſe bruta, & homines rudiores,
fatuos, ac ſtolidos diuinare, quaſi ex
ipſius naturæ habitu; fuit namq. Va-
leſij intentum ibi diſcrimen dunta-
xat ponere inter diuinationem, quæ
ſit dicenda naturalis, ſuppoſito quod
ſit, & inter diuinationem, quæ ſit di-
cenda prophetia, ſeù diuinatio ſuper-
naturaliter data, & namque quæ di-
uinant bruta, homines fatui, furentes,
ac ſtolidi, licet caſu diuinent, dicuntur
tamen naturaliter diuinata, quatenus
nullum lumen diuinitùs immittitur, vt
in prophetia ſupernaturali. Cæterùm
nullam eſſe poſse vim diuinandi na-
turaliter inditam, præter illam quæ in
cauſis, & effectibus naturalibus ver-
ſatur, iam ſatis monſtratum eſt.

Hinc Epicurus in ſua philoſophia 85
apud Caſsendum lib. 10. Meteor. li-
cet admiſerit, nō modo Cometas, Pa-
rhelia, Irides, aliaque id genus meteo-
ra haberi pro ſignis variorum euen-
tuum, qui partim in ipſa natura, par-
tim in rebus humanis contingunt, ve-
rum etiam animalium geſtus, voces,
migrationes, & reliquos eiuſmodi
motus, quibus ſæpe ſæpius denotant
inſtare ventos, pluuias, procellas, rui-
nas, ac terræmotus, non propterea vo-
luit homines, vel ſuperſtitioſis ritibus
irretiri, vel in palmares errores abire,
ſi crederent actiones illas brutorum
ab indito quodā diuino inſtinctu fu-
tura prænunciante exoriri; poſsunt
enim animalia futuras quaſdam mu-
tationes, præſertim in aere, indicare,
ac præſentire; verum non id fieri cē-
ſendum eſt, quod natura quæpiam
diuina hunc ſenſum, hanc indicatio-
nem in illis faciat, ſed quod illa ſint ea
tēperie, vt cæptas moueri cauſas phy-
ſicas illicò perſentiſcant; quod perin-
de fit, ac dum Iſchiatici, aut infirma
alia parte laborantes frigus, pluuiam,
& alia eiuſmodi præſentiant, quæ non
præſentiant validi, ac toto corpore
benè ſani; & hoc præſenſionum na-
turalium genus in brutis philoſophi-
cè ſatis deſcribit Virgil. 1. Georg. ad
illa Carmina

Cum medio celeres reuolant ex æquore
mergi
Clamoremque ferunt &c.

ANIMADVERSIO XXXIX. PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex Somniorum Interpretatione.

86 LICET difficillima ſit ſomniorum interpretatio circa res venturas, adeoque ſoli Deo, ſi ſint diuinitùs immiſſa ſomnia reſeruata, vel eius adminiſtris, quibus ipſe ſomnia reuelet, vt conſtat ex Sacris Literis, plerique tamen omni æuo ex ipſorum interpretatione artem quamdam diuinandi futura inſtituerunt, eâ ratione compulſi, quod Numina æquè vigilantibus, atque dormientibus adſtarent, & quemadmodum nullas ſineret eſse ſuo fine vacuas vigilantium operationes, ita neque dormientium; ſomnium namque à Platonicis dicitur quidam animi motus, & operatio ſuum finem intendens, & etiam aſſequens in natura; ideò pro comperto habebatur apud eoſdem animam iugiter in corpore operari, nec vnquam ſenſus internos, atque intellectum feriari, licet ſenſus otiarentur externi; quin imo animam ipſam ſomno ſopitam putabant, vtpotè ſenſationibus minimè remoratam velociori intuitu penetrare ad futura; in quorum indagatione, tametſi pluries deciperetur, vt plurimum tamen in verũ collimare; cum mentis acies ſenſibilium operationum veluti laxata tumultu, clariùs obiecta percipiat, quam vigiliæ curis detenta; quamobrem Socratem ipſum per ſomnia vaticinantem maximè mirabatur antiquitas, quæ, cum ſomniorum interpretes quamplures haberet mendaces, ad ipſius Socratis interpretationem pro myſterijs ſomniorum reuelandis confugiebat, cui tamen etiam perdifficile erat fatorum imagines, vel futurorum portenta per tenebras dignoſcere; ex cuius tamen doctrina illud ortum perhibetur documentum, ſomnia circa auroram eſſe obſeruanda, in qua primum albeſcente putabant Veteres firmiorem fidem eſſe adhibendam; cum tunc dulciori quiete futura explorentur, tuncque emergat magis animarum vigor ad diuinandum iuxta illud de ſomnijs vulgatum oraculum

Namque ſub aurora iam dormitante lucerna
Tempore, quo cerni ſomnia vera ſolent.

licet Aſtronomi doceant poſſe omni tempore, atque omni hora obſeruari ſomnia eorumque interpretationem quoad diuinationem euentuum adhiberi; dummodo conſiderentur aſtrorum aſpectus pro eo tempore, quo res ipſæ ſomniantur.

87 Ex his quamuis conſtet apud veteres adhibitam omni æuo fuiſſe ſomniorum

niorũm obſeruationem, atque interpretationem circa euentura, teſtante Iamblicho in lib. de Myſt. Ægyptiorum ſomnia quæcunque, ſed præſertim à Dijs immiſſa explicante oraculo indigere, præter ea tamen, de quibus idem exploratũ ſit à Deo demitti ad aliquid reuelandum, qualia fuere ſomnia Pharaonis, Nabuchdonoſor, & aliorum in ſacris literis, quæ exponebant Prophetæ, vel alij viri ſanctitate inſignes; & etiam præter illa, quæ dicunt ſigna, cauſæ, vel effectus naturales aliquorũ rerum, omnis alia ſomniorum interpretatio, obſeruatio, vel diuinatio incerta putanda eſt; qua ratione docebat etiam D. Auguſt. lib. de ſpirit. & Anim. ſomnia eſse ſemper incertiora ipſis inſomnis, aiebat enim D. Auguſt. maximum verſari diſcrimẽ inter ſomnium, & inſomnium, eo quod ſomnium illud eſſet, quod eſſet pluribus figuris rectum; atque ad eo non poſſet ſine interpretatione intelligi; Inſomnium vero eſſet illud, quando poſtquam diu res aliqua vigilantem fatigauit, tandem etiam dormienti ſe offert, & inde dicitur cauſam merè naturalẽ habere; cuius generis ea sũt omnia, quæ Claud. deſcribit in venatoribus, Iudicibus, & aurigis

Venator defeſſa thoro cum membra reponit
Mens tamen ad Syluas, et ſua luſtra redit
Iudicibus lites, aurigæ ſomnia currus
Vanaque nocturnis meta cauetur aquis.

de quorum tamen incertitudine, aliquid in animaduerſione ſequenti dicturi ſumus, licet affirmet Plutarchus in vita Luculli nihil certius, nihil credi dignius eſſe, quam quod per inſomnia fuerit præſignatum; poſsunt namque in ſomnia ipſa ſæpe ſine cauſis naturalibus contingere, ex quibus ſola diuinationis certitudo haberi poteſt, cum tamen, & ipſæ cauſæ naturales nequeunt impediri.

ANIMADVERSIO XL. PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex cauſis Somniorum.

88 FIVNT ſomnia, vt docet Ariſt. in lib. de ſomn. ex rerum ſenſilium ſpeciebus in memoria, vel imaginatiua, vel in ſenſorijs externorum ſenſuum reſeruatis; atque ad ea excitanda præter proprias in vnoquoque ſpirituum motiones conferunt etiam animi affectiones, corporis tempeſtamenta varia; ciborum æqualitates, artium, & conſuetudinum profeſſiones, pro quarum rerum diuerſitate diuerſa quo-

ſa quoque, & diuerſis temporibus ſomnia excitantur; iſque etiam eſt ſomniorum finis à diuina prouidentia inſtitutus, vt natura in omnibus otium & torporem deuitet, ac ſemper operetur; ſicque anima etiam ſomno ſopita quoquo modo operetur, neque omnino torpeſcat; cum enim animæ cura corporis pro omni tẽporis momento fuerit demandata, neceſse etiam fuit, vt ipſa anima, velut optimus cuſtos arci ſibi ad cuſtodiam cõmendatæ iugiter inuigilaret. Cum verò tria ſint ſomniorum genera, quædam, nimirum, ſigna eorum quæ nobis eueniunt, quædam cauſæ, quædam ex accidenti nobis tantum connexa, & copulata, in omnibus his animaduertendæ ſunt cauſæ, antequam ad decerpendam ex ipſis diuinationem accedamus, quod præſertim agunt Medici, qui dum morbo laborantes de ſomnijs interrogant ab illis, qui ſomniant ſe per ignem tranſire, ſignum arguunt atræ bilis dominantis, & diuinant ex illa morbi incrementum, atque decrementum, & ſic de reliquis corporis humoribus, & affectionibus, ex quibus plures euentus poſsunt à Medicis prænunciari, cum ſint ipſis ſomnia connexa, vel tanquã ſigna, vel tanquam cauſæ, vel tanquam effectus; Longè verò difficiliùs eſt ex ſomnijs, quæ fiunt in homine ex accidenti diuinationes, & prognoſtica inſtituere, cum eiuſmodi ſomnia ex innumeris cauſis ortũ habere poſſint, tum intrinſecus, tum extrinſecus occurrentibus; nam licet omne ſomnium, vt ab origine, pendeat ex ſpeciebus ſenſilium reſeruatis, attamen, cũ illis innumera alia copulari poſſint, per quæ ex accidenti innumeræ ſomniorũ imagines excitari ſolẽt, propterea difficillimum eſt ex hoc ſomniorum genere diuinationes efformare.

Ratio itaque diuinandi ex cauſis 89
ſomniorum multiplex eſse poteſt, ſicut multæ eſse poſſunt ſomniorum cauſæ; at ea prȩſertim fundamentum in re habet quæ fit ex cauſa diuina ſomnia imittente, vel per ſomnia aliquid reuelante, & ex cauſa aliqua naturali, cum qua connectantur euentus. Cæterum ex nocturnis ſomnijs, & viſionibus nil aliud poteſt anima cognoſcere, quã ſui corporis ſtatum, & circa illud aliquid diuinare; neq. id omninò manifeſtè, ſed quaſi per nubem; quapropter ex rebus ſæpius in ſomnijs obſeruatis, quæ poſtmodum corpori ſuperuenere, alia aduẽtura ſimilia poſsunt ſomniãtes colligere, & diuinare, non alia tamen diuinandi vi, quam ratiocinatione, inductione, & coniectura veritati proxima; ex quo Medici potiſſimùm ſua prognoſtica ſolent inſtituere, & ad morborum prȩcautionem regulas quaſdã conſtituere, & remedia prȩſcribere, cum tamen reliquæ diuinandi artes ex ſomnijs omnino confictȩ ſint, fallaces, cõmentitiæ, atque deceptoriæ, & ſi quid eorũ, quæ ratione ex cauſis naturalibus non colliguntur, cõtingat, totum fortuitum, & parum cõtingens putãdum eſt; neq. mirũ eſse debet, quod ſæpe, & tam multa ſomniantes, aliquando in res venturas verè incidamus, cuius generis ea omnia ſunt, quæ refert Cicer. in lib. de diuinat. accidiſse Eudemo Cyprio, Ptolemæo Alexandri Magni familiari, Alexandro Tyranno, & alijs contigiſse.

ANI-

ANIMADVERSIO XLI. PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex Somniorum Proprietatibus.

90 VARIÆ ſomniorum proprietates à Platonicis excogitatæ, varias etiam eorundem obſeruationes peperere, quibus vtebantur ad certiore methodo ex ipſis diuinandum; ſiquidem, ſi ſomnium per modum oraculi immitteretur, apparente in ſomnis aliquo Numine loquente, putabant certò euēturum, quod in ſomno enunciabatur; Si per modum viſionis, re nimirum in ſomno optato euentui per præſentiam reſpondente, ſperabant res euenturas ſine mora, vti apparuerant; ſi per modum ſomnij, quod tectum figuris, & velatum ambagibus ſine interpretatione intelligi non poterat, inferrebant inde euentus multiformi viciſſitudini obnoxios; ſi per modum inſomnij, quod ſe offert dormienti, eo prorſus modo, quo res ipſa diù vigilantem fatigat, opinabantur euentura fore omnino votis conformia; Si denique per modum phantaſmatis, quod inter ſomnum, & vigiliam ſenſus ſemiſopitos adoritur, augurabantur inde fauſtiſſima quæque, quæ per phantaſma eſſent inter vigilandum, & dormiendum oblata. Atque ex his varijs ſomniorum proprietatibus, quas ennumerat Macrobius lib. 1. de ſomn. Scipion. cap. 3. & etiam Diuus Auguſtin. lib. de ſpiritu, & Anima cap. 25. varias etiam diuinationum ſpecies colligebant, eo dumtaxat fundamento, quod nihil ad diuinandum aptius de futuris eſse poteſt quam ſomniorum obſeruatio; non enim ſolum multum ſomnijs tribuebant, ſed ea omnia aliquid portendere autumabant, vel ex ſui natura, vel ſaltem vt cælitus immiſsa; in qua ſententia præter Platonicos fuere etiam Pythagoræi, & Stoici ferè omnes; vnde factum eſt, quod Veterum pleriquè de ſomniorum interpretatione ſcriberent, tamquam de re ad diuinandum ſummoperè neceſſaria, inter quos celebriores fuere Antiphon, Philocia, Artemon, Serapion Aſcalonites, & poſtremis temporibus Artemidorus Daldianus.

91 Fuere tamen ex aduerſo conſtantiſſimè contra ſomnia pugnātes Epicurei omnes, Cynici etiā Philoſophi, & Stoicorum quamplures, cū quibus Cicero lib. 1. de diuin. vniuerſam ex ſomnijs ſuſtulit diuinationem, ridiculum omnino putantes ineſse ſomnijs aliquid diuinitatis, & diuinationis, ac propterea pari modo eſſe obſeruandas eorum proprietates, ſicut obſeruātur in æthere vaporū, ac nubiū

Digitized by Google

figuræ, quæ in ipſa obſeruatione diſpereunt; quorum ſententiæ etiam viſi ſunt adhærere Peripatetici arguentes nullam ijs ineſſe proprietatem, quibus nulla prorſus eſt eſſentia; cum verò nulla ſit in ſomnijs eſſentia ad diuinandum, ſi excipiantur naturalia, & ea, quæ ſunt ad hoc diuinitus immiſsa, ſequitur etiam nullam ineſse ad diuinandum proprietatem; quod præſertim intelligendum eſt de illis ſomnijs, quæ ſine cauſa ſolent in nobis contingere; ſi enim contingant diuinitùs, vel ex cauſis naturalibus, vtique fatendum eſt, poſſe ex ipſis plura naturaliter intelligi; & ex hoc Medici plura naturaliter ſolēt coniectare, quæ ad corporis, & animi affectiones ſpectant; haſque ſomniorum coniecturas, & diuinationes nulla improbant iura, ſed ea tantum improbant, quibus temerè fortuiti diuinantur euentus, quod diuinationis genus à Græcis Onirocriticum eſt appellatum; Quid enim connexionis habere poteſt cum ſomnio noſtro numquã cogitatus euentus? Quid cauſæ ſomnium cum euentu, qui illius ſomnij effectus eſſe non poteſt? ac propterea docet optimè Cicero genus dementiæ eſſe, effectum ſine cauſa ponere, remque ſignificatam ſine ſigno.

ANIMADVERSIO XLII. PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex Somniorum exemplis.

92 OLIM Stoici oſtendere conabantur Deum ſomnia ſæpius immittere, & per ea futurum aliquid præſignificare, quod probabāt multis hinc inde congeſtis exemplis, quæ in hiſtorijs referebantur, in quibus multa per quietem viſa, ita contigiſse poſtea legebantur, ſicut in quiete, & in ſomno viſa fuerant; eaque non pauca commemorat Tull. 1. de diuinat. & etiam Valer. Maxim. Sic Cæſar, qui antequam arma in vrbem inferret, videbatur ſibi per quietem videre, ſe matri ſtuprum intuliſse, à coniectoribus ſomniorum in ſpem imperij ſummi concitatus eſt, ſomniumque probauit euentus teſte Suetonio. Sic Sophocles cum ex æde Herculis aurea patera ſurrepta eſset, ipſeque ſæpiùs in ſomno furem agnouiſset, illum tandem Areopagitis renunciauit, qui tandem comprehenſus, atque ad confeſſionem coactus crimen confeſsus eſt, pateramque retulit. Sic Amilcar Carthaginenſium dux, cum Syracuſas obſideret, & ſomniaſset ſe proximo die in vrbe illa cœnaturum, omnibus ad id paratis, ſomnio veritatem euentus con-

conciliauit; Sic deniq. alios quamplures euentus legimus in veterum monumētis ſomnijs reſpondiſse; quo factum eſt, vt veteres ipſi maximam ſomnijs adhiberent fidem, nulloque alio crebriùs, ac faciliùs vterentur, quam ſomnijs ad diuinandum; nihil inde cogitantes, quomodo poſsent euentus illi ſomnijs cohęrere; & quamuis veritas euentuum in illis deprehēderetur exemplis, poſse tamen id vel Dei nutu factum eſse, vel ſolo caſu, vt in pluribus alijs contingit.

93 Cicero tamen, qui plura ex ſomniorum exemplis commemorat, id vt Philoſophus tandem concludit, nihil omnino ſomnijs tribuendum eſse quoad vim diuinandi; idque ea ſuadet ratione, quod neque Deus ſomniorum effector ſit; neque vlla ſit naturæ ſocietas cum ſomnijs; neq. tandem poſſit ars, aut ſcientia ex ſola euentuum obſeruatione parari; præſertim, cum illi ipſi, qui ſomnia experiuntur, vt plurimùm nihil diuinent, ſed egeant coniectorum interpretatione, qui tamen in diuinando ſolam coniecturam adhibent, non naturam. Quod ſi ſomnium aliquod verum euadit, non ex vno cæteris fides adhibenda eſt, ſed potius ex multis, quæ falſa deprehenduntur, vni vero fides deroganda erit. Quæ Ciceronis doctrina fortaſſis optima eſset, niſi ex eo negaret Deum eſse ſomniorum effectorem, quia putat Deum non poſse fortuita futura præcognoſcere; ignorauit enim Cicero diuinam omnium rerum pręſcientiam, etiam antequam ſint in propria duratione, & diuinam quoque omnium efficientiam, poſito quod velit, quæ ſunt perfectiones ipſius naturæ diuinæ infinitam ſapientiam, atque infinitam potentiam exigentis. Quare ex alijs tantum rationibus, quas affert Tullius, reijcienda eſt diuinatio ex ſomnijs, non verò ex impoſſibili ſomniorum effectione, aut ex impoſſibili eorumdem prænotione. Neq. adducta ex ſomnijs exempla, vel adducendi caſus, in quibus veritas euentuum ſomnijs reſpondiſſe diſpicitur, ſatis ſunt, vt probetur ſomniorum vanitati veritatem cohærere; etenim ſemper fieri potuit, vt euentus illi caſu omnino cōtingerent, vel Deo permittente, vel Dæmone ipſo eos procurante ad homines decipiendos; quod licet concedamus, inde tamen certa non eſt arguenda ex ſomniorum exemplis diuinatio, cū innumeri propemodum in toto temporum curſu fuerint euentus ſomniati, qui tamen numquam contigere.

ANIMADVERSIO XLIII. PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex Sortium vſu, ac miſsione.

94 SPECIES diuinationis, cui euentuum veritas certiore modo ſubeſſet, fuit apud Veteres ſortiũ vſus & miſſio; cum enim putarent omnia ineuitabili neceſſitate cõtingere, quæ iam ex fato decreta eſſent, credebant poſſe etiam ſortibus indicari, idque plana quadam ſignificatione in talis, numeris, vel id genus alijs conſtituta; Sic ex talis & Abaco apud Burenſes in Achaia veriſſima reſponſa Herculem dediſſe author eſt Pauſanias lib. 7. hiſt. capiebantur namq. oraculorum ſortes ex tabula per talos, & qui conſultum veniebant, quatuor talos ſuper menſam inijciebant certis notis inſcriptos, quarum notarum interpretationem ſequebantur in ijs, quæ requirebant. Sit Gerijonis quondam oraculum in agro Patauino fuiſſe quidam aſſeruerunt, & præ cæteris in vita Tiberij Cæſaris Suetonius narrat, & nuper Nicolaus Leonicus in Dialogis vbi iactis in Aponi fontibus ſub aquam talis, certiſſima conſulentibus fatebantur reddi reſponſa, quo oraculo vſum aliquando Tiberium fuiſſe idem Suetonius tradit. Sic ſortes Præneſtinæ quot annis Kalendis Ianuarij excauata columna in qua reſeruabãtur, eximebantur Cicerone teſte, illiſq. ea ſerie, qua eductæ eſſent, coniunctis integra reſponſa abſoluebantur; haſque ſortes Domitiano Cæſari mortem prænunciaſse Suetonius annotauit. Sortes denique Antiatinæ Caij Caligulę morte fuerunt inſignes, quæ aliquanto ante obitum, vt Caſſium, à quo poſtea occiſus fuit, caueret, præmonuerant. Ex huiuſmodi ſortiũ vſu, ac varia miſſione mos erat Antiquis coniectandi futura, ſed ea potiſſimum ratione, quod res fatali neceſſitati ſubiacerent quoad omnes euentus, qui poſsent per ſortium notas indicari.

Eo igitur primùm innoteſcit quã 95
longiſſimè à ratione aberrare diuinationem ex ſortibus, quod eo nitatur tanquam ſuæ certitudinis fundamento, nimirum rerum neceſſitate fatali; cũ enim in rebus contingentibus nulla ſit, vel eſse poſſit ex parte ipſarum rerum neceſsarius ordo, aut ineuitabilis conſtitutio, quæ ſolum admittitur ex parte Dei præſcripto ordine agentis, neque poteſt in ipſis cogitari fatum, aut neceſſitas illa abſoluta, quæ à Philoſophis, & Theologis dicitur fatalis; quomodocunque enim in hoc orbe res ipſæ gignantur, aut procreentur, ita ſemper fiunt, vt poſſint non fieri, aut non eſse, quod eſt ſatis

ad

ad abolendam fatalem neceſſitatem. Addo ea omnia quæ ex ſortium miſſione colliguntur nullam poſse neceſſitatem fatalem in rebus indicare, cum enim quilibet ſortium vſus, quicumque fuerit, dicatur caſualis, ac merè fortuitus, vt ex ſortium inuentione conſtat, non poteſt eſse indicium alicuius rei neceſsariæ; ſequeretur namq. poſse eamdem rem neceſſariam omni ſigno contingenti indicari; & ſic non magis ex ſortibus, quā ex alijs ſignis, ſicque etiam non magis ex vna ſorte, quam ex alia; quod tamen ab Antiquis non admittebatur; qua ratione viſus eſt vti etiam Cicero lib. 2. de diuin. qui ex eo quod ſortes caſu tantum, non ratione, aut conſilio valeant, arguit eſse rem ad quæſtum dumtaxat, ac ſuperſtitionem inuentam, atque ex illis nihil ordinatum coniectari poſse. Nihil igitur certi, aut quod immutabili neceſſitate contingat poſsunt portendere ſortes, quę vt plurimùm, vel ad nutum fortunæ ſolius pueri manu miſcentur, vel cæco caſu ducuntur.

ANIMADVERSIO XLIV. PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex Sortium diſpoſitione.

96 QVEMADMODVM plura celebrātur apud veteres Sortium inuenta, ſic prorſus variæ recenſentur earumdem diſpoſitiones ad varias diuinationes ordinatæ. De ſortibus Præneſtinis narrat Tullius lib. 2. de diuin. inuentas fuiſse à quodam Numerio Suffetio, qui ſomnio monitus, vt ſilicem cæderet, per fracto ſaxo dicuntur ſortes ita erupiſse, vt quaſdam inſculptas in robore pręſeferrent priſcarum literarum notas, quæ etiam ſi hoc vel illo modo erũt diſpoſitæ, hæc vel illa rerum euēta indicarent. Apud Romanos ſortes Antiatinæ pro oraculis habitæ fuerunt, quæ tamen ex illis diuerſimodè ducebantur, nec niſi cum tali diſpoſitione fidem promerebant, vnde ille apud Tibullum li. 2. eleg. 8. de eiuſmodi ſortibus loquens dixit

Nec mihi ſunt ſortes, nec conſcia fibra Deorum
Præcinit euentum, nec mihi cantus auis.

Reliqua, quæ ſuperſunt ſortium genera dicuntur inuenta à Minerua, quæ etiam dicitur eas pręſcripto quodam, ac lege diſpoſuiſſe, vt eſſent diuinationibus aptæ; quibus tamen dicitur Iupiter fidem derogaſse in gratiam Apollinis; ex quo genere illæ recenſentur, quæ ad Geomanticas diuinationes referebantur, ſcilicet ex punctis, & figuris ſexdecim conſtitutis,

quæ

Digitized by Google

quæ figuræ à primis vſurpatoribus cōpōnebantur digeſtę in certas ſpecies, non caſu, ſed iudicio, eaſque etiam ad aprabant ad duodecim ſignis Zodiaci, vt meliùs imperitis perſuaderēt in figuras illas cæleſtem vim diuinatoriam illabi; atque eiuſmodi figuris etiam artificioſa nomina imponebāt, quæ ſingulis tribuebantur iuxta proportionem rerum, quas diuinare volebant; nomina autem, & diſpoſitio harum figurarum Geonanticarum extant apud Peucerum vbi de ſortibus agit.

97 At neque ex ſortium diſpoſitione quomodocunque facta putandum eſt poſſe diuinationes inſtitui; vel enim caſu tantum, ac merè fortuitò fiunt illæ figurarum diſpoſitiones, & ſic certum eſt, nihil certi poſſe ex illis diuinari propter rationes in diſſertationibus allatas; ſi verò ſortientium iudicio, atque conſilio haberentur figurarum diſpoſitiones clarè ſequitur, ex ijs, quæ ſunt ad placitum hominum, res ſtati ordinis, atque inuariabilis decreti prouenire non poſſe; quare à cordatis Philoſophis omne irridetur ſortium genus, quod in diuinationem collimet, etiam ſi putentur aſtra ſortes ipſas, vel ſortium diſpoſitiones dirigere; non enim habere poſſunt ſortes ex aſtris, quod aſtra ipſa dare non poſſunt. Poſſunt tamen, & ſortes aliquid ſignificare, nimirum, aliquando diuinam diſpēſationem ordinatè ſingula diſtribuentem, quod præſertim adſcribitur ſortibus politicis, quæ dicuntur ſortes electoriæ, quæ à Deo tamquam ſigna, & indicia ſuæ voluntatis ſæpe ſæpiùs diſponi queunt; at præter id nil aliud ex ſe poſſunt ſignificare, aut portendere ſortes.

ANIMADVERSIO XLV.
PHILOSOPHICA
In Diuinationem ex Lineamentis corporis humani vniuersè.

98 ARISTOTELES in ſuo libello Phyſiognomiæ, & Galenus in lib. cui titulus eſt, quod animi mores ſequuntur temperamētum corporis ex eo demonſtrant dari aliquam diuinandi artem, quæ vtitur corporis lineamentis, tamquam inſtrumentis, quod animæ omnes quādam cognationem habeāt cum ſuis corporibus, ac ideo eorum affectibus compatiantur; & corpora ſimiliter ab animarum pathematis facilè mutentur, idque cū ex ſtrictiſſimo eorum nexu contingat, non erit à ratione diſſonum de anima per corpus iudicare, & de corpore per animam; & licet tam actiones ex codē Ariſt. 1. de anim. cap. 1. quam paſ-

paſſiones ſint ſuppoſitorum, hoc eſt, ab eſſe totius compoſiti proueniant, alias tamen propriùs ab anima prodire, alias à corpore apud Philoſophos exploratiſſimum eſt; quo fit, vt licet moueri, iraſci, & diligere toti contingant animali, ab anima tamen potiſſimùm dicantur originē habere; quemadmodum contra licet totum animal febreſcat, incaleſcat, & vulneretur, hæc tamen omnia illi contingunt, quà corporeum eſt; corpora namque omnia eò facta ſunt, vt animæ illis vtantur tamquam inſtrumentis, & eò etiā animæ, vt corpora earum virtute in ſuis operibus exerceantur; vnde ſequitur, quod animæ propria habentes officia, propriaſque facultates proprijs etiam egeant inſtrumentis ad promendas operationes, adeoque peculiaria etiā expoſcant nedum membra, ſed etiam in membris, & in corpore lineamenta; & inde per corpus eiuſque affectiones de animę facultatibus, & pathematis poſſit aptè iudicari.

99 His probāt Peripatetici quamplures ex Ariſtotele inſtitui poſſe diuinandi artem etiam ex corporis humani lineamentis, quam putant Ariſtotelem ipſum accepiſſe à quibuſdam vetuſtioribus Philoſophis, qui ad cōiectandum de hominum moribus ex lineamentis à quolibet animaliū genere ſigna quædam extrahebant, & ideam quamdam ex illis ſignis ſibi fingebant, quam reſpicerent, quotieſcunque vellent de aliquo diuinare; illum quoque ſibi præſcribentes diuinandi modū in Phyſiognomia, quod mores notarent in liberis ſimiles moribus parentum, ſi ſimilem parentum formam, & effigiem erunt à natura ſortiti, iuxta illud

Et ſequitur leuiter filia Matris iter.

At re vera, licet plura indicent in homine corporis lineamenta, & vnicuique inſit pro varijs animorum paſſionibus plerumq. variā in corpore forma, hæc nimirum in timido, illa in iracundo, & ſic de reliquis, cum tamen etiam plerique inueniantur qui animę paſſionibus plurimùm differentes, eadem tamen ſigna habeant, ac corporis lineamenta, hinc fit, quod non ſit ſemper tutum, ac certum per corporis formam de anima iudicare; & quāuis ferè vniuersè concedatur ars quædam diuinatoria in Phyſiognomia, nō proinde neque adeò certa admittenda eſt, vt falli vnquam non poſſit, qui illa vtitur, præſertim ſi in illa arte non ſit valdè excellens, & expertus; poteſt enim quis eſſe natura triſtis, vel ex naturali habitu luxurioſus, qui tamen ſigna quædam habeat hilaritatis, & continentiæ, quemadmodum etiam vice verſa; peritior tamen Phyſiognomus ille erit, qui præſentes animi paſſiones ſtudio, ac diligentia aquiſitas diſtinguet à congenitis; qui enim natura triſtis eſt, etiam eo die, quo hilaris eſt, plura retinebit congenitæ mæſtitiæ ſigna, cum ſit valdè difficile ex Tibullo imitari gaudia falſa, & triſti fingere mente iocum; panditur ſiquidem etiam clauſo ſæpius ore furor. Certior igitur ars diuinandi in Phyſiognomia illa erit, quæ ex Philoſophia procedit, hoc eſt ex cauſis cognitis procedit ad diuinandos effectus, vel contra ex effectibus ad diuinandas cauſas; qua etiā ratione Phyſiognomia dicitur pars Philoſophiæ natu-

naturalis; Vndè benè animaduertit Valeſ. in Sacr. Philoſ. certiores fore diuinationes, quę ſumuntur ex cognitione brutorum, quam hominum, quia bruta nihil habent præter ipſam naturam; in hominibus verò plurimùm valent ad mutandos mores educatio, induſtria, atque diſciplina.

ANIMADVERSIO XLVI. PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex Lineamentis in manibus.

100 QVI Chiromantiam profitentur; vt ſcientiam, vel artem quamdam Aſtrologię ſubalternatam, omnia futura diuinantes ex lineis manuum, ſicut Aſtrologi ex ſchematis Stellarũ, omnino deridendi ſunt; nam eatenus ars quædam naturalis cenſenda eſt, & aliquid certitudinis habens, quatenus referri poteſt in aliquas naturales cauſas, habeatq. principia, aut per ſe nota, aut alibi demõſtrata, aut procedat ex certis experimentis; cum verò Chiromantia nihil eorum habeat, ſed diuidens lineas in manibus, omnia fingat ad numerum, formam, & qualitatem planetarum nulla cauſarum ratione habita, idcircò merito tamquã vana reijcienda eſt; imo eo magis Chiromantia ipſa Aſtrologia iudiciaria ſpernenda eſt, quò plures fingit ad libitum linearum poſitiones in manibus, licet quaſdam tantum faciat Planetis reſpõdentis, ponatque in aſtris ipſis cauſas talium linearum; nulla ſiquidem naturalis ratio, vel cauſa cogitari poteſt, cur ex hac linea, quam faciunt gratis Ioui, vel Veneri reſpondentem, tales vel tales habeantur effectus, qui vt plurimum fortuitò contingunt, quorum ſi daretur cauſa per ſe, iam non eſſent fortuiti euentus; ſi verò non daretur, iam ſuum eſſe habere non poſſent, cũ omne eſſe effectus habeatur ab aliqua cauſa. Quod ſi dicant in ſingulis aſtris adeſſe non ſolum naturales linearum cauſas, ſed etiam effectuum, qui per lineas ſignificãtur, eò impugnandi ſunt; quod in diuerſis hominibus, tamen ſub eodem aſtro naſcentibus eædem ſæpe diſpiciuntur lineæ, & ijdem etiam contingentes effectus, quod nunquam cerneretur, ſi aſtra eſſent linearum, & euẽtuum cauſæ naturales, ſicut è contra in hominibus licet aſtrorum varietati ſubiectis eadem tamen deprehẽduntur in manibus lineamenta, ijdem contingentes effectus.

Illa igitur tantum Chiromantia, 101
quæ pars quædam Phyſiognomię naturalis eſt, tamquam res ad diuinationem apta probanda eſt, quatenus Phyſiognomus conſiderans omnes par-

partes corporis humani, eaſque om-nes ad peculiare genus operationum inſtitutas dignoſcens, ex illis etiam quædam agenda deducit, ita tamen vt fines inclinationis naturæ, ſeù naturalis diſpoſitionis non egrediatur; habet enim Chiromantia hæc, quæ eſt pars Phyſiognomiæ, parem cum ipſa authoritatem, & par etiam iudicium; Phyſiognomus namque non ſolum faciei lineamenta conſiderat, quæ mentem maximè produnt, ſed etiam reliquarum in corpore partium, ac præſertim manuum, in quibus docent Ariſtoteles, & Galenus factiuas agendorum virtutes reſidere, eaſque poſſe facilè indicare; dicitur enim manus organum organarum, atque in organis ipſis magna vis ad agendum ſita intelligitur. Ex quo Veteres quidam Philoſophi putarunt talia eſſe animalia, qualia eſſent organa, quæ ipſi putabant agēdi principia; ac præ cæteris Anaxagoras, vt animaduertit Galenus lib. 1. de vſu partium affirmabat animalia talia eſſe, quia talia habent ad agendum inſtrumenta, quaſi per ipſum animæ ipſæ omnes prorſus eædem eſſent, ac ſimiles, ſed tantum pro differentia inſtrumentorum varios inducerent mores; quam tamen doctrinam non admittit ibi Galenus, qui opinatur animas ipſas per ſe differre moribus, & vnicuique data eſſe inſtrumenta animis, & moribus accommodata; Quos tamen videtur conciliare Valeſ. in Sacr. Philoſoph. cap. 32. qui docet, & Anaxagoræ; & Galeni doctrinam veram eſſe, quatenus verum eſt, & animalibus data eſſe talia organa, quia talia ſunt; & talia eſſe, quia habent talia organa, cum & homo, quia audax eſt, arripiat enſem, & quia enſem habet, audacior fit. Poſſunt itaque conſiderari à Chiromantibus in manibus lineamenta ad diuinandum, quatenus ſunt quidam naturæ effectus, ſicut poſſunt conſiderari reliqua etiam manuum, & corporis accidentia, quæ poſſunt indicare de ipſius corporis conſtitutione.

ANIMADVERSIO XLVII. PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex Lineamentis in fronte.

102 NOTANDA ſemper fuit eorum hominum ſtoliditas, qui in humano capite putarunt quibuſdam vitæ lineis, ac ſignaculis humanarum actionum præſagia adumbrari, quaſi in facie, atq. in fronte collata eſſent diuini regiminis arcana, & in genis vniuſcuiuſque euentus omnes ſoli Deo conditori noti ſuis coloribus depingerentur; cum tamen rerum opifex neq. in hominis vultu hominis ſortes deſcripſerit, neque centrum ſuorum cogitationum, & arcanorum voluerit per illas lineas reuelari; licet enim animi motiones quandoq. exiliant in faciẽ, vnde canunt Catullus, & Seneca

Frons expirantis præportat pectoris iras
Turbidam frontem gerens
Et mæſta vultu.

non ita tamen anima, quamuis varijs paſſionibus concitetur, communicat vultui ſui luminis radios, vt cuncta, quæ intima ſunt, per vultus lineamenta eluceſcant, vel ad oculos intuentium tranſmittantur; & ideo quæ de lineis in fronte cogitantur auſpicia, cenſenda ſunt vt plurimum ſolius curioſitatis laquearia; præſertim cũ nulla ratio ſit cur ſeptem illa frontis ſignacula dicantur ſeptem planetis reſpondere, vt volunt Metopoſcopi; neque enim lineæ illæ frontis poſſunt eſſe planetarum correlatiuę, cũ deſit ibi omnis fundandæ relationis ratio, quæ eſt actio & paſſio, ſimilitudo & figura, quantitas, & numerus; Cernimus ſiquidem eiuſmodi frontis lineas pleruumq. vel numerum planetarum excedere, vel eundem numerum nõ attingere; atque in caſu exceſſus non ita facile eſt deprehendere quænã ſit dicendæ planetariæ lineæ, ſicuti in caſu defectus, non patet ratio, cur potius reſpondeat Ioui, & non Mercurio, & ſic de reliquis.

Vaniſſimæ igitur ſpeculantur inge- 103
nia de iſtis lineis, atq. inanes omnino ex illis diuinationes inſtituunt; ſi enim daretur ad planetas illarũ ordinatio, ſeptenariũ numerũ neq. augeret natura, neq. minueret, cũ tamẽ cernamus oppoſitum. Quin imo ſi quælibet ſui prædominantis ſideris teneretur regimine, à Saturni frigiditate, & ſiccitate aridior, & excauata appareret prima linea; Iupiter quoque propriam lepidiſſimè ornaret; Mars ruberet accenſus in ſua; Lunæ Soliſq. influxus viuido colore vtramq. lineam perbellè concinnaret; Mercurij deniq. inter oculos ſignaculũ mobilitate quadam rutilaret conſpicuum. Addo etiã quod eiuſmodi lineæ omnes ſuorum influxuum diuerſitate pugnaces vna in aliã ſemper agerent, & quæ proprij

ſideris

ſideris maiori polleret actiuitate cæteras poſſet, & multum alterare, atque in viribus ſuis infirmare. Denique id certius in Metopoſcopia ſupponendum eſt, quod dat lineas in fronte cuiuſcunque natura, vt per muſculorum poſitionem ad varios motus ordinatam faciliùs aperiantur, & claudantur oculi, non vt cordis reuelentur arcana, vel occulta animorum pandantur; quod deprehenſum eſt in Nerone crudelitatis monſtro, qui ſua immanitate totum ferè orbem abſumpſit, & tamen eius in ore, ac vultu leuis quædam, ac placida morum radiabat elegantia; vt etiam experimento haberemus non ſemper excubare in facie, atque inter frontis lineamenta animorum imagines.

104 Plura tamen ſunt, quæ ex frontis lineamentis indicari, atque diuinari poſſunt ſine nota; eaq. ſunt, quæ frontem ipſam ſpectant abſque correlatione ad Cælum, lineaſque intuentur *ſeptem* planetis minimè reſpondentes; quemadmodum enim dictum eſt admitti poſſe diuinationem Chiromanticam ex lineis manus quoad illam partem, quę dicitur Phyſica coniectatio, ita prorſus dicendum de diuinatione Metopoſcopica Phyſica; ſicq. vbi frons parua, & anguſta erit, licebit in homine imperitiam, & ſtoliditatem diuinare, eo quod ea ſit ſignum, quod vētriculi cerebri ſint parui, ex quibus ſpiritus maximopere conſtringuntur, & incaleſcunt; hacque ratione, qui anguſtam habent frontem, dicuntur ad ſuem referri animal valdè ſtolidum, quod numquam erigit caput, niſi cum mactatur: Vbi verò frons longa, & valdè portenta ab aure ad aurem magna ingenij pręſtantia indicabitur, quod intelligendum eſt etiam de fronte lata propter oppoſitam rationem. Sic ex fronte rugoſa vir cogitabundus indicatur, quia omnibus notum eſt aliquem ſeriò de re aliqua cogitantem ſemper frontem contrahere, ac corrugare; contra ex fronte valdè exporrecta ſine rugis homo à curis remotiſſimus oſtenditur, & ſic deinceps de reliquis frontis notis, quæ non ſine ratione conſtitutæ ſunt à natura. Non admitto tamen ita facile tres illas lineas tranſuerſales in fronte certa quadam longitudine protractas eſſe indicia quædam certæ longitudinis, vel breuitatis vitæ; licet enim id doceat Ptolemæus, non video qua ratione certum annorum numerum illis lineis reſpondentem affirmet, cum mors, & vita ſint in manu Domini, à quo tantum tempora ſunt præfinita.

ANIMADVERSIO XLVIII. PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex reliquis Phyſiognomiæ ſignis.

105 CVM ad vaticinandum to-
tam corporis cõformatio-
nem adhibemus, ea præ
cæteris ſigna anteponẽda
ſunt, quæ in potioribus ipſius corpo-
ris membris ſunt conſtituta; ac præſer-
tim ex Egyptiorum placitis ea quæ in
capite, thorace, aluuo, vlnis, ac cruri-
bus poſita ſunt, erunt accuratè notan-
da, vt ex illis membris, per quæ paſſio-
nes, quas indagamus, exercentur, cer-
tius aliquid diuinemus; ſi quidẽm, cum
caput rationis Regia ſit, ingenij me-
moriæque ſedes, ex illius ſignis erunt
petenda ingenij, & memoriæ vatici-
nia; quemadmodum etiam ex hume-
ris, brachijs, & manibus, quibus omne
conſtat corporis robur, ipſius roboris,
& fortitudinis argumenta; & ex pe-
ctore, quod iræ, timoriſque ſubiectum
eſt, harum perturbationum iudicatu-
ræ, & ſic de cæteris; Ita tamen in om-
nibus ſe gerere debet Phyſiognomus
diuinator, vt Ariſtotelis cautionem
teneat in hoc diuinationis genere,
qua monet, non vni tantum ſignorum
credendum eſſe, ſed plura circa vnum
ſemper eſſe penſitanda, vt tutius pro-
nuncietur iudicium; atqui cum ſæpè
ſignorum eiuſmodi accidat contra-
rietas, ideò eorum vires, & facultates
erunt ad trutinam reuocandæ, vt pro-
babiliore coniectatione iudicemus;
quo fit vt Phyſiognomia à pleriſque
non exiſtimetur ſcientia, ſed potiùs
ars, vel opinio, nam licet plura per ef-
fectus, & cauſas dignoſcat, cum tamẽ
interdum etiam infirmis vtatur con-
iecturis, atque ſola rerum probabili-
tate connitatur, omni excuſſa certitu-
dine, potiùs opinio erit dicẽda, quam
ſcientia; vnde ne facilis ſit diuinatori-
bus Phyſiognomicis in errorē lapſus,
plurima erunt inquirenda, plura con-
ferenda, & exploranda; ea præſertim,
quæ conſentiant, quæ diſſentiant, quæ
diuerſa declarent; ſicque ſi eidem
plura ſigna ſuffragentur, certiùs diui-
natur; ſi plura alia reffragentur, erit
cohibenda diuinatio.

Cum verò Phyſiognomia ad diui-
nandum procedit ex cauſis certis, aut 106
certis effectibus, tunc certa quoque
diuinatio exiſtimanda eſt, ac tũc Phy-
ſiognomia potiùs ſcientia, quam opi-
nio erit dicenda; non enim improba-
bile eſt, ſcientiam ipſam quandoque
in opinionem tranſire, ea ſaltem ra-
tione, qua ſæpe ſcientia dicitur opi-
nionibus vti; quod in qualibet ferè
ſcientia peiſpectum eſſe poteſt, quæ
licet in quibuſdam, demonſtrationi-
bus vtatur, non tamen in omnibus;
porrò quam multa habet Phyſicus,
quo-

quorum cauſas ignorat, ſolamque tenet opinionem, aut experientiam, licet Phyſica verè dicatur ſcientia. Sic cum procedit ad diuinandum ex tebus tantum probabilius, incerta quoque ſemper erit diuinatio, quod tunc potiſſimum contingit, cum ex externis corporis ſignis iudicat de occultis animorum affectionibus; potuit enim ſtudium, atque induſtria ea ſæpè corrigere vitia, ad quæ natura ipſa nos incitauit; vnde licet ex illis ſignis benè coniectet Phyſiognomus naturæ procliuitates, non certò mores ex illis ſequentes coniectabit; ideò hominem amplis naribus circinatiſque Pinnulis præditum, vbi quis animaduerterit, probabiliter tãtum dicere poterit ad ad iracundiam eum actu, & reipſa procliuem eſſe, cum probabile ſit eũ naturæ ſuæ genio obtẽperare, neque eius prauis cupiditatibus reluctari, quamquã fortaſſis alioqui certum eſſe poſſit, eum ad iræ excandeſcentiam propenſum eſſe. Quod ſi affectiones, quas Phyſiognomus ex ſignis externis conijcere poteſt, mutari aut aboleri non poſsunt adhibito quocumque artis, induſtriæ, vel conſuetudinis ingenio, tunc non adeò mutabunt vaticinia, ſed ad certitudinem paulò proprius accedſtnt. Perfectionem igitur diuinationis Phyſiognomicæ ille ſatis fuerit conſecutus, qui licet interdum verum nõ aſsequatur, ex ſignis tamen in corpore poſitis, ac in potioribus ipſius corporis membris, probabiles coniecturas ſumet.

ANIMADVERSIO XLIX.
PHILOSOPHICA
In Diuinationem ex notis bonæ, vel malæ Valetudinis in corpore.

107 EX illa medicinæ parte, quæ agit de ſignis, arguentibus in hominibus aut firmam, aut affectam, & in deteriùs labentem valetudinem ducunt Medici plures diuinationes, quibus etiam plerumque de totius hominis ſtatu ſolent iudicare; atque non ſolum prænotiones, & prædictiones formant de morbis imminentibus, atque oborituris, de conualeſcentia, de vita, ac morte, ſed etiam de alijs ſymptomatibus corpus æquè, & animum afficientibus, ſicque in ſuis præſagijs etiam ea quæ extrà corpus ſunt, videntur includere; quorum tamen an certa, vel ſolummodo probabilia habeant indicia, apud ipſos ambiguum eſt; Galenus namque ea vocat ſigna certa, & neceſsaria, quæ rem vnam ſemper, atque eamdem perpetuò, ac neceſsariò citra aliquam ambiguitatem demonſtrant, nec fortuitis notantur obſeruationibus, ſed ratione lo-

gica,

gica, firmaque demonſtratione ex veris cauſis, vel effectibus certò cognitis colliguntur; Signa verò tantum probabilia compellat, quæ cōtra, nec neceſſariò, nec perpetuò, ſed vt plurimum eamdem rem indicāt, & conſtant, ac nituntur conſentientis experientiæ argumentis; horumque diſcrimen explicat potiſſimùm ipſe Galenus lib. 3. de prognoſt. vbi etiam ex tota ſignorum congerie ea excipit, quæ ſunt, aut ſigna tantum, aut ſigna ſimul & cauſę, aut ſigna ſimul & ſymptomata, atque ex his omnibus docet poſſe prognoſtica, & diuinationes fieri aliqua conſecutione logica demonſtratiua, vel ſaltem aliqua conſecutione probabili; hocque modo diuinantes, ſemper Phyſicè agere, nihilque contra rationem deducere.

108 Quæ tamen, licet apud Medicos extra dubietatem ſint, eò ducenda ſunt, vt animaduertant Medici ipſi in ferendis prognoſticis, an ſigna illa, & cauſæ tot adſint in homine, eoque nexu ſint colligatæ, quot opus eſt, vt effectibus illis, qui præcognoſcuntur, producendis ſufficiant; aut ſi de genere ſymptomatum ſint per ſe comitātium affectiones illas, quas indicare pertentant; eam enim debent in arte medica diuinatoria rationem ſumere, vt eadem ratio ſemper ſit ſignorum ad res ſignificata, quæ eſt, vel cauſarum ad effectus, vel effectuum ad cauſas, vel eorum, quę cauſis, & effectibus adiūcta cohærent ad eorumdem correlatiua. Porrò cum ſignorum alia de integra, & conſtanti valetudine atteſtentur, alia degenerantem, aut iam affectam prodant, alia iam proſtratam, & morbo ſuccūbentem, alia denique victricem, ac ſe ſe vndequaque recolligentem naturam arguant, erit accuratè obſeruandum à Medicis, quid quæuis moneant, indicent, aut præſignificent, antequam ad iuditium diuinatiuum accedant; præſertim verò ſignis demonſtratiuis vti licebit, & præſagis, quorum vſus præcipuus erat apud veteres, quæ licet differre videantur, non multum tamen inter ſe diſſentiunt, cum, ex iiſdem petantur fontibus; eadem namque, cum ad affectionem quæ actu ineſt corporibus accuratè explorandam adhibentur, demonſtratiua dicuntur, cum verò ad inuaſuram, aut conſecuturam affectionem, dicuntur præſaga; ſicque demonſtratiua ſalubria & ſunt, quæ exiſtentem indicant in corporibus ſanitatem, viriumque præcipuarum integritatem, & conſtantiam, pręſaga ſalubria ſunt eorum indicia, quę vel in ægrotaturis deprebenduntur, vel in conualituris ex morbo; ex quibus facilè erit Medicis peritis de futura corporis ęgritudine, vel valetudine diuinare, cum ſemper cum ſuis cauſis, vel effectibus connectantur in natura. His verò omnibus certius, ac firmius indicium bonę, vel malæ valetudinis à pulſu petendum eſt; ex hoc enim æquè viuida, ac conſtans, ac nutans, & proſtrata virtus animalis innoteſcit, cum ex eius moderatione, ac mediocritate vigēs, ac integra ſalus oſtendatur, ex vehementia verò, atque immoderatione, vel læſa, vel languida, vel luctans cum morbo virtus denotetur; Verum tamen eſt, quod pulſuum exploratio, cognitio, & deiudicatio, non dicam exacta, ſed qualiſcumque difficillima,

ma eſt, cum pauciſſimi illi ſint è numero medicorum, qui etiam à prima ætate, totoq. vitæ tempore in ea tractatione exercitati, vix tandem pulſuum diſcrimina perdiſcant, imo nequidẽ ea attingant difficultatibus eorumq. fallacijs abſterriti; quò poſtea fit, vt medicorum prognoſtica, quę ex pulſibus fieri ſolent, cæteris omnibus fallaciora ſint, cum obſeruationes in eo faciendæ penè ſine numero ſint, & nondum etiam peritiſſimis exploratę.

ANIMADVERSIO L.

PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex morborum cognitione.

109 QVID homini, ceteriſque animalibus ex præſentibus, vel imminentibus morbis euenturum ſit, prę nunciant ſæpè Medici ex ipſorum cognitione morborũ, quæ ad hoc quanti ponderis ſit, memini incompertum eſt; ac propterea, primum, ac impenſius medici ſtudium ponendum eſt in morbis dignoſcendis, ac corporis ægritudinibus, ne in ſuis prognoſticis decipiatur; Quidquid enim morborum homines infeſtat, omne ex genere eorum eſt, quæ ſunt præter naturã; non oriuntur tamen omnes, nec cientur à cauſis phyſicis, licet ab his quidem plurimi exiſtant, ac frequentiſſimi, ea ſcilicet analogia cauſarum ad ſubiecta, quæ eſt ab actione contraria naturæ ipſorum; quemadmodum etiã alij multi ad nullas cauſas naturales euidentes reduci poſſunt, licet fortaſſis reducantur ad abditas, & occultas. Nec debet medicis ignotum, aut inobſeruatum eſſe illud morborum genus, quod dicitur rationis omnino, & cauſarum expers, eo quod ad artem dæmonum, incantatorum, & veneficarum omnino pertineat; ſæpe namque videntur ægri ex ipſa humorum intemperie vexari, cum tamen potius à Dæmone diuexentur; & ſi hoc morborum genus medicos lateat, multa poſſunt ferre de ægris prognoſtica omnino fallacia, quod præſertim cõtigit Medico cuidam Quedlinburgico Philoſopho etiam eximio, atque ex prognoſticis commendatiſſimo, qui in curatione proprij filij diù deceptus eſt, cum morbum crederet eſſe à natura, qui tamen ex Dæmonum arte proueniebat.

Mixta etiam, & compoſita quædam ſunt morborum genera, quę Me- 110
dicis maximè obſeruanda ſunt, qualia in Melancholicis, Maniacis, Ecſtaticis, Phreneticis, Epilepticis, atque hiſtericis mulieribus, alijſque huiuſmodi aliqua aliamalignitate infectis cõtingunt, in quibus, licet cauſæ phyſi-

cæ non lateant, ſæpe numero tamen ſymptomata quædam illis coniungũtur, quæ cum ſint præter omnem illorum rationem, & conſuetudinem, non à cauſis Phyſicis, ſed à veneficijs cieri cenſentur; ea tamen pars morbi potiſſimum ad medicum pertinere dicitur, quæ ſecundum rationem ad Phyſicas cauſas reducitur; etſi enim aliqui morbi ex ſua ſubſtantiá, ſpecie, atque proprietate Medicis quaſi imperceptibiles ſint, tamen ex humorũ immutatione, ac corruptione quoquo modo ſemper dignoſci poſsunt; ex qua etiam cognoſcẽdi regula poterit facilè Medicus diſcernere, ac ſeparare Phyſica à præſtigijs dęmoniacis, id præſertim animaduertendo, quod morbi omnes ſunt ſenſu manifeſti, non tamen cauſa; & quod cauſæ etiam occultæ, & latentes dummodo ortum ducant à natura, aliqua ſemper ratione attingi poſsunt, cum dentur in omnibus rebus Phyſicis notæ aliquæ, & ſigna ex quibus tandem, quidquid Phyſicum eſt deprehenditur. Cognita igitur, ac benè diſcuſsa à Medico morborum conditione, non ita difficile erit de hominis incolumitate, ægritudine, aut etiam morte euentura iudicium ferre, cum id notitiam, quam poteſt ſuppeditare natura ipſa, haudquaquam excedat.

ANIMADVERSIO LI PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex contingentia rerum.

III QVIDAM ex Antiquis Philoſophis in ea fuere ſententia, vt opinarentur de nullis alijs rebus poſse diuinationes inſtitui, quam de contingentibus; ea namque quæ neceſsariò euentura forent, putabant non poſse diuinationibus ſubeſse, cum de illis propter inditam à natura neceſſitatem vnuſquiſque teneretur ſcire eſsentiam, & exiſtentiam, non verò diuinare, ex eo quod diuinatio videtur eſse coniectatio rei, quæ non cognoſcitur. Alij contra è regione docuere nihil certo diuinari poſse, quod ſit contingens; contingentia ſiquidem illud in rebus ponit, quod res ipſæ poſſint eſse, & non eſse, ac propterea quod res ipſæ contingentes numquam poſſint in diuinationem certam cadere, cum id, quod contingenter euenit, ab alijs cauſis poſſit impediri, ac ſequente impedimento poſſit non contingere; quo fit, vt obiectum hoc modo cognitioni diuinatoriæ expoſitum, ſemper incertum ſit, & anceps, eoque potens diuinationem incertam, imo irritam

ritam

ritam reddere. Alij denique difficilè admodum rerum contingentium diuinationem effecere propter difficultatem cauſarum cognoſcēdarum; cum nemini adhuc compertum ſit, quænam ſint rerum contingentium cauſæ, & licet dicatur natura ipſa res contingentes intendere, atque adeo dari cauſas per ſe rerum omnium cōtingentium, & etiam fortuitarum, quatenus natura ipſa intendit orbis vniuerſi integritatem, & perfectionē, ad quam perfectionem nō minus exiguntur effectus contingentes, fortuiti, & caſuales, quam illorū effectuum cauſæ; attamen non ſatis perſpectum eſse poteſt quænam ſint iſtæ cauſæ, à quibus omnis contingentia pendeat, cùm multorum euētuum fortuitorum, & caſualium cauſæ ignorentur, licet verè conſtet eos eſse in natura; atque ignoratis cauſis, vel ſaltem in dubium vocatis, nulla ratione videtur ex illis poſse effectus diuinari, aut coniectari.

112 Hæc ſunt, quę difficilem adſtruunt apud pleroſq. rerum contingentium diuinationem, quæ tamen nullius eſſent ponderis, ac momenti, ſi aliunde haberent futura contingentia, quod diuinari poſſent; ſiue enim admittatur ſola in rebus contingentia, ſiue ſola rerum neceſſitas, ſiue vtraq. ſimul, id nō officit, quod effectus ſicuti ſunt, non poſſint præcognoſci; cum enim omnia neceſſaria, contingentia, mixta ex vtraque ſcilicet contingentia, & neceſſitate, fortuita, & caſualia habeant veram rationē effectus, ac propterea ab aliqua cauſa proficiſcātur, ſiue agente per ſe, & directè, ſiue agente per accidens, & indirectè, vt tales neceſſariò habere debent, quod poſſint præcognoſci, vel in ſuis cauſis, vel ex ſuis cauſis, & conſequenter habent, quod poſsint diuinari; at id fieri non poteſt, niſi ab habente cognitionem rerum omnium, perfectiſſimam, qui eſt ſolus Deus, ſua cognitione omnia attingens, & ſua potentia, ac virtute ad omnia concurrens. Ex quo ſequitur non eſſe referendum præſcientiæ certæ defectum, vel prædiuinationis ad ipſarum rerum contingentiam, vel neceſsitatem, ſed ad aliquid aliud perfectius, quo carere intelligens creatum neceſſe eſt, nam Deus & ea, quæ contingunt quadam neceſſitate naturæ, ſi quæ ſunt præcognoſcit, & ea etiam, quæ eueniunt ex contingentia, cum eius obtutui obijciantur, ſicut ſunt in ſe ipſis. Quænam verò ſit contingentiæ, vel neceſsitatis radix in rebus nondum apud Philoſophos, & Theologos ſtatutum eſt.

ANIMADVERSIO LII. PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex neceſſitate rerum.

113 STOICI, & illi omnes, qui eorum placita, ac ſtatuta proſequũtur fieri omnia putant neceſſitate quadam ineuitabili; ſiue intelligatur eiuſmodi neceſſitas exoriri ex diuina præcognitione, & intelligentia, ſiue ex diuinis, ac fatalibus vrgentibus decretis, ſiue ex diuina prouidentia, & rerum cunctarum præordinatione, ſiue ex perpetua quadam cauſarum ſerie, & complicatione, ſiue ex ſiderum configuratione, & influxu; ſiue denique ex quacumque alia eiuſmodi cauſa, & ratione; variè enim etiam apud ipſos explicata eſt neceſſitatis radix in rebus creatis, nec vna fuit aut concors omnium ſententia; atque ex hac rerum neceſſitate, vndecumque proueniret, admittendam tantum certam diuinationem exiſtimabant, cum nihil ex ijs certò diuinari poſſit, quod neceſſario quodam cauſarum confluxu ſuum eſſe non ſortiatur; dicuntur namque tantummodo veræ, ac certæ vatum prædictiones ex fatali, atque ineuitabili neceſſitate, quæ in rebus ſupponitur; & ideò certò diuinantur res venturæ, quæ fatalem præſeferunt neceſſitatem, qua nulla ratione mutari poſſunt, atque ex earum immutabilitate omnis euentuum certitudo deſumitur. His nitebantur rationibus ad demonſtrandam diuinationis certitudinem ex rerum neceſſitate quidam è Stoicorum familia, ac præcæteris Chryſippus, qui non aliunde certitudinem diuinationum promare docebat.

Verum enimuerò aduerſus hoc di- 114
uinationis genus, quod videntur defendere Stoici inſurgit primus Carneades, & cum ipſo etiam Tullius, ea præſertim ratione pugnantes, quæ funditus deſturit diuinationem omnem; ſi enim eſſet admittenda diuinatio, dari etiam neceſſe eſſet illius certum aliquod ſubiectum, ſeu certam materiam, de qua ſit, & circa quam verſetur; omnia namque, quæ ſunt, genus aliquod ſubiecti requirunt pro ratione naturæ ipſius rei, quę exiſtit; Cum verò diuinatio neque poſſit eſſe earum rerum, quæ ſenſibus ſubijciuntur; neque earum, quæ actibus continentur; neque earum quæ in philoſophia diſſeruntur; neq. earum, quæ verſantur in Rep. neq. earũ quæ in fortuna poſita ſunt, nec denique aliarum omniũ eiuſmodi rerum, inde fit, quod nullum queat certum habere ſubiectũ, & ſi ſubiectũ non habet, neq. ipſa ſit. Deinde ſi omnia fato, atq. ineuitabili

uitabili

tabili neceſſitate prouenire putentur, quid prodeſt diuinationem admittere? aut quid eſt, quod nos moneant de futuris aut ſortes, aut animalium exta, aut ſidera, aut aliqua alia prædictio? Si enim vt optimè ad rem ratiocinatur Cicero lib. 2. de diuin. fatum fuit, quod claſses populi Romani naufragijs, ac conflictibus interirent, nulla ratione erat obſeruandum pullorum tripudium, aut aliud eiuſmodi ſignum. Addo quod admiſsa omnium rerum neceſſitate, non propterea admittenda eſt diuinationis certitudo; plura namque licet fato certiſſimè ſint extitura, non tamen certa ratione poſsunt præcognoſci, cum etiam ex ijs, quæ fato eueniunt, multa lateant, aut ratione cauſarum occultarum, aut ratione ipſorum effectuum, qui in ſtatu futuritionis nulli dicuntur cognitioni creatæ patere; cum itaque etiam in rebus neceſsarijs poſſit admitti incerta cognitio, poterit etiam dari incerta diuinatio.

ANIMADVERSIO LIII.

PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex nominibus rerum.

115 EX numeris per Cabalam quamdam nomina rerum partientibus inſtitutas eſſe diuinationes apud Veteres iam omnibus notum eſt, & nos ipſi Cabalam hanc numericam diuinatoriam alibi reiecimus, vtpotè prorſus inanem, ac vecordes homines deludentem. Aliud hic recolitur diuinationis genus Veteribus ipſis vſitatum, quo ex nominibus rebus ipſis & etiam hominibus impoſitis, effectus ab illis progreſsuros coniectare ſolebant; quæ fortaſſis diuinandi ars non omnino improbaretur, ſi nomina ipſa non diſtinguerentur à rebus, eſsentque potius ab ipſa rerum natura, quam ex hominum inſtituto; quæ quæſtio, vt aduertit Agellius in philoſophiæ diſsertationibus apud multos celebris eſt; & Dialogus ille apud Platonem, Cratylus inſcriptus, eo tantum ſpectat, vt oſtendat omnia rerum nomina eſse à natura, & quæ à natura non ſunt, ea ne nomina quidem eſse, eo ſenſu, quo falſum dicentem nihil dicere autumamus; Cum tamen contra Hermogenes defendat nullum eſse nomen à natura, ſed eſse omnia ex inſtituto, hoc eſt, lege, pactione, conſenſu, conſuetudine eorum, qui nominibus vtuntur, adeo vt, quocumque tandem res vocetur nomine, dummodo de illo homines conueniant, id ſit, & non aliud ipſius rei nomen. In qua

re tamen videtur Socrates medium tetigiſſe, qui docuit quædam eſſe nomina a natura, quæ tantum attribuuntur rebus æternis, iiſq. ſpeciatim vtũtur Dij; quædam verò ex hominum placito, quæ attribuuntur rebus caducis, quæque homines fortuitò imponunt, & quibus ad Deorum diſcrimen ſpeciatim homines ipſi vtuntur, adhibito in confirmationem ſuæ doctrinæ illo Homeri carmine

Quem Xanthum Dij appellant, homineſque Scamandrum.

At cum potiſſimũ diuinatio ex no-
116 minibus ſupponat nomina ipſa eſſe à natura, ac propterea ex nominibus ſignificari poſse quęque futura conuenientia naturæ, idcirco ex hac parte doctrina Cratyli euertenda eſt, eamq. prorſus inanem demonſtrant argumenta Democriti, quibus ſuadet non poſſe nomina haberi ab ipſarum natura rerum, tum propter homonymiã, qua idem nomen diuerſis rebus tribuitur; tum propter Polyonymiam, qua diuerſa nomina eidem rei imponuntur; tum deniq. propter aſſiduam nominum mutationem, qua eidem rei modo vnum, modo aliud imponitur nomen, quæ ſanè non contingerent, ſi nomina rerum eſſent ab ipſarum natura. Cui doctrinæ videtur adhæſiſſe etiam Pythagoras, ſemper ænigmaticè loquutus, cum rogatus, quid eſſet ſapientiſſimum, reſpondit, Numerum; ſic interrogatus, quid ſecundum ad ſapientiam, reſpondit, illum, qui impoſuit nomina rebus; per numerum intelligens mentem, in qua ſunt rerum exemplaria, per nominum verò impoſitorem intelligẽs animam, cuius ſit dare nomina ipſis exemplaribus conformia; Certum enim eſt nomina data eſſe ad exprimendas, & ſignificandas rerum naturas, atque adeo ab aliquo fuiſſe excogitata arte quadam, & ſcientia, ac proinde opera eſse non ipſius naturæ, ſed alicuius agentis intelligentis, quod præſertim habetur in prima, ac vera nominum impoſitione, in qua legitur Deum ſtitiſſe coram Adamo omnis generis animalia, & quo vnumquodque donauit, hoc illi nomen extitiſse. Cæterum quidquid ſit de nominum origine, quæ Veteribus fuit incomperta, pro certo habendum eſt nullam ex nominibus rerum poſse certam inſtitui diuinationem, licet

Rebus conueniant nomina ſæpe ſuis

nam nomina ipſa, vt à rebus, & cauſis ſeiuncta non poſſunt illos effectus indicare, qui tantum cum cauſis cohærent; ſi verò non ſeiungerentur à rebus, diuinationes potius tunc petendę eſsent ab ipſis, quam à nominibus.

ANI-

ANIMADVERSIO LIV. PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex Naturis rerum.

117 EFFECTVS quamplurimi, qui in natura admirabiles quotidie cernuntur, ſolēt ex rerum ipſarum naturis, tanquam ex cauſis præuideri, ac diuinari; licet in ipſis vt plurimum facultates agendi à diuinatoribus ignorentur; quo fit, vt quamplures qualitates occultas in illis conſtituant, ad quas confugiunt, cum admiranda ſatagunt diuinare. Hinc etiam rerum antipathias, ac ſympathias admittentes, hoc eſt, conſenſiones ac diſſenſiones in ipſis agendi facultatibus, eò ſæpe opinationis ducuntur, vt naturalia ferè omnia, quæ ſtupenda hominibus obtruduntur, ad ignotas rerum antipathias, ac ſympathias referre non erubeſcant, omiſſa illa cauſarum indagatione, quas accuratè venari Philoſopho par eſſet; addētes etiam ſingulis rerum naturis certas conſentire, ac præſidere ſtellas, ex quarum viribus dominationem in hæc inferiora exercentibus, fas ſit admirandorum effectuum exortus prænunciare; ex eo potiſſimùm id affirmātes, quod fateri neceſſe ſit hæc omnia inferiora vim aliam, atque ab elementari diuerſam haurire, quæ illa admiranda perficiat; id pluribus in natura firmantibus exemplis, præſertim in Chamæleonte Muſcas pro libito attrahante, in magnete ad Septemtrionem præſertim inclinante, in Succino paleas rapiente, & alijs eiuſmodi, quorum vires, licet in effectibus dignoſcantur, non adhuc tamen in ſuis cauſis compertæ ſunt. Præ cæteris verò mira ſunt illa diuinandi genera ex rerum naturis, quæ habentur per Phytoſcopiam, hoc eſt per coniectationem ex naturis plantarum, per Zeoſcopiam, ſcilicet ex naturis animalium, & Orictoſcopiam, nimirum, ex naturis foſſilium; inueniuntur enim in plantis, & animalibus quamplurimæ notæ ſecuturos effectus indicantes, præſertim initia, fines, & conditiones quatuor anni tempeſtatum, vt alibi dictum eſt; ſic apud Metallarios Virgula quædam diuina maximè vſitata eſt, qua venas auri, & argenti feraces explorant, eò virgula ſe inclinante, quò ſub terra feruntur, atque incedunt venæ illæ, quæ virgula nihil aliud eſt, quam bifidus quidam ſurculus ex Corylo arbore deciſus, quo Scioterici vias ductuſque venarum profundiſſimus miro artificio perueſtigant, & deſignant; diriguntque operarios, ne deuient ex planorum triangulorum natura.

Ne tamen diuinationem omnem 118

ex re-

ex rerum naturis, eorumque occultis qualitatibus, conſenſionibus, ac diſſenſionibus admittamus ſine diſcrimine, animaduertendum eſt, eos tantum effectus ex illis diuinari poſſe, quæ aliquam ſubeunt cauſarum Phyſicarum connexionem in natura; licet enim quænã qualitas expreſsè agat, ignoretur, dũmodo tamẽ Philoſophica ratiocinatione euinci poſſit, poſſe aliquã qualitatẽ agere aut immediatione ſui, aut immeditatione alicuius aliæ virtutis tunc nõ eſt improbanda diuinatio, tanquã naturalis, licet ſit rerũ admirandarũ, noſtramq. intelligẽtiam excedentium; non enim negandum eſt, vel omnes, vel pleroſque eorum effectuum, qui ſui admirationem pariũt per aliquam vel antipathiam, vel ſympathiam produci poſse, ſed non videtur exiſtimandum alia ratione id peragi, quam, quæ ſoleat magis familiaribus effectibus interuenire; nam quod ſympathia ſit quædam cõſenſio, antipathia diſsenſio inter duas aliquas res, in quarum altera, vel vtraque, aut in tertia exoritur aliquid, quod nos ſtupore quodam perceſſit, non ideo ipſis non competit generalis ille, familiariſq. rebus naturæ omnibus agendi, & patiendi modus; qui modus in eo conſiſtit, vt nullus effectus ſine cauſa ſit, vt nulla cauſa ſine motu agat, vt nihil agat in rem diſtantem, ſeu cui non ſit præſens, vel per ſe, vel per virtutem coniunctam. Ex qua vera, ac genuina Philoſophię doctrina colligendum eſt, numquam eſſe admittendos velut effectus naturales, qui talibus conditionibus in ſuis effectionibus deſtituuntur; ac propterea ego ipſe philoſophicè ratiocinãs nunquam percipere potui vim illam vnguẽti; quod armarium appellatur, ſeù pulueris ſympathetici, qui fit ex Chalcanto, ſeù Vitriolo calcinato, cuius actione, atq. applicatione dicitur curari vulnus hominis multis milliaribus diſtãtis, ſi applicitus modo fuerit gladio, veſti, linteo, ligno, aut alteri rei ſanguine, ſanieuè, quæ ex illo manauerit, infeſtæ; Enimuerò, ſi id excipias, quod eſt in Chalcanto, adſtringendi vis, ac ſiſtendi ſanguinis, & cicatricis obducendæ facultas, quod ſupereſt, videtur eſſe omnino fabuloſum, vel ſuperſtitioſum; Quippe quãtumcumq. plurima exempla curationum eiuſmodi paſſim celebrẽtur, mirum tamen dictu eſt, quouſq. procedat humanæ mentis credulitas, vt id ſine ratione tam facilè perſuadeat; mira ſiquidem eſt, ac ſupra omnem fidem naturæ vis, at non ideo tam facilè præbenda fides, vbi naturale illud, ac philoſophicũ obluctatur principium, nihil agere poſſe in rem diſtantem; præſertim cum in hac re purum ſomnium ſit ad animam mundi confugere, quæ vbiq. locorũ ſit præſens, & varijs inſtrumẽtis agat; ſi enim ipſa eſſet, quæ medio illo puluere vel vnguento curat loco diſtante, poſſet etiã ſine illo curare cum vnguentũ diſtans à vulnere perinde ſit, ac ſi non eſſet reſpectu illius vulneris; At in hac re nõ eſt immorandũ, cum ſit extra meũ inſtitutũ. Facilè tamen, ſi vellẽ, doctrinas omnes euerterẽ Theatri ſympathetici, quod prodijt Norimbergę anno 1660. licet opuſcula omnia collecta cõtineat Digbęi, Papinij, & Helmontij, ad oſtendendam in his curationibus vim naturæ conſcripta.

ANI-

ANIMADVERSIO LV. PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex rerum figuris.

119 ERAT Antiquis inditus ille coniectandi error, vt ex rebus hac illauè figura delineatis, aut ſculptis, aut aliqua alia forma expolitis, atq. elaboratis, præſertim ſub certo ſiderum, ac cæli poſitu, de futuris oracula quædam diuinatoria decerperent, putabant, ſiquidem eo prorſus modo, quo characteribus, & numeris quibuſcunque inſunt myſteria ad coniectandum de rebus inſtituta, ita figuris rerum vim diuinatricem diuinitùs fuiſſe conceſſam; ſicque ſpectata ſolummodo in rebus ipſis ſuperficie extima, intimos rimari receſſus aggrediebantur, atque ex ipſis diuinationes fnndebant; id namq. pro certo habebant ex philoſophia, nihil in natura conditum fuiſse, quod ſuperuacaneum foret, ac propterea figuras ipſas rerum ad ſuos fines fuiſſe à Deo conditore deſtinatas, qui fines poſsent ex figuris innoteſcere, attentè illas ſpectantibus, atque conſiderantibus. Hic fuit quorumdam error, ductus præſertim ex Incantatorũ, & Magorum impietate, qui ad exercenda Magiæ, & Incantationum opera etiam rerum figuris vtebantur.

120 Verùm quantum philoſophiæ error iſte repugnet, ipſa rationis, ac veritatis teſtimonia ſatis declarant, certum namque eſt figuras omnes, quæ ad res naturaliter conſequuntur, eſse à natura productas tanquam ipſarum rerum ornamenta, non tamquam diuinationis, vel aliorum agẽdorum inſtrumenta, eſt nàmque figura velut extrinſecum rei complemẽtum, quod nullam tribuere agendi poteſt efficaciam, neq. ſignificandi; ad ſummum namque id habent externæ rerum figuræ, vt indicent extrinſecam quamdam ipſarum rerum diſtinctionem, qua diſtinctione ſenſibus innoteſcãt, cum intellectus ſolus ille ſit, qui ad intima rerum diſcrimina pertingit. Et licet non caſu, aut ex fortuito aliquo confluxu atomorum, vt voluerunt Epicurei, in ſuas ſingula corpora coierint, formas, & figuras, ſed à ſuprema ſapientia miro ordine cuncta fuerint ad ſuos fines inſtituta, non propterea dicendum eſt, aliquid in externis rerum figuris collocaſse, quibus ea paterent, quæ ipſe Deus conditor latere omninò præſcribebat. Addo quod ſi ex externis rerum figuris, atque lineamentis occulta rerum poſsent reuelari, cum experiamur quotidie res innumeras varias, ac varias ſiue ex arte, ſiue ex natura figuras ſuſcipere, eſſent etiam in dies, imo ſingulis momentis

mentis immutatæ diuinationes, quod ridiculum prorſus eſſet. Atque quod dicitur de figuris dicendum eſt etiam de characteribus, quibus res ipſæ ſuis nominibus exprimũtur, qui ſanè nullum ſignificatum, nullamque efficaciã habere poſſunt, vel à Dei inſtituto, & ſi quid habent, à Dæmone proficiſcitur, cum præſertim veriora futurorum putent præſagia fieri, cum in rebus exprimendis latini characteres adhibentur, potiùs quam Græci, Hæbraici, vel Syriaci, cum tamen illi fuerint primi, atque vſu potiores; nimis namque ineptum, ac puerile cenſendum eſt, aliquid myſterij, aut ſignificati potiùs latinis characteribus ineſſe, quam Græci, vel alijs eiuſmodi, eo quod characteres omnes; quibus res exprimuntur, ſint rebus valdè extranei, ac minimum res ipſas afficientes.

ANIMADVERSIO LVI. PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex numeris rerum.

121 LICET miræ ſint, & variæ numerorum proprietates, quibus res omnes in ordinem quẽdam diſtributæ concinnum quoddam reddunt harmoniæ genus; licet ſint ſuæ claſſes numeris ſecundum ſe conſideratis, & vt ita dicam, materia expertibus, quorum prima genera complectuntur ſolum numeros pares, & impares, ſuæ ſint claſſes, & numeris geometricis, hoc eſt, in materia conſideratis, qui ſecundum diſcrimina, ac differentias magnitudinum diſtinguuntur in numeros lineares, planos, & ſolidos; Suæ denique ſint numeris rationes, quas computationes vocant, ſintque ipſorum inter ſe numerorum rationes admirandæ; prædictiones tamen omnes diuinatrices, quæ fiunt numerorum artificio omni probabilitate vacare dicuntur; non enim numeris rerum ineſſe poteſt quædã naturæ actiuitas, aut naturalis ſignificatio, cum numeri ipſi per ſe, aut quantitates ſint, quas mens intuens, & velut ordinans obiecta ſenſibus ſubiecta cogitando format, & ſic cum non differãt ab ipſo intelligendi actu, neque poſſunt aliud ſignificare quam ordinationem quamdam mẽtalem ipſarum rerum; vel ſunt characteres illi picti, quibus notantur, & exprimuntur numeri, & hi nil aliud poſſunt ſignificari, quam pictas quaſdam vnitatum imagines, quibus vnitates ipſæ in numeros varios congregantur; neque ex his vis aliqua diuinatiua extrahi poteſt; quæ ſi extrahitur, cum fiat ſolo hominum placito, & ingenio, nul-

lam

lam in natura firmam poteſt habere rationem; ac propterea ratiocinium illud arithmeticum, quod affert Plato de Rerump. periodis, tamquam ſine fundamento allatum reijcitur ab Ariſt. 5. polit.

122 Quod ſi ex quibuſdam annorum periodis certo numero vel pari, vel impari conſtrictis obſeruent politici regna, & Reſpub. aut declinare, aut penitus interire, aut etiam in meliora regimina commutari, id ex eo tantum prouenit, quod ſint fatalia quædam incrementa, atque decrementa ipſis diuinitùs conſtituta, extra quæ ex diuino conſilio, ac decreto non poſſint euagari, aut longiùs abſcedere; non verò ex eo, quod à certis numeris ſuos ſortiantur exitus, aut renouationes; non enim ea poteſt afferre numerorum vis, quæcumque ſit, cum ſit id ex alijs cauſis per varias temporum rationes, ac ſtatuta temporum curricula præſcriptum; vel ex ipſis naturis rerum in decliuia proclinantibus; vel ex agentibus extrinſecis, quæ poſſunt mutationes inducere inductis nouis regiminũ formis, earum primordia per aliarum cauſarum applicationem abolentibus. Reliquæ etiam quæ contingunt in natura rerum mutationes, aut deſitiones, à ſuis cauſis petendæ ſunt, non à numeris, qui ad ſummum vim habent cauſas ipſas in ordinem redigendi, non in actiuitatem, non in mutationes, ac deſitiones. Neque Pythagorei, qui naturas, & proportiones numerorum conſiderarunt ad ſtabiliendam in rebus harmoniam, id ſolis numeris tribuerunt, ſed etiam concinnæ cuidam conformationi, quam ex intrinſeco quo res quæque haberet primo ordini, ſeù primæ ordinationi à primo molitore rerum dimanant. Addo experimenta nos docere, quod iiſdem in rebus conſtitutis numeris, non ijdem tamen, ac pares portenduntur euentus, ſed ſæpe contrarij, quod ſufficiens indicium eſt, nihil ſtati ordinis per numeros poſse in natura conſtitui, ac proinde nihil ex ipſis de futuris contingentibus poſse diuinari.

ANIMADVERSIO LVII. PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex proprietatibus Plantarum.

123 PLANTAS quoque, herbas, & aliquarũ arborum folia in diuinationem vocarunt Veteres, ea vel ſuperſtitioſa quadam obſeruatione rimantes, vel ex inditis à natura qualitatibus, ac proprietatibus examinantes; præcæteris vero in diuinandi vſum trahebant, laurus, ficus, & ſaluiam, ex quarum plantarum folijs, quæ vellent diuinare, ſi varijs vſurparentur modis, decerpebant; ſic ex ſaluiæ, ac ficuum folijs ſub patulum, atque apertum Cælum collocatis, ſi ſitus quoſdam retinerent inter ventorum agitationes, ſi in certas formas, diſpoſitiones, & figuras coaleſcerent, quæ quærerent futura dignoſcebant; Ex laureis ramis igne crepitantibus, atque fluctuantibus etiam ſolebant vaticinari, quaſi id lauro eſſet inditum à natura, vt tali crepitu, atque fluctuatione ventura indicaret, quemadmodum innuit etiam Claud. lib. 2. de rapt. Proſerp.

---- Venturi præſcia laurus
Fluctuat.

Exercebatur etiam diuinatio, vt teſtatur Theocritus Idyl. 3. ex crepitu foliorum Teleſphili, quæ folia, vt notat Scholiaſtes, fuere folia papaueris in ignem conjecta, ex quibus præſertim amantes de amore ſuo coniectabant; ſed tunc præſertim cum folia illa inter vtramq. manus volam percuſſa ſonum ederent. Nicander denique, ait Diuinaculos vſos eſſe Myrica herba, quam vaticinatricem vocat, vnde & Apollo futurorum oracula edens Myriceus dictus eſt ex eò quod Myricæ ramum manu teneret; quæ herba non eadem ratione ab omnibus accepta fuit, ſicut neque Creſſa, neque alia Ægyptia, ex quibus diuinabant; at nobis eſt ſatis diuinationem ex herbis, quæcumque ſit, Philoſophicis rationibus eradicare.

Tantum igitur abeſt à verò, vt inſit herbis, vel plantis vis aliqua diuinatrix, vt potiùs contrarium ſemper experti ſint Veteres ipſi, nam refert Bulengerus lib. 3. quod ſi ſolas plantas, aut plantarum folia in diuinationibus adhibuiſſent, nullis alijs additis, vel inciſionibus, vel notis, & characteribus, vel vocum obmurmurationibus, tunc nihil omnino coniectabant; ſi verò illis externis rebus vſi fuiſſent in herbarum applicatione, tunc futurorum oracula, & coniectationes reddebantur; vnde ſolebant in folijs herbarum, præſertim Saluiæ quærentis, & rei quæ- 12

ſitæ

ſitæ nomen inſcribere, & magicum quoddam murmur accinere, & inde poſtea furta, & fures indicare. Ex quibus ſatis liquet nõ fuiſse ſolis herbis, ac folijs inſitam virtutem diuinatricem, neque fuiſſe impertitas à natura eiuſmodi proprietates plantis, vt ex ipſis poſsent vaticinia ſumi. Addo plantarum, atque herbarum proprietates ipſis datas eſſe ad alios à natura intentos effectus, quod experimento quotidie comprobatur à medicis, & pharmacopolis, vnde omnino ſuperuacanea forent illa vaticinia; nec ratio reddi poteſt, cur ex ipſis poſsint dignoſci futura, cum plantæ, neque ſint futurorum cauſæ, neque ſigna; & efficientia ſanitatis, quæ ſæpè redditur ægris ex herbarum applicatione non præuidetur in ipſis vt futura, ſed tantum dignoſcitur virtus quædam actualis in ipſis potens tales humores temperare, ex quorum tẽperie ſæpe ſæpius ſequitur in ægris corporis ſalus.

ANIMADVERSIO LVIII.

PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex proprietatibus lapidum.

127 DOTES quaſdam, ac proprietates etiam lapidibus, & gemmis adſcripſere veteres, quæ vatidicos homines efficerent, ſi geſtarentur collo, ſi capiti ſupponerentur, vel alijs huiuſmodi modis adhiberentur; ac præſertim de Bætulo lapide ſcribit Photius in Bibliotheca, quod iuxta varias apparens formas, & figuras, varia etiam redderet futurorum oracula; quod etiam putarunt plurimi de magnete, ac de alijs quibuſdam gemmis, præſertim de Hyænia, Chelonia, Erotylos, & Eumeces, quarum omnium vim vatidicam recenſet Plinius l. 37. cap. 10. atq. inde fortaſſis tantum vaticinandi munus illis tribuebãt, quod opinarentur lapides omnes quoddam animæ genus eſse à natura ſortitos, vi cuius eſsent futurorum præſcij, ac diuinatores; idque arguebant ex quibuſdam inopinatis mutationibus, quæ ſine cauſa in ipſis diſpiciebantur, illæque potiſſimùm mutationes in magnete, & in alijs lapidibus pretioſis, & non pretioſis viſebantur, quibus, cum cauſæ deeſsent exteriores, ab intimis prouenire neceſse erat; atque cum mutationes, vel actiuitates eiuſmodi materiam lapidum, eorumque formas purè materiales excederent, fateri iam oportebat, quod ab alijs nobilioribus formis proficiſcerentur, quibus vis quædam præſaga, & diuini-

uinatrix ineſſet, & hæ eſſent animæ quædam lapidibus inſitæ, quę poſſent futura cognoſcere, & quoquo modo præſentire; ex quarum etiam inclinationibus tot illæ pronaſcerentur antipathiæ, & ſympathiæ mutuò attrahẽtes, ac retrahentes, tot illi amores, & conflictus, & id genus alia, quæ præſertim in lapidibus, & gemmis diſpiciũtur; ex quibus Thales apud Laert. lib. 1. præ cæteris Philoſophus egregius putauit eos eſſe animatos, non ſola anima vegetante, ſed etiam ſentiente, ac cognoſcente, quod præſertim affirmauit de lapide magnetico, cuius animæ eam vim tribuit, qua ferrum attrahitur, & qua reliqua ex ipſo diuinantur, à qua ſententia viſus eſt non abhorrere etiam Cardanus lib. 7. de ſubtil. qui inquirens cauſa, cur ferrum magnes attrahat, reſpõdet, quia viuit, & ferro, vt alimento vtitur; quò fortaſſis ſpectauit etiam Claud. Epig. 2. de Magnete cum cecinit

Flagrat anhela ſilex, & amicam ſaucia ſentit
Materiem, placidoſque Chalybs cognoſcit amores.

126 Verum, cum ea omnia, quæ afferuntur, vt demonſtretur ineſse lapidibus proprietates ex quibus miranda, ac etiam futura coniectentur, eo præſertim nitantur fundamento, quod lapides ipſi viuant, ac per animam ea admiranda agant, & futurum perſentiſcant, id cæteris falſum eſſe, nullaque probabili ratione fultum à nobis demonſtrandum eſt; quamuis enim ea ſit in lapidibus vis admiranda, vt quædam nobis incognita, atque inopinata edant, ac præſertim in magnete, qui ferri ſentit aſpectum etiam diſtans, qui ſemper ad polũ ſe ipſo conuertitur, non propterea tamen ita facilè animari cõcedendum eſt; ſi enim lapides omnes eo præſertim argumento, vt vult Cardanus, eſsent in viuentium numero reponendi, quod ipſorum plurimi aliquo tempore vigeant, alio verò omni virtutę, ac robore deſtituti conſeneſcant, quod niſi à vita, atque ab anima proficiſci poteſt, cur etiam continua temporum viciſſitudine nũc virium in illis robur, nunc eatumdem languotem intra vnius anni curriculum nõ expetimur? nihil enim eorum eſt, quæ vita fruuntur, quo duro anni tempore non opprimatur, placido non recreetur, & vnius nunc tempeſtatis beneficio vigeat, nunc alterius iniuria langueat. Quis verò magnetem, vel alios lapides vnquam vidit vnius anni decurſu eam viciſſitudinem ſubijſse, ſtatiſque temporibus, ſuis nunc viribus deſtitutos, nunc verò reſtitutos? Addo vniuerſis planè viuentibus perpetuum eſſe, vt certam figuram, certumq. ſuæ cõformationis terminum, atque modum à vitali natura ſortiãtur; id enim habent omnia animantia, vt certis quibuſdam propriæ figuræ terminis circumſcripta ſuæ ſpeciei, vel ſolo aſpectu referant vnitatem; at quæ magneti, aut alijs lapidibus figura communis? pluribus ille angulis inciſus, hic rotundus eſt; alius aſper, alius læuis, plurimi ad quadrati, non pauci ad formam triangularem conſtruuntur, omneſque tandem varia lineamẽtorum conformatione diſsentiunt. Habent etiam animãtia vniuerſa partes quaſdam ad vitam regendam alijs efficaciores, magiſq. principales quo

in ge-

in genere animalibus ſunt viſcera, ſtirpibus radices, atq. medullæ; at neque magnes, neque alij lapides his ſimilem particulam videntur obtinere, cum ſint partes omnes vnius ordinis, & rationis, hoc eſt homogeneæ, & ſimilares. Denique omnibus viuentibus inſita eſt naturalis ſimilium procreatio, quæ tamen neque magneti, neque alijs lapidibus, & gemmis conceſsa eſt. Neque in magnete vis attrahendi animæ argumentum eſse poteſt, cum tot alij lapides ſupponantur ab ipſo Thalete, & Cardano animati, qui tamen non attrahunt. Cum itaque quę de lapidibus dicuntur in ordine ad diuinationem ex eorum vita, & animatione præſertim petantur, facili negotio falſitatis, atque improbabilitatis conuincũtur.

ANIMADVERSIO LIX.

PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex Immortalitate Animæ.

127 EO diuinandi facultas, quæcunque ventura vellet, animę hominis tributa eſt à quibuſdam, quod ipſi debita eſset ex ſuæ conditione naturæ, nimirum ex immortalitate, quam à Deo conditore ſortita eſt; cum enim condita fuerit vniuſcuiuſque anima, vt in æuum perduret, ſitque æternitatis particeps, congruum etiã illis viſum eſt, vt illa eadem, quæ conſecuturis omnibus temporibus præſens; ac contemporanea eſse debebat, etiam futura omnia, quę illis temporibus eſsent extitura dignoſceret, ſicque applicata cognitione pro libito diuinaret: Quam fortaſse doctrinam à Theologis hauſtam fateri neceſsum eſt, cum & ipſi doceant, ideo Deum omnia ventura cognoſcere, quia æternus eſt, ac ſine fine duraturus; cumque illius cognitio eius naturæ conſentiat, menſuram ſolius æternitatis expoſcere dicitur, in qua, ea omnia, quę nobis futura ſunt, ipſi iam ſint realiter in æternitate præſentia, cum æternitas omnibus temporibus coexiſtat. Cum tamen eiuſmodi facultatem futurorum diuinatricem illi tantum animæ parti tribuerent, quæ verè eſset pars rationalis æterna, incorporea, atque immaterialis, ad diſcrimen alterius in anima partis, quæ eſt imperfectior, ac ſenſitiua, quam haudquaque ad futurorum cognitionem eleuatam, ſeù eleuandam autumabant, ex eo potiſſimùm, quod ſenſuum obiecta non tranſgrederetur, quæ tantum præſentia eſse poſsunt, non futura.

At mirum eſt, quod in hac re tot 128
vera cum falſis admiſceantur, lumenque

quæ

que ipſum veritatis tot errorum tenebris contegatur. Poteſt ſiquidem anima noſtra eſſe æternitatis particeps, atque in æuum ſuam vitam, ac cognitionem protrahere, abſque eo quod ſit illi velut connaturaliter inditum futura præſciendi, ac diuinandi donum; nec enim conſtat, cur donum eiuſmodi ſit ipſius naturæ debitum, cum omnes impleantur eius perfectionis numeri, licet ipſi diuinatrix deſit facultas; quin imo id prorſus eſt contra rectum diuinæ prouidentiæ ordinem, ſi ea attingere poſſet pro libito, quæ ſæpius expedit omnino latere. Neque ex eo, quod ad Deum per æternitatem participatam accedat, ſit veluti Deus omniſciens; futurorum namque cognitio, quæ ſoli Deo conceditur à Theologis, ideo conceditur, quod eius diuinitati infinita etiam in cognoſcendo perfectio debita ſit, quæ cognitio cum in eodem Deo ſit ipſa æternitas, atque æternitas omnia tempora complectatur, neceſſe eſt, vt etiam omnia ventura in illa cognitione comprehendantur; cum tamen animæ cognitio, neque æternitas ſit, neque ipſa æternitate menſuretur, vt optimè callent Theologi. Id etiam alienum à veritate eſt, quod ſit diuinatrix facultas in ſola parte animæ Principe conſtituenda, quæ antonomaſticè ſit rationalis; nam partes eiuſmodi aliqua ratione inter ſe diſceptantes non ſunt in anima admittendæ, quæ vnica eſt, ſimplex, incorporea, incompoſita, indiuiſibilis; illæque omnes contrarietates; quæ ponuntur in anima, ex quibus diuerſæ arguuntur partes, ſuſtineri poſſunt in diuerſis agendi facultatibus abſque partium diſcretione. Quocunque igitur modo ponatur æternitas, ſeù immortalitas in anima, non proinde ex illa arguenda eſt facultas futurorum diuinatrix, cum hanc ſibi ſoli reſeruauerit Deus.

ANI

Digitized by Google

ANIMADVERSIO LX. PHILOSOPHICA

In Diuinationem ex perturbationibus animæ.

129 TANTAM inter animam, & corpus cognationē intercedere putarunt Veteres Græci, vt arbitrarētur nihil poſſe contingere corpori, quod priùs non præſentiretur ab anima; ſicque munus animæ eſſet ea omnia diuinare, quæ corpori eſſent euentura; idque multiplici ratione confirmabant, quarum potior illa erat, quod corpori data eſset anima tamquam præſes, imo oculatum præſidium, cuius patrócinio vigili aduerſantes omnes deuitaret incurſus, quos etiam anima ipſa à longè proſpiceret ad cauendum; ideoque antequam corpus inuaderetur; ipſa ſua præſagia pateretur; quoties etiam dicebant, vt animæ noſtræ plerumq. commotiones quaſdam experiantur ex futuris euentibus, quarum tamen cauſas prorſus ignorant; eo prorſus modo, quo ex quadam ſympathiæ vi, dicuntur inuicem pati etiam res longiſſimè diſſitæ, dummodo ſint aliquo neceſſitudinis vinculo colligatæ; qua etiam ratione apud Porphyrium finxere Poetæ tantam fuiſſe in fratribus Erote, & Anterote conſenſionis, ac ſympathiæ vim, vt altero creſcente, creſceret alter, ægrotaret ægrotante, decumbente decumberet, moriente etiam moreretur; indeque fieret, vt quidquid eorum alter eſset acturus, illico Frater præſentiret agendum ſibi, adeoque vates futurorum vterque haberetur, quod ſanè non contingebat niſi ex præſenſione, quam intima fraternitatis cognatio vtrique conciliaret. Ratio verò potior præſenſionis in anima eorū, quæ corpori euentura ſunt, inde à Platonicis quibuſdā ducta eſt, quod anima cuiuſque, vel eſſet diuinæ animæ particula, quæ omnia ſciret; vel ſaltem particula animæ mundi, quæ eſset omniſcia, ſed eorum pręſertim intelligēs omnium, quæ ad ſtatum ſui corporis pertinerent.

Hæc ſunt multorum errores circa 130 præſagia, quæ indita animæ putant ex ipſius cū corpore cognatione; at cum eiuſmodi pręſagia habeātur per exurgentes in ipſa anima commotiones, atq. perturbationes, neque eiuſmodi effectus in anima ſine cauſa haberi poſſint, deberent, tum Veteres Græci, tum Platonici illi in primis cauſas illarum perturbationem aſſignare, quæ pro præſagijs futurorum habentur; ſola namque cognatio ſeu conſenſio inter animam, & corpus non tantæ efficaciæ creditur eſse, vt poſſit pręſagos illos motus in anima ſuſcitare,

re, cum vinculum illud cognationis non aliunde oriatur, quam à nexu, qui ſolet intercedere inter materiam, & formam, eo tamen pares effectus in cæteris compoſitis nequaquam producente. Addo quod ſi anima per intimas eiuſmodi commotiones fieret infauſtorum euentuum ſibi vel corpori præſaga, cum ſit rationis compos, facillimè poſſet eos auuertere, & numquam poſſet corpus ex caſibus fortuitis, atque imminentibus pati, quod tamen contra experimentum eſſe comperitur. Denique alibi reiecta eſt illa doctrina, quæ facit animas hominum particulas Dei, aut particulas animæ mundi; & cum potior ratio ſita ſit in ea doctrina, vtraq. facilè ruit, idq. ſolum pro certo habendum eſt nullam animam poſſe futura etiam ad ſuum corpus ſpectantia præſentire. Quod ſi quandoque in magnis quibuſdam imminentibus ærumnis dicitur cor hominis, vel hominis animus non modicè commoueri, id eo contingit, quod illa imminentia mala vt plurimum præuiſa iugiter metuantur, atq. ex conceptu metu commotionem pariant.

FINIS.

INDEX
RERVM NOTABILIVM;
Quæ continentur in Animaduerſionibus Philoſophicis.

A.

ACADEMICI diuinationem ex Idearum contemplatione adſtruentes. Anim. 7. Phil. n. 17.

Academici egreſſus, & congreſſus animorum non inficiantes. animad. 9. phil. num. 21.

Amphiaraus primus igniſpiciorum inuentor. anim. 28. phil. n. 63.

Animi non pro libito corpus deſerentes. anim. 9. phil. n. 22.

Animorum egreſſus, & congreſſus impugnati. anim. 9. phil. n. 21.

Animus ex ſua natura non omniſcius. an. 6. phil. n. 15.

Animus à ſenſibus; & corpore ſubmotus diuinationibus inidoneus. animad. 5. phil. n. 13.

Animus neque eiuſdem natura cum Deo, neque particula animæ mundi. anim. 6. phil. n. 15.

Antiquorum error, quod eſſet hominibus inſita quædam diuinandi vis. anim. 4. phil. n. 9.

Animaſticæ commotiones damnatæ. anim. 32. phil. n. 70.

Antrum Trophonij ferendis diuinationibus maximè opportunum. animad. 5. phil. n. 12.

Aquæ turbidiores in puteis, quæ priùs erãt limpidæ ſigna terræmotus. animad. 27. phil. n. 60.

Ariſtoteles diuinandi vim ponebat in cerebro, Plato in iecore. anim. 4. phil. num. 9.

Aſclepius homines Deos arte faciebat. an. 32. phil. n. 70.

Aſtrum Veneris vatibus, & Sybillis maximè fauens. anim. 5. phil. num. 12. Minimè fauens. ib. n. 14.

Auguria Veterum vana, & inutilia. an. 37. phil. n. 81.

Auium volatus terræmotus prædicentes ex Anaſsagora. animad. 27. philoſoph. num. 60.

Autumnalia quædam ſomnia pro incendiorum indicijs ſumi ſolita. anim. 28 phil. n. 62.

N Bene-

INDEX RERVM

B.

BEneficium Phyſiognomiæ. anim. 48. philoſ. n. 105. Ipſius præſagia non ſemper fallentia. ibid.

Betulus lapis varijs apparens figuris, varia reddit futurorum oracula. anim. 58. phil. n. 127.

Bolidæ ſeu lampades quædam ſidereæ nihil omnino ſignificantes. animad. 20. phil. n. 45.

Bona, & mala ex temporum comparatione prænunciata. animadu. 29. philoſ. num. 64.

Bonæ, & malæ ominationes factæ ex Tonitruis. animaduerſio 25. philoſoph. num. 56.

Brutorum præſenſiones diuinationibus opportunæ. animaduerſio 38. philoſoph. num. 83.

Bruta ſine ratiocinatione futura præſentientia. ib. n. 84.

Bulengerus ſuperſtitioſas facit diuinationes omnes ex folijs herbarum vel plantarum. anim. 57. n. 124.

Burenſes in Achaia medijs ſortibus reſpōſa futurorum ab Hercule expectabant. anim. 43. phil. n. 94.

C.

CAbala numerica diuinatoria reiecta. anim. 53. phil. n. 115.

Cardanus impugnatus, quod ſolam diuinationem poſuerit de futuris non de præſentibus, aut præteritis. animadu. 2. phil. num. 1.

Carneadis doctrina de diuinationibus. an. 52. phil. n. 114.

Cauſa, quæ actu non eſt, neque cauſare poteſt, neque aliquid ſignificare. anim. 14. phil. n. 32.

Cauſæ Iridis variæ apud Philoſophos. an. 24. phil. n. 55.

Cauſæ terræmotuum adhuc ignotæ. anim. 27. phil. n. 60.

Cauſæ naturales ſomniorum. animad. 40. phil. n. 88.

Cælorum influentiæ occultæ nequeunt in hominibus vim diuinatiuam progignere. anim. 13. phil. n. 30.

Cælorum conſtellationes in rebus liberis nullam partem habentes. anim. 14. phil. n. 32. 33.

Cælum in ſexdecim partes diuiſum à Veteribus. anim. 26. phil. n. 58.

Cometarum variæ Veterum opiniones. anim. 19. phil. n. 43.

Commotiones animaſticæ ad diuinandum damnatæ. anim. 32. phil. n. 71.

Colores præcipui in Iride tantum tres ex Ariſtotele. animaduerſio 24. philoſ. num. 55.

Contingentia ſolum, vel quæ poſſunt aliqua ratione impediri ſub diuinationem cadunt. anim. 1. phil. n. 3.

Cordium arcana Angelis, & Dæmonibus præciſa reuelatione ſemper occulta. an. 12. phil. n. 29.

Corporis, & animæ cognatio apud Græcos anim. 60. phil. n. 129.

Corui crocitantes pluuiarum indicia. anim. 23. phil. n. 53.

Corpora non ſponte ab animis relicta. anim. 9. phil. n. 22.

Demon-

D.

DEmonſtrata à Stoicis certitudo diuinationis ex ſola rerum neceſsitate. anim.52.phil. n.113.

Deus, & diuina voluntas à fato alienata. anim. 31. phil. num. 68. Deus fati rationem ingrediens. ibid.

Dei diuinatio, ſeu reuelatio ſemper certiſſima, & infallibilis. anim.3. philoſ. num.6.

Delphini rerum futurarum. animad.38. phil.n.83.

Dæmones ad vniuerſa futurorum vaticinia impotentes. anim.12.philoſoph. num.28.

Democritus omnium rerum idola effluentia admittens, quæ tamen potius noctu, quam die effluerent. animad. 8. phil. n.19.

Dij Statores, Tonantes, Feretrij. anim. 26.phil. n.58.

Diluuia Deucalionis, & Ogygis, vel omnino fabuloſa, vel non vniuerſalia. anim.23. phil. n.52.

Diluuium vniuerſale non potuit ſola naturæ vi præuideri. anim.23. philoſ. num.52.

Diſcrimen inter ſomnium, & inſomnium ex Diuo Auguſtino. anim. 39. phil. num.87.

Diſpoſitio ſortium varia apud Veteres. an. 44.phil. n.96.

Diſpoſitio rerum diuina quandoque in ſortibus ſignificata. ib.n.97.

Diuinatio variè definita à Philoſophis. anim.2.phil.n.4.

Diuinatio non ſemper diſtinguenda à ſciẽtia, ac viſione rerum. anim.2. philoſ. num.5.

Diuinatio ex Idolis rerum effluentibus repugnans conuictui politico. anim. 8. phil.n.20.

Diuinationes ex temporum mutationibus præſertim Agricolis, Nautis, & Medicis conceſſæ. anim.22.phil.n.50.

Diuinationes ex fatis ſingulorum improbatæ. anim.31.phil. n.68.69.

Diuinationes ex Oraculis reiectæ. anim. 33.phil.n.72.

Diuinationes certiores ex cognitione brutorum, quam hominum. anim. 45. phil.n.99.

Diuinationes negatæ à Philoſophis de futuris contingentibus. anim. 51. phil. num.111.

Diuinationes ex nominibus rerum quomodo ſine fundamento ferantur. anim. 53. phil. n.116.

Diuinationes ex naturis rerum non omninò improbandæ. animadu. 54. phil. n.17. 118.

Diuinationes ex characteribus reiectæ. an. 55.phil. n.120.

Diuinationes ex numeris rerum ridiculæ, quibuſdam tamen Veteribus acceptæ. anim.56.phil. n.121.

Diuinationes ex animæ immortalitate decerptæ. animaduerſio 59. philoſophica n.127.

Diuinationes ex perturbationibus animæ anim.60.phil.n.129.

E.

EClypſes præter Solẽm, & Lunam patiuntur etiam alia ſidera, quæ poſſunt ab inferioribus tegi. anim.17. num.39.

Eclypſium efficacia. animadu. 17. phil. num.39.

INDEX RERVM

Eclypſes futuri Dæmonibus naturaliter noti, quemadmodum reliqua ex rata ſiderum diſpoſitione pendentia. anim. 12. *phil.n.* 29.

Ecſtatici non mouentur ab Idolis rerum effluentibus ad diuinandum. anim. 8. *phil. n.* 19.

Effectus ex nubium aggregatione præuiſi ſæpe ſæpius impediti. animadu. 23. *phil.n.* 51.

Egreſſus, & congreſſus animorum damnati pro capienda rerum omnium cognitione anim. 9. *phil.n.* 21.

Elementa temporum mutationum cauſæ. anim. 22. *phil.n.* 49.

Eluuiones quædam ex nubium diſpoſitione præuiſæ. anim. 23. *phil.n.* 52.

Epatis inſpectio Græcis conſueta ad diuinanda futura. animadu. 36. *philoſ. num.* 79.

Epicurus omnis diuinationis euerſor. animadu. 1. *phil n.* 1.

Epicurei diuinationem negantes ex non eſſe rei, quæ diuinatur. animaduer. 3. *phil.n.* 8.

Error diuinationis ex figuris rerum. anim. 55. *phil.n.* 119.

Error circa vaticinia Sybillarum ex eo quod eſſent virgines Apollini ſacræ, & ſub Veneris aſtro enaſcerentur. anim. 5. *phil.n.* 14.

Euentus mali ſæpè poſt Eclipſes, non ſemper ex Eclipſibus. animadu. 17. *phil. num.* 40.

Excidia ex incendijs prænunciata. anim. 28. *phil.n.* 63.

Exiſtentia diuinationis à plerìſque Philoſophorum funditus abolita. anim. 1. *phil. n.* 1.

Exiſtentia diuinationis authoritatibus, rationibus, & exemplis probata. anim. 1. *phil. n.* 2.

Extiſpicina quomodo Veteribus vſurpata ad diuinandum. anim. 36. *philoſ. num.* 79.

F.

Fabularum conditores non potuerunt ſine Cometis ingenioſi eſſe. animad. 19. *phil.n.* 43.

Falſitas Oraculorum à Sapientioribus ſemper abiurata. animaduerſio 5. *philoſ. num.* 12.

Fatorum conſtitutiones ex Cælorum conſtellationibus dependentes apud Antiquos. animaduerſio 31. *philoſophica num.* 68.

Fatorum diuiſio. ib.

Fatuitas Veterum Siculorum Etnæ incendia explorantium. animadu. 28. *phil. num.* 63.

Fauſta æquè, & infauſta ſequuta ad Cometas. animaduerſio 19. *philoſophica num.* 44.

Fides derogata ſortibus à Ioue in gratiam Apollinis. anim. 44. *phil. n.* 96.

Fides facta ſomnijs per ſomniantiũ exempla euentum ſortita. anim. 42. *phil. num.* 92.

Figmenta de animi concitatione ad diuinandum. anim. 6. *phil.n.* 16.

Figuræ rerum ad diuinandum adhibitæ. anim. 55. *n.* 119.

Finis ſomniorum à diuina prouidentia inſtitutus. anim 40. *phil.n.* 88.

Folia herbarum, & Plantarum ad diuinandum adhibita. anim. 57. *phil.n.* 123

Formæ intentionales præter rerum ideas ad cognoſcendum neceſſariæ. anim. 7. *phil.n.* 18.

Fortuiti euentus ex ſacrificiorum immutationibus nequaquam depræhenſi. an. 35. *phil.n.* 78.

Ful-

Fulmina, & fulgura indicia futurorum apud Antiquos. animad. 26. philoſ. num. 58.

Fulmina diurna Ioui, nocturna Plutoni adſcripta. animaduerſio 26. philoſoſ. num. 58.

Fulminũ obſeruatio præſertim apud Thuſcos veteres. ib.

Fulminum myſteria extra naturam non quærenda. ib. n. 59.

Furentes, & melancholici aliquid præſagiens in animis habentes ex Ariſtot. anim. 6. phil. n. 15.

Futura contingẽtia ſola apud Veteres Philoſophos diuinationis obiecta. anim. 51. phil. n. 111.

G.

GEnera morborum mixta, & compoſita maximè medicis cognoſcenda. anim. 50. phil. n. 110.

Genera varia ſortium à Minerua inuenta. anim. 44. phil. n. 96.

Genij diuinationum adminiſtri. anim. 10 phil. n. 23.

Geomanticæ figuræ in ſortibus damnatæ. anim. 44. phil. n. 96.

Germana philoſophia horrit Ideas Platonicas, & Idola Democratica effluentia. anim. 8. phil. n. 20.

H.

HAlationes terreſtres cauſæ ſtellarum per æthera diſcurrentium. anim. 20. phil. n. 46.

Halationum terreſtrium materia meteororum parens. animadu. 21. philoſ. num. 47.

Halones lunares ſæpè pro Iride accipiuntur. anim. 24. phil. n. 54.

Haruſpicina ducta à fulminibus ab Epicuro irriſa. anim. 26. phil. n. 59.

Heraclitus affirmans tempus eſſe corpus quoddam ingentiſsimum. anim. 29. phil. n. 64.

Homerus fælix omen tonitruis adſcripſit. anim. 25. phil. n. 56.

Horizontis cuiuslibet quatuor præcipuæ plagæ condiſtinctæ, ſcilicet Meridies, Septemtrio, Oriens, Occident.

Humores terreſtres meteororum progenitores concurrente Sole. animadu. 21. phil. n. 47.

I.

IDeæ Platonicæ etiam ad diuinandum oppugnatæ. animaduerſio 7. philoſ. num. 18.

Ideæ omnium cognoſcibilium nequaquam noſtris animis congenitæ. animaduerſ. phil. 7. n. 17.

Idola à rebus omnibus præſentibus, præteritis, & futuris effluentia non admiſſa cum Democrito. animadu. 8. phil. n. 19. ib. n. 20.

Ignis erumpens ex Terræmotibus. anim. 27. phil. n. 60.

Ignes fatui, lambentes, & erratici ſæpe felicitatis præſagia. anim. 20. philoſ. num. 46.

Ignis ætherei extinctio per Anaxagoram. anim. 25. phil. n. 57.

Incertitudo diuinationum, quæ proferuntur ex Cometis, oritur ex incerta eorum ſubſtantia. animaduerſ. 19. phil. num. 43.

Indoles vniuſcuiuſque naturalis Genius eſt. anim. phil. 10. n. 24.

Influentiæ occultæ in cælis non admittendæ. anim. 13. phil. n. 30. 31.

Infuſio luminis ad futura cognoſcenda à ſolo Deo haberi poteſt, non à Genio. anim.10. phil.n.24

Intelligentiarum colligationes ex Auicenna, & alijs Philoſophis Arabibus. anim.11 phil.n.25. Eædem damnatæ. ib.n.26.

Intelligentiarum afflatus ad diuinandum excitantes. ib.n.25. Iidem reiecti. n.26.27.

Interitus hominum ſæpè ex hominibus ominati. anim.15.phil.n.40.

Interpretatio ſomniorum quam vana pro dignoſcendis futuris euentibus. anim. 39.phil.n.86.

Interpretatio ſomniorum ſoli Deo conceſſa, vel alijs ex Dei afflatu. ib.

Iris apparens non eaſdem, vndecumque appareat, minas affert. animad. 24. phil.n. 54.

Iris apparens nihil certi vniuersè portendit. anim.24.phil.n.54.

Iris Lunaris veteribus inobſeruata ex Ariſtotele. anim. 4.phil. n.54.

L.

Lapides præcipui vim vatidicam retinentes. animad. 58.philoſoph. n.125.

Lapidum proprietates quomodo apud veteres obſeruatæ ad diuinandum. anim. 58.phil.n.125.

Lapides animati anima vegetante, ſentiente, & cognoſcente ex doctrina Thaletis. anim.58.phil. n. 125.

Laurus diuinationis arbor apud quoſdam. anim.57.phil.n. 123.

Libera omnia fortuita, & contingentia à ſideribus independentia. animad. 13. philoſ.num.30.

Libertas humana intemerata ſtante quacumque diuinatione. anim. 1. philoſ. num. 1.

Lineæ quædam inſuetæ ex nubeculis tenuioribus in aeris regione protenſæ, ac diu perdurantes terræmotus prænunciæ. anim.27.phil. n.60.

Lineamenta corporis humani multarum rerum indicia. animad.45.philoſoph. num.98.

Lineamenta corporis humani artem phyſiognomicam peperere. animad. 45. phil. n. 99.

Lineamenta varia pro varijs animi paſſionibus. ib.

Loquutiones Oraculorum ſemper variæ, & implexæ. animad. 34. philoſoph. num.75.

Lumen à Genijs inditum ad diuinandum anim.10. num.23. Idem lumen Genijs negatum. ib.n.24.

M.

Magia Artis, & Naturæ. anim. 32.phil.n.70.

Magica arte ſtatuæ ſe mouentes, velut animatæ. ib.

Agnus animal viuens ex Cardano. anim. 58.phil.n.127.

Manuum lineamenta ad diuinandum inutilia. animaduer. 46. philoſoph. num.100.

Manuum lineamenta Planetis reſpondentia. ib.

Medici quoſdam futuros euentus poſſunt ex ſomnijs prænunciare. animad.40. phil.n.88.

Mentis alienationes ad vaticinandum à

ſapientioribus ſemper irriſæ. anim. 5. phil.n.12.
Meteora certas faciunt diuinationes, at non ſemper. animaduerſ. 21. philoſ. num. 47.
Meteora quædam nihil ſignificantia. animad.2. phil.n.48.
Methodus naturalis, qua contingunt Eclipſes, indicat nihil mali præter naturam Eclipſes ipſos portendere. anim. 18.phil.n.41.
Metopoſcopia non dat actionum humanarum præſagia. animad.47.philoſoph. num.102.
Metopoſcopia Planetis reſpondens. ibid. num.103.
Metopoſcopia fallax in Nerone. ib.
Montes à diluuijs excepti à Seneca, & Platone. animaduerſ.23. philoſophic. num. 52.
Morborum cognitio iuuans ad ferenda prognoſtica. animad. 50. philoſoph. num. 109.
Mores non ſemper temporibus reſpondentes. anim.29.phil.n.65.
Mundi iſtius procreati machina non infert alios mundos eſſe procreandos. animaduerſ.30.phil. n.66.

N.

Natura ipſa diuinationis aſſertrix, anim. 1. phil.n. 3.
Naturæ Dæmonum non connata vis omnium diuinatrix. animad. 12. phil. n.29.
Naturale diuinationis genus quomodo inditum Brutis ex Valeſio. animad.38. phil.n.29.
Nemo prudens ac ſapiens apud Veteres, qui augurijs non crederet. anim. 37. phil.n.81.
Nihil præter naturam portendunt Eclipſes, vel eorum duratio. animad. 18. phil.n.41.
Nomina rerum non apta diuinationi. animad.53.phil. n.115. Eadem non ſunt à naturis rerum. ib.
Notationes auguriorum apud Veteres. Anim.37.phil.n.81.
Notæ bonæ, vel malæ valetudinis in corpore. anim.49. phil. n.107.
Nubium varia aggregatio multiplex diuinationis argumentum. animad.23. phil. n.51.
Nubes non ſemper temporis mutationem præſagientes. animad. 23. philoſoph. num. 51.
Numeri malè in diuinationibus vſurpati. animaduerſio 56. philoſophica num.121.
Numerorum proportiones harmoniam parientes apud Pythagoræos. anim. 56. phil.n.122.
Numina in ſomnis loquentia veritatem euentus portendebant. animadu. 41. phil n.90.

Oblata

O.

Oblata phantaſmata inter ſomnum, & vigiliam fauſta præſagiebant apud Platonicos. animad. 41. philoſ. num. 90.

Obnoxia interitui non proinde regeneranda. anim. 30. phil. n. 67.

Obſeruationes ex Tonitruis ſemper inanes apud ſapientiores. animadu. 25. phil. n. 57.

Obſeruatio temporum diuturna fidem faciens euentibus prouenientibus ex Eclipſibus Solis, & Lunæ. animad. 17. phil. n. 39.

Olympiodorus Iridem ſepticolorem fecit ex Ptolæmeo. anim. 24. phil. n. 55.

Onyrocriticum diuinationis genus quale apud Græcos. animadu. 41. philoſ. n. 91.

Opiniones variæ de numero ventorum. anim. 22. phil. n. 49.

Oraculi veritas euentu probata. anim. 34. phil. n. 75.

Oracula vt plurimum à Dæmonibus edita. ib. n. 76.

Originem Cometarum omnino terreſtrem facit Ariſtoteles. animadu. 19. phil. num. 43.

Orictoſcopia diuinationis genus. anim. 54. phil. n. 117.

Orionis filiæ Methioca, & Menippa in Cometas conuerſæ. animad. 19. phil. num. 43.

Ortus incendiorum non ſemper ex aſtrorum deliquijs deriuandum. anim. 28. phil. n. 62.

P.

Papaueris folia in ignem coniecta indicia eorum quæ in rebus amatorijs eſſent euentura. animadu. 57. philoſ. num. 123.

Peritus Phyſiognomus animum ex corpore dignoſcens. animadu. 44. philoſ. num 99.

Peripatetici omnem diuinationem ex arte improbarunt; probarunt tamen, quæ eſſet ex natura. animadu. 3. philoſoph. num. 8.

Perſeuerantia influxuum cæleſtium non habetur ſine perſeuerantia conſtellationum. anim. 14. phil. n. 33.

Philoſophi plures exiſtimantes ſucceſſiuam mundi corruptionem, & generationem. anim. 30. phil. n. 66.

Piſces in mari tempeſtates præſentientes. anim. 38. phil. n. 83.

Platonici diuinationem concedentes ſolis furentibus, ignauis, ac morti proximis. anim. 3. phil. n. 8.

Pluuiarum ſigna non ſemper certa. anim. 23. phil. n. 53.

Pluuiæ vitulorum, lapidum, & aliorum animalium. anim. 23. phil. n. 53.

Præneſtinæ ſortes quomodo ortæ ex Cicerone. anim. 43. phil n. 94.

Præſagia ex Iride inter nubes apparente. anim. 24. phil. n. 54.

Præterita æquè, ac futura ſunt obiecta diuinationis. animadu. 1. philoſophica num. 3.

Præſentia etiam diuinationi ſubiacere demonſtratur. animadu. 1. philoſophica num. 3.

Præſenſio Brutorum non excedit eorum

natu-

naturam, neque naturales euentus. an. 38. phil. n. 84.

Præſignata per ſomnia quomodo certa ex Plutarcho. animadu. 38. philoſophica n. 87.

Primorum hominum deliquia primas calamitates portendentia. animadu. 17. phil. n. 39.

Prognoſtica à Medicis non ferenda, niſi ſpectatis omnibus ſignis bonæ, vel malæ valetudinis. animadu. 49. philoſ. num. 108.

Ptoprietates ſomniorum variæ à Platonicis excogitatæ ad diuinandum. anim. 41. phil. n. 90.

Prouidentia fatalis quænam apud Stoicos, & Accademicos. anim. 31. phil. num. 69.

Pythagorici ſolum diuinationem per auguria admittentes. animadu. 3. phil. num 8.

Pythagorei egreſſus, & congreſſus animorum non improbantes in ordine ad diuinationem. animadu. 9. philoſophica num. 21.

Pythoſcopia diuinationis genus. anim. 54. phil. n. 117.

Q.

QValitates rerum occultæ diuinationibus inſeruientes. animad. 54. phil. n. 118.

Quàm vanæ ſomniorum interpretationes, & obſeruationes apud Epicureos, Cynicos, & Stoicos. animad. 41. phil. num. 91.

Quedliburgicus Medicus in curatione proprij filij valde deceptus. animadu. 50. phil. num. 109.

Quomodo homines Dij arte facti ab Aſclepio. animaduerſio 32. philoſophica num. 70.

Quorumdam futurorum coniectatio Dæmonibus conceſſa. anim. 12. philoſoph. num. 28.

R.

RAnæ coaxantes ſigna pluuiarum, anim. 23. phil. n. 53.

Rationes adductæ ad improbandam diuinationem ex animi concitatione. anim. 6. phil. n. 16.

Ratio diuinationi maximè inſeruiens. an. 2. phil. n. 5.

Ratiocinium arithmeticum à Platone allatum de Rerumpub. periodis non admittitur. anim. 56. phil. n. 122.

Regnorum euerſiones, regumque interitus non ſemper benè prænunciantur ex Cometis. anim. 19. phil. n. 44.

Reijcienda ſomniorum diuinatio ex alijs cauſis, quam ex illis, quas affert Cicero. anim 42. phil. n. 93.

Rerum ſucceſſio malè in diuinationibus adhibita. anim. 30. phil. n. 6[illegible].

Rerum diſcrimina in ſacrificijs adhibita ad diuinandum. anim. 35. philoſoph. num. 77.

Rerum neceſſariarum non ſemper certa cognitio. animaduerſio 52. philoſoph num. 114.

Rerum figuræ ipſarum rerum ornamenta, non diuinationis inſtrumenta. anim. 55. num. 120.

S.

Sapientes meliùs diuinant, quam rudes, & ignari. anim. 3. philoſ. num. 6.
Sacrificiorum immutationes futurorum indicia apud Veteres. animad. 35. phil. n. 77.
Seruij Tullij caput ignibus radiatum dictum eſt regiæ dignitatis præſagium. anim. 20. phil. n. 46.
Sidera multorum euentuum non mera ſigna, ſed etiam cauſæ phyſicæ. anim. 15. phil. n. 34.
Siderum virtus numquam otioſa. anim. 15. phil. n. 34.
Siderum ſignificatio in pluribus prorſus inanis. anim. 16. phil. n. 37. 38.
Sideribus etiam indita omnium rerum ſignificatione de poſſibili, non propterea ex ipſa omnia cognoſci poſſent præciſa reuelatione. animaduerſ. 16. philoſ. num. 37. 38.
Siderum ſignificatio ipſorum cauſalitati naturaliter reſpondens. animadu. 16. phil. n. 38.
Somnia opportuniora excitandæ Idearum contemplationi pro ferendis vaticinijs. anim. 7. phil. n. 17.
Sortes præneſtinæ, & Antiatinæ, & earum vſus. anim. 43. phil. n. 94.
Species rerum naturalium Dæmonibus cõgenitæ non arguunt in ipſis omnium futurorum naturalium diuinationem. anim. 12. phil. n. 29.
Spiritus phantaſticus ab Idolis rerum effluentibus minimè excitatus ad diuinandum. anim. 8. phil. n. 19.
Spiritualia cum corporeis nullam habent cauſalitatem connexionem. anim. 15. phil. n. 35.
Spiritus vatidici è terra erumpentes. an. 33. n. 72.
Status corporis ex ſomnijs indicatus. an. 40. phil. n. 89.
Stellæ cadentes, & per æthera diſcurrentes nihil præſignificant euenturum. an. 20. phil. n. 45.
Stoici vnum tantùm diuinationis genus admittentes. animadu. 3. philoſoph. num. 7.
Syllæ Dictatori proſperi euentus prænunciati ex fulmine. animadu. 26. phil. num. 58.
Sympathiæ, & Antipathiæ rerum diuinationibus ſuffragantes. animad. 54. phil. n. 117.

T.

Tarquinij cogitatio occulta diuinata. anim. 2. phil. n. 1.
Temporum comparatio nullam infert certam coniectandi artem de futuris contingentibus. anim. 29. phil. n. 65.
Temporum mutationes variæ ex varia ventorum afflatione dignoſcuntur. an. 22. phil. n. 49.
Terræ incendia ex deliquijs Solis, & Lunæ non benè prænunciata. anim. 28. phil. n. 62.
Terræ incendia inopinatò erumpẽtia quædam indicia habere ſolent. anim. 28. phil. n. 62.
Terra nauigij inſtar aquis ſuſtentata iugiter fluctuat ex doctrina Thaletis. anim. 27. phil. n. 60.
Terræ halitus violentus vaticinijs nihil conferens. aniaduerſio. 5. philoſoph. num. 13.

Ter-

Terræmotus præuiſi ex præcurrentibus in natura ſignis. animadu. 27. philoſoph. num. 60.

Terræmotus ſigna ſemper incerta. ibid. num. 61.

Theatri ſympathetici doctrina non ſatis probatæ. animaduerſio 54. philoſoph. num. 118.

Tonitruis ſignificationes ab Ethnicis affixæ omnino remouendæ. animad. 21. phil. n. 48.

Tonitrua, flatus, & vapores per nubes impetu diſcurrentes. anim. 21. phil. num. 48.

Tonitrua ventorum indicia ex Seneca. anim. 25. phil. num. 57.

Tonitruorum cauſæ variæ. ib.

Tranſmigratio animorum Pythagoreis negata. Animaduerſio 9. philoſophica num. 21.

Triſmegiſti doctrina circa ſtatuarum animationes ope Dæmonis faciendas. an. 32. phil. n. 70.

Tullius nullam fidem vult ſomnijs adhibendam eſſe. animadu. 42. philoſoph. num. 93.

Turris marmorea octangularis Athenis erecta ad ventos omnes deſignandos. anim. 22. phil. n. 49.

Tyreſias tunc diuinator, cum cæcus euaſit. Animaduerſio 38. philoſophica num. 83.

V.

Valetudinis bonæ, vel malæ ſigna certa, & neceſſaria ex Galeno. anim. 49. phil. n. 107.

Vaticinantes ex inſania, ac furore non admiſſi. anim. 5. phil. n. 13.

Vaticinium Oraculi Delphici de Christo naſcituro. animaduerſio 33. philoſ. num. 73.

Vaticinia Pythia quomodo ex capra paſcente exorta. ibid.

Vaticinia Socratis per ſomnia. anim. 39. phil. n. 86.

Ventorum non genus vnum. anim. 22. phil. n. 49.

Ventorum flatus etiam in aſtra redigendi. anim. 22. phil. n. 49.

Veterum auguria capta ex Tonitruis. an. 25. phil. n. 56.

Victimarum exploratio quomodo in diuinationibus adhibita apud Græcos. an. 36. phil. n. 79.

Victimarum examen, quam vanum pro inſtituendis diuinationibus. ibidem num. 8.

Virgula diuina apud metallarios quænam. anim. 54. phil. n. 117.

Vis diuinatiua futurorum nulli lumini à natura congenita. anim. 4. philoſ. num. 10.

Vis diuinatrix neque indita animo immortali. animaduerſio 59. philoſoph. num. 128.

Vſus ſortium apud Veteres ad diuinandum ineptus. animaduerſio 43. phil. num. 94.

X.

Xenocrates admittens motum rerum perpetuum, eumque collocans in tempore. animadu. 29. phil. num. 64.

Zeo-

Z.

ZEoſcopia diuinationis genus. anim. 54. phil. n. 117.

Zodiaco ſortes conformatæ per figuras planè inanes. animaduerſio 44. philoſ. num. 96.

Zodiaci ſigna non omnes fortuitos euentus ſignificant, aut portendunt. anim. 15. phil. n. 35.

FINIS.

Digitized by Google

ANIMADVERSIONES

ASTROLOGICÆ
IN TRACTATVM DE FIDE
DIVINATIONIBVS
ADHIBENDA.

Digitized by Google

Digitized by Google

ANIMADVERSIO I.

ASTROLOGICA

In Vanitatem Diuinationis Aſtrologicæ.

1 SATIS eſt ad euincendam aſtrologicæ diuinationis vanitatem, quod illã ſapientiores Philoſophi omni æuo deriſere; ac præ cæteris Pythagoram omnem fidem huic diuinationi abrogaſſe, teſtes ſunt apud Mirãdulanum lib. 1. Theodoretus, Laertius, & Plutarchus. Sic etiam præter Democritum Academicum, & Panætium Stoicum eadem ridetur etiam à Seneca,& confutatur à Cicerone; Quia Plato ipſe & Ariſtoteles Philoſophiæ Princeps eam indignam putauerunt, de qua verbum aliquando facerent, plus eam ſilendo, quam quiſquam voce, ſcriptiſuè condemnantes. Et licet plerique, ac præclari Philoſophi inuenti ſint, qui de hac prophetante aſtrologia ſcripſerint, id eò fecere non quod fidem adhiberent ijs, quæ ſcriberent, vt aduertit Nicolaus Leonicus, ſed propter auaritiam, & propter Principum imperitiam; nam cum in dimetiẽdis aſtrorum motibus, & corporibus, quod Mathematica facit Aſtronomia, præcellentes illi viri dic noctuque laborarent, nullumque inde referrent à Principibus emolumẽtum, quibus ſcilicet nihil curæ eſset, quam magno ſidera corpore, aut quã veloci motu per cæli ſpacia reuoluerentur, hoc illi, cum vidiſſent, ne cæleſtia perſcrutantes, interim terrenorum eſsent inopes, hanc lepidam diuinationis aſtrologicæ cæperunt excogitare fallaciã, qua ſibi Principum animos obligarent, & ſuæ profeſſionis facerent amatores; & ideo commenti ſunt ab aſtris omnium fortunas dependere, ſed præſertim Principum, eorumque liberos, vitam, imperia, victorias, & id genus alias, quæ tamen nullo modo eſse in aſtra referenda agnoſcebant.

Ratio potiſſima vanitatem demõ- 2

ſtrans aſtrologicæ diuinationis ea eſt, qua vtitur etiam Phauorinus apud Gelliū, quod ſcilicet nemini liqueat, ſtellas erraticas non eſſe plures, quam vulgò dicuntur; poſſe enim fieri, vt plures ſint, quas cernere homines nō poſſint propter exuperantiā vel ſplēdoris, vel altitudinis; nam quædam ſidera è quibuſdam tantum terris cōnſpiciuntur, earumque terrarum hominibus dumtaxat nota ſunt; ſed eadem ipſa ex alia omni terra non videntur, & ſunt alijs omnino ignotiſſima; atque vt demus has tantummodo ſtellas ex vna parte terræ obſeruari debuiſſe, qui tandem finis iſtius obſeruationis fuit? quæ tempora ſatis ſunt ad præmonſtrandum, quid ſignificet aut ſitus ſtellarum, aut circumitus, & tranſitus? non enim adhuc notum eſt quot ſæculis huius orbis motus perfici poſſit; cum conſtet inter Aſtrologos Stellas erraticas, quæ omnibus rebus fatales dicuntur, infinito propè annorum numero ad eumdem locum, cum eodem habitu ſimul omnes, vnde profectæ ſunt, regredi; vt neque vllus obſeruationis tenor, neque memoria vlla tanto æuo poſſit durare. Cum igitur Aſtrologi non certo teneant aſtrorum numerum, vires, influxus, & efficientiam, neque fieri poteſt, vt veram habeant ex aſtris prædicendi artem, nam ignoratis cauſis, neceſſe eſt etiam effectus ignorari; Ignorare autem Aſtrologos, quæ ſit Cæli natura, quæ magnitudo, quī numeros orbium, quæ motuum varietas, quæ lux, aut ſiderum poteſtas ex eo conuincitur, quod ſi omnia illa tenerent, in tam diſcrepantes ſententias non abirent; cum admittant alij octo tantum cæleſtes orbes, alij nouem, alij decem, nonnulli vndecim, multi duodecim, plerique tredecim; quidam etiam tres tantum. Ignorant etiam Aſtrologi, Cælum ne ſit natura quædam ſimplex, an verò compoſita ex materia, & forma; an vna, & eadem ſit materia cæleſtium orbium, & rerum inferiorum; ſitne Cælum animatum vel inanime; an à ſeipſo moueatur, vel extrinſecùs ab Intelligentia; Quid cauſæ, cur non omnes orbes vno motu circumagātur; & alia eiuſmodi plura; quæ cum ignorentur ab Aſtrologis, atque ab ipſis præſertim pendeat aſtrologica diuinatio, ſufficiunt pro demoſtranda huius artis inanitate ſeù vanitate.

ANIMADVERSIO II. PHILOSOPHICA In Incertitudinem Diuinationis Aſtrologicæ.

3 INCERTITVDO diuinationis aſtrologicæ eo maximè innoteſcit, quod Principes ipſi artis diuinatoriæ profeſſores eius incertitudinem agnouere; Ptolemæus ſiquidem, poſtquam iudicia Aſtrologorum ſæpè eſse mendacia dixit vitio prædicentium, affirmauit etiam hanc artem iugiter per incerta vagari, eo quod maior ſit aſtrologorum imbecillitas, quam, vt tantæ profeſſionis magnitudini pares ſint; addens etiam, ex eo incertam eſse, quod quæcumque aſtra promittant, poſſit tamen non euenire; vel quia materia non ſit idonea influxui ſuſcipiendo; vel quia humana à variabili arbitrio plurimum dependent, vel quia quocumque fato particulari Omnipotentior, & Cęlo maior diuina prouidentia ſit; quæ omnia incertitudinem arguunt in diuinatione Aſtrologica; Quin imo ex his etiam Haly Ptolæmei interpres friuolã prorſus, & inefficacem aſtrologiæ partem appellat, quæ circa eléctiones verſatur; cum experientia ipſa manifeſtum ſit eos potiſſimũ in in ſuis rebus agendis parum eſse felices, qui vanam hanc artem obſeruant; Contra verò longe feliciores eos, qui iſta ſuperſtitione reiecta, ſola electione, & prudentia vtuntur; Zoroaſtrum enim inter antiquos aſtrologia, magicis, & armis potentiſſimum, vicit, & occidit in bello Ninus nec Aſtrologus, nec Magus; Pompeium diuinatorum reſponſis plurimam fidem adhibentem aduerſa poſtrauit fortuna, Cæſarem erexit felix, ac lęta aſtrologię hoſtem; Iulianum denique Imperatorem, & Chriſtiani nominis inimicum, & omnium ſuperſtitionum aſtrologicarum obſeruatorem è vita ſimul & imperio citiſſimè vitæ ſcelera exturbarunt; & ſi omnes illos recenſere fas eſt, qui aſtrorum arte decepti, ſeries penè in infinitum protracta attexeretur.

At eo magis incertitudo huius artis probanda eſt, quod eam omnis philoſophica ratio reddit improbabilem; Primò quia euentus futuri particulares cognoſci non poſsunt niſi per eas cauſas, à quibus ſuum eſse particulare ſortiuntur; à Cælo autem, & ab aſtris eſse recipiunt, tamquam à cauſis vniuerſalibus, cum eorum efficientia vniuerſalis ſit, ſcilicet ad producendos quoslibet effectus per ſuas cauſas proximas, & particulares. Secundò cum omnis aorologica diuinatio fundetur in connexione, quam habent corpora inferiora cum ſuperioribus ſequeretur poſse ex aſtris diuinari 4

nari etiam fata omnium corporum inferiorum, & omnium animantium, muſcarum etiam, & culicum, quod tamen nemo aſtrologorum affirmat; nō enim eſſet maior ratio de vno homine aſtris ſubiecto, quam de cæteris animantibus. Tertiò cum homines vſum habeant ſuæ liberæ voluntatis, quæ nullo modo poteſt ſubjici Cælo agenti ex neceſſitate naturę, non poſſunt agenda ab hominibus vllo modo ab aſtris dependere; maximè quia nemo de ipſo certò ſtatuere poteſt, quid in poſterum facturus ſit; numquam enim humana voluntas eodem firma veſtigio hæret, ſed variè ſemper mutatur, & ambulat, igitur multò minus poterit Aſtrologus diuinare, aut definire quid ab ipſo homine agēdum ſit, & quò voluntatis impetus eum ſit abrepturus. Quarto deniquè quia experientia conſtat aſtrologicas diuinationes, vt plurimum falſas eſſe, ac perquam rarò veridicas eſſe, ex quo apparet eas non ex certa aliqua arte proficiſci, ſed tantum temerè, ac fortuitò denunciari. Atque ex his potiſſimum rationibus viri omnes excellētioris ingenij aſtrologicas diuinationes nihili ſemper fecere, exceptis ijs, in quibus Phyſica corporū, ac qualitatū coordinatio eſſe poteſt.

ANIMADVERSIO III. ASTROLOGICA

In errores Diuinationis Aſtrologicæ.

5 INNVMEROS profert Mirandulan. lib. 2. Aſtrologorum errores, quos omnes recenſere nimis operoſum eſſet. at à nobis colligendi ſunt præſertim ex multorum ignorantia, quæ ſcire deberent Aſtrologi, & tamen ignorant; ac prę cęteris error ille pluſquam palmaris eſt, quod ſpeciales denuncient effectus, ſeù euentus ex vniuerſaliſſimis cælorum, atque aſtrorum cauſis, quarum actiones ex actionum particularium conſortio, vt plurimùm immutantur, ac propterea etiam variatos portendunt effectus, atque à cauſis vniuerſalibus diſſonos. Alius error eſt, quem etiam affert Mirandul. quod ab Aſtrologis numquam benè obſeruantur anguli illi, qui ſequuntur locum, in quo deficit Sol, vel Luna, cum id maximè ad certam futurorum prænunciationem ſpectet, ex quo errore tota prędicendi ratio infirmatur, cum nihil in prædicendo magis reſpicere debeant Aſtrologi, quam naturam, & ſtatum ſiderum cum loco Luminarium angulis prædominantiū; pro diuerſa namque dominantis ſideris natura varia, imo contraria ſit de

futuris

Digitized by Google

ſuturis euentis pronunciatio. Alius error Aſtrologorum ſumitur ex nimia inter ipſos ſententiarum diſcrepantia, qui in nulla penè obſeruatione aſtrologica conuenientes in id vnum cõueniunt, vt à veritate ſemper aberrent; nec Porphirius aliunde oraculorum reijcit reſponſa tamquam falſa, niſi quod ex cæleſtium cauſarum obſeruatione eſſent per Dæmones deprompta, qui tamen lõgè feliciùs per cæli contemplationem ſuo ingenij acumine peruagantur; poteſt namq. quodcunq. ingenium inter aſtra à nobis remotiſſima facile decipi, atq. inter ſpacia illa nimium ſplendentia halucinari; qua ratione excuſat idem Porphyrius diſcordem Ægytiorum, Perſarum, Indorum, & Babyloniorum aſtrologiam, & ſimul etiam incuſat tamquam erroribus plenam. Alius error ortus eſt ex Aſtrologorum indiligentia in conſulendis Ephemeridis ad quas vt veram ſiderum poſitionem aſſequantur, ſolent confugere; id enim qui faciunt, & multa perperam dicere, & multa etiam omittere neceſſarium eſt, & hinc omnis prædictionum veritas infirmatur, in Ephemeridis namque nulla de Planetarum latitudine ſignificatio habetur, qua ignorata, neceſſe eſt multa ignorari, vt doctè demonſtrat Mirandulan. loco cit. Addo tam varias eſſe Aſtrologorum Ephemeridas, ſcilicet tabulas quaſdam quibus vtuntur, vt vix ex illis aliquid certi erui poſſit.

6 Error Aſtrologorum poſtremus, & ſummus ille putandus eſt, quod exiſtiment neceſſariam eſſe Aſtrologiam ad diuinandum numerum annorum, qui ab Adam ad Chriſtum lapſus eſt, de quo inter Eccleſiaſticos Codices tanta eſt concertatio; & etiam ad cõfirmanda Prophetarum Oracula, quibus ſine aſtrologicis prædictionibus illis cohærentibus aliquid fidei detraheretur, cum vna debeat eſse veritas, & per Prophetas reuelata, & in aſtris contenta, vnde neceſſe eſt theologicæ veritati etiam ſcientiam aſtronomicam eſse concordem, cum inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciantur, & Cæli enarrent gloriam Dei, & opera manuum eius annunciet firmamentum: Hunc autem errorem eſse inter Aſtrologos eximium ipſa ratione conſtat; nam in primis nondum certum eſt apud Aſtrologos, quot fuerint ab exordio mundi magnæ illæ coniunctiones, ex quibus per aſtrologicam ſupputationem volunt haberi veritatem de numero annorum ab Adam ad Chriſtum; & licet ſeptem tantum ſupputarentur coniunctiones maximæ, vt plerique volunt, atque ex hac parte poſſit ille annorum numerus certò haberi, non proinde haberi poſset certitudo prædictionum aſtrologicarum, quæ fiunt de futuris; cum futura pendeant ab alijs quamplurimis cauſis, quæ extra cælum, & aſtra ſunt. Sic, quæ à Prophetis enunciata ſunt, nec fieri poſse à cælis, nec ſignificari facilè demonſtratur, cum plura in eorum virtute, aut ſignificatione nequeant contineri, vt ſunt præſertim miracula, & reliqua entia ſupernaturalia, actus liberi, & alij euentus ad cauſas cælis ſuperiores ſpectantes. Alij ſunt etiam, ac penè ſine numero Aſtrologorum errores, quos hic non refero, cum

non ſit meum inſtitutum eos confutare, ſed quibuſdam allatis ex alijs illis ſimilibus falſitatem totius diuinationis Aſtrologicæ conteſtari.

ANIMADVERSIO IV.
ASTROLOGICA
In Damna Diuinationis aſtrologicæ.

7 ALIIS Aſtrologorum erroribus is etiam fortaſsè alijs illuſtrior adiectus eſt quod aſtrologica diuinatio chriſtianæ religioni maximè proſit, cum ipſam eius veritas magis, ac magis nobis confirmetur; at quale mendacium hoc fuerit, non ſolum ex dictis coniectandum eſt, ſed etiam ex eo, quod nō ſolum arma aduerſus catholicam religionem ex hac arte ſuppeditantur, ſed etiam ad impietatem, ad malam religionem, ad hæreſes, ad vanam ſuperſtitionem, ad perditos mores, ad irreuocabilem malitiā præceps, & facillimus lapſus præparatur. Qui enim diuina miracula, quibus omnis potiſſimum religio confirmatur referunt ad cælum, ij ſanè aduerſus religionem armant impietatem, eiuſq. radicibus admouent ſecurim; omnia enim putant facta, non ſumma quadam, ac diuina potentia, ſed ſola ſtellarum cognitione; ac propterea apud Veteres Aſtrologos leges omnes, religiones, cultus, vt cæteræ res humanæ ſiderum conſtellationibus ſubijciebantur; Et Ptolæmeus ipſe lib. 2. Apoteleſmaton, quod apud hāc gentem illud Numen, apud aliā aliud coleretur, non aliūde natum intelligit, quam ex varia ſiderum, imaginūq. natura populis illis, & gentibus imperitante; nec procul ab eo loco Grçcus quidam Ptolæmei interpres miraculum Moyſis, qui ſicco pede cum populo mare rubrum pertranſiuit, factum ait, quod ille acceſsum, & receſſum maris obſeruauerit; quaſi non ſimul in iiſdem aquis & illçſus Hebrçorum populus pertranſiret, & cū Aſtrologis ſuis Pharao ſubmergeretur; & quaſi non Ioſue Iordanem ſicco pede tranſierit, in quo nulli æſtus, nulla vndarum reciprocatio fingitur ab eis.

8 At non ſolum vetuſtioris religionis damna ex aſtrologicæ diuinationis profeſſione corruare clarè diſpiciuntur, cum vt dixi, quæcumque populo Iudaico contigere in tanta annorum ſerie advarias ſiderum coniunctiones relata ſint; ſed etiam recentioris, & Euangelicæ; inuenti namq. ſunt homines quidam in ſplendore Euangelij ita cæcutientes, vt longè peius, quam antiqui de noſtra religione ſentirent, eò vſque dementiæ abrepti, vt ipſum Dominum Ieſum affirmarent

marent omnia peragenda ex aſtris euocaſſe; ac præſertim in agendis ea tempora ſibi elegiſſe, quæ ad optâtos euentus agnoſceret ex aſtris opportuniora; qualem aiunt fuiſſe electionem illius horæ, qua Iudęi non potuerunt eum lædere, quando ipſum comprehenderunt, quaſi illos, cum voluerit, non proſtrauerit, & inter eoſdem in luce diei medius tranſiens, eos non latuerit. Mitto quã temerariè, quam blaſphemè quędam diuini amoris miracula opera Martis fabulentur eſse; atque religionem chriſtianam à Ioue cultus rectitudinẽ, & à Virgine ſuam puritatem accipere. Quomodo etiam in nouo deligendo Pontifice ſidus Mercurij doceant eſſe deuotè ſupplicandum, vt ſuo ſancto affulgeat radio; Mercurio namque noſtram ſubeſse religionem affirmãt, & ideo Chriſtianos homines Mercuriales appellant. Alij denique eò vſque delapſi ſunt, vt ſcribere non dubitauerint, errare Chriſtianos omnes, qui die Sabbati non feriantur, quaſi debeant operibus vacare ritu Iudæorum ex eo, quod ſit dies Saturni, quæ ſtella rebus agendi parum commoda eſt, parumque felix exiſtimatur; quæ omnia ſi quis recto iudicij examine penſet, videbit nullo magis errore pietatẽ veræ religionis offendi, quam errore artis aſtrologicæ, cum æquè impium ſit nullam omnino putare eſſe veram religionem, atque ex cælo fatali quadam neceſſitate eam deducere. Sic ex arte aſtrologica Idololatriam promanaſse facilè affirmari poteſt, cum nulla faciliùs apud homines ſit capeſſenda religio, quam eorum Numinũ, à quibus omnia bona ſua, & mala expectant, quæ Numina per Aſtrologos aſtra ſunt; ſic etiam Manichæorum hæreſes arbitrij libertatem tollentes ex falſa de fato Aſtrologorum opinione, habemus apud Auguſt. ortas eſse; ſic denique reliquas in orbe ſuperſtitiones ex hac arte prodijſse cõteſtatur Varro, qui etiã affirmat Geomantiam, Magiam, Chiromantiam eſſe alumnas Aſtrologiæ, cum ſine illa non exerceantur.

ANIMADVERSIO V. ASTROLOGICA

In Diuinationem Aſtrologicam ex rerum experimentis.

9 NVLLA ars eſt, tam anilis, ac vacua, quæ quandoque experimentis non comprobetur, non quod ex artis cuiuſcumque inſtituto, atque certitudine illa ſuccedant, ſed quod caſu plerumq. res ipſæ noſtræ reſpectu noſtri regantur; quo fit, vt attentis rerum euentibus, ibi ſępè magis veritas inueniatur, vbi minus ſperabatur; ſiue quod ibi plus poſſit caſus, vbi minus eſt rationis; ſiue quod in illis multiplex Aſtrologorum fallacia nos ludificet; ſi enim de præteritis Aſtrologis eſt dicendum, vt oſtendant talia eueniſſe, qualia cælum ſignificabat, nihil eis deeſt, maximè ad irretiendos imperitorum animos, quod aliqua ſiderum poſitio, genitura aliqua, aut conſtellatio cæleſtis nō ſignificet, ſiue ſignificatio ſit proſperæ, ſiue aduerſæ fortunæ; ſi vero de futuris prædicendum ſit, in his quoque non deſunt rationes ad fallendum, cum generaliter vt plurimum futura enuncient, quæ non poſſunt ferè non euenire, aut non putari ſaltem non eueniſse, ambiguè ſemper ſua oracula aſtrologica proferentes, ſemperque aliquid excipientes, quo poſſit illud, quod prædictum eſt, quoquo modo comprobari: Quando verò aliquid veri pronunciant explicitè, quod tamen raró ab ipſis auditur, tunc dicendum cum D. Auguſt. eos veritatem illam occulta dæmonum afflatione aſſequi, quam alioquin non aſsequerentur; quod nobis ſatis eſſe deberet, vt ab aſtrologicis prædictionibus animum auerteremus, & fidem; præſertim cum ad excuſandas ſuarum prædictionum falſitates multa proferant, quæ vix ab ipſis Aſtrologis percipiuntur, faciunt enim pro libito eoſdem planetas modo felices, modo infelices, aiuntque plus iuris in cæleſtibus habere, quam in terrenis; nec deeſt ſuffragari eorum falſitatibus, vel ambiguus cæli locus, vel ſigni bonitas & malitia, vel ſtellæ contrariæ radiatio, vel aliquid aliud eiuſmodi; & cùm hæc non ſatis ſunt, auxilium implorāt à ſtellis nō erraticis, in quibus ipſi nūquam non errant, vel confugiunt ad Indorum imagines, ad Ægyptiorum partes, vel ad Antiſcia Firmici, vel ad dodechatemoria Chaldęorum, vel ad aliud ſimile figmētum omnibus ignotum atque imperceptibile; vnde benè qui Homerū allegoricè exponunt per illā Icari fabulam, qui factitijs pennis cælo tenuiori ſe committens in mare præcipitatus eſt, Aſtrologos aiunt deſignari, qui pēnis temerarię artis in cę

lum

Google

lum ſe ſubſtollentes, in pelagus ruunt mendaciorum.

10 Et inde præſertim diuinationis aſtrologicæ falſitas ex rerum experimentis deprehendi poteſt, quod in notioribus rerum euentibus mendaces vt plurimùm appareant, in ipſis etiam aeris, & temporum mutationibus, quibus nihil certius ab Aſtrologis haberi poteſt, cum obſeruatione comprehenſum ſit, nullius ferè vnquam dici ſtatum eorum prædictionibus reſpondiſſe; quod diu ſe obſeruaſſe teſtatur Picus Mirandulan. lib. 2. cap. 9. cum igitur de aeris ſtatu ferè ſemper falſa proferant oracula, facile hinc animaduerti poteſt, non ſolum de rebus ſpectantibus ad nubes nebulones Aſtrologos mentiri, ſed etiam, cum prædictiones ferunt de hominum, ac populorum fatis, quæ longè minus ſubiacent cælo, quam Elementares, aut Metheorologici euentus; Atque innumera recenſeri poſſent exempla, & experimenta, quibus Aſtrologi mendaces, & falſi viſi ſunt, plura prædicendo, quæ aut non euenere, aut ſaltem non eo tempore, aut cum circumſtantijs prædictionibus ipſis omnino oppoſitis; quæ percurere volentibus, præſto ſunt apud omnes Aſtrologorum oppugnatores.

ANIMADVERSIO VI. ASTROLOGICA

In Diuinationem Aſtrologicam ex artis, & naturæ concurſu.

11 NOMINE naturæ ordo ille intelligendus eſt, quo cauſæ neceſſariæ, & neceſſariò agentes creatæ ſunt, & præordinatæ à Deo omnium rerum opifice; nomine verò artis ea cauſarum liberarum libertas intelligitur, qua ipſæ cauſæ neceſſariæ ex arte, & induſtria applicantur ad plures cauſandos effectus; quæ libertas in cauſis liberis, dato quod poſſet à cauſis neceſſarijs allici ad magis appetēdam hanc vel illam rem, cogi tamen nullatenus poteſt. Cum verò ex arte, & natura hoc modo explicata, & ad varios euentus concurrente confuſio quædam, ac cōmixtio ſæpè oriatur, hinc fit, quod non omnia, quæ præordinata ſunt in ipſa natura, ſeù in cauſis neceſsarijs, exeant ad lucem, & habeant ſuum effectum, eo quia peruertantur ab arte, ex quo ſequitur, quod non omnes naturæ effectus poſſint præuideri; ſic neque quęcumque fiunt ab arte, optatum aſſequuntur finem, eo quod natura ipſa iuxta curſum ſuæ præordinationis ſæpè artē præuertat.

ex quibus perſpicuum eſſe poteſt, quam facile decipiantur Aſtrologi plura prædicendo, licet ab arte, & natura dependeant.

12 Hinc primus eſt Aſtrologorum error, cum putant non poſſe mores inditos in pueris à natura, ad libitum parentum, & nutrientium ſedula educatione in alteram partem inditæ inclinationis detorqueri; quamuis enim natura validiſſimè renuat, ars tamen poteſt naturam vel temperare, vel etiam omnino vincere. Sic decipiuntur Aſtrologi illi qui bonarum artium perpetuam imperitiam prędicunt natis, quaſi ex libertate non poſſint illas ſibi vigilijs, & labore comparare; licet verum ſit, quod ingenij docilitas, & peculiaris ad diſciplinas propenſio plurimum conferat, atque ad longè vlteriorem perfectionem, & minori labore deducat. Decipiuntur etiam prædicentes natis, quæ ad fidem, ad gratiam, ad pios attinent mores, cum hæc aſtris ipſis ſuperiora ſint, & poſſit homo gratia adiutus ab omni iniquitate ſe ſubtrahere, licet adſit aſtrorum impulſus; hominis namque libertas, & ſapientia poteſt aſtris ipſis dominari, imo futuros infelices aſtrorum afflatus reddere felices ſi velit, & è contra; cum poſſit homo arte, & induſtria etiam ab ijs ſe præcauere, quæ maximè ſubijciuntur cælo, puta ab ingruentibus morbis, & eiuſmodi; ſi enim ex ſua libertate medicamenta, vel alias cautelas adhibeat, facile reſiſtit, & euadet; nam medicamenta corpus præmuniunt ad reſiſtendum, & qui ea ſumunt, roborantur, & adiuuantur ad euadendum; quemadmodum ea negligentes ſæpe auxilio, & robore ſponte deſtituuntur. Mitto hic alios Aſtrologorum errores in ijs, in quibus concurrunt ars, & natura, cum enim huiuſmodi concurſus in omnibus ferè actionibus vitæ inueniatur, ideo fit, quod innumeri ſint eorum prædictionum errores.

ANI

ANIMADVERSIO VII. ASTROLOGICA

In Diuinationem ex ſiderum ſubſtantia.

13 EX varia ſiderum ſubſtantia, quæ ipſis ab Antiquis ſapientibus adſcripta eſt, varias rerum diuinationes ab Aſtrologis deſumptas eſſe cõperimus; qui enim ingenerabilem, incorruptubilem, atque omni modo immutabilem aſtrorum ſubſtantiam fecere, negãtes inde mundi totius exortum, & interitum, euentus quoque ſtato iugiter ordine, atque immutabili prouenientes ex ipſa prędixere; qui verò contra cælum, & aſtra mutationibus formarum obnoxia fecere, inde quoque ad eorum mutationes variatos euentus eſſe in orbe conſecuturos exiſtimarunt; Sic præ cæteris orbis, ac terrarum incendia plura ab aſtrorum ignea natura facilè ad accenſionem propenſa coniecere, atque cum eiuſmodi aſtrorum accẽſiones, atque inflammationes ex exhalationum congerie ſurſum rapta præuiderent, ſtatim incendia magna prædicebant in terris; ſiue putarent aſtra eſſe ex igneis atomis, ſeù corpuſculis conflata; ſiue eſſe ſpecula quædam; igne aliunde excepto fulgẽtia, ac rutilantia; ſiue nubes accenſas, ſiue lapides ardentes, ſiue laminas candentes, ſiue glebas inflammatas, ſiue denique ignes ignitos; in his enim non vna fuit omnium ſententia apud veteres. Alij verò ex eo diuinationes futurorum ex ſiderum ſubſtantia inſtituebant, quod putarent, quodlibet ſidus eſse integram mundi Sphæram, quæ in æthere infinito complecteretur non ſolum elementa quatuor, aerem, terram, aquam, & ignem, verum etiam animalia cuncta, homines quoque, & reliqua eiuſmodi, quæ in hoc mundo diſpiciuntur; atque cum mundum hunc inferiorem factum putarẽt ad ſimilitudinem ſuperiorum qui in aſtris continerentur, ſpectatis illis ſuperioribus, cognitiſque omnibus motibus, & euentibus, qui in illis contingerent, arguebant, ac diuinabant eoſdem prorſus eſse in mundo inferiori euenturos. Alij denique ſubſtantiam aſtrorum diuinitate donatam credidere, in qua eſsent omnium futurorum decreta ſplendidè inſcripta, ad quæ præcognoſcenda ſatis eſset cælum, & aſtra ipſa ſuſpicere, ex quorum numero refert Lucretius lib. 5. eos fuiſse, qui

Immortalia mortali ſermone notantes
Quæ procul vſque adeo diuino à Numine diſtent
Inque Deum numero ſic ſint indigna videri

No-

Notitiam potiùs præbere, vt poſſe putentur
Quod ſit vitali motu, ſenſuque remotum.

14 Verum ex Veterum deliramentis nullo modo cõmendari poſsũt Aſtrologorum vaticinia, cum neque ipſis fas ſit in ſuis vaticinijs à ratione diſcedere, demus namque aſtra cuiuſlibet eſse naturæ, & ſubſtantiæ, ſiue igneæ, ſiue animatæ, ſiue etiam diuinæ, non proinde futura ex ipſis coniectare vnquã licebit; quis enim ille eſt, qui etiã cognito igne ſublunari, cognoſcat ſtatim omne id, quod ille ignis facturus ſit; quæ incẽdia ſuſcitaturus, aut id genus alia patraturus? atque quod dicitur de igne, dicendũ eſt etiã ſi ſupponeretur quodlibet aſtrum eſſe animal, eſse mundum, vel eſse ſubſtantiæ diuinæ; ex cognitione enim alicuius ſubſtantiæ, quæcunque ſit, non dignoſcitur, quænam & quales ſint exituræ operationes illius ſubſtantiæ, præſertim cum operationes eiuſmodi latentes ſint. Addo eos omnes, qui ſupra relati ſunt, fuiſse antiquorum errores circa aſtra, nullaque ratione conſtare ſubſtantiam aſtrorum eſse illius naturæ, quæ à Veteribus deſcripta eſt, cum ſatis apertè, & luculenter oppoſitum conſtet ex lib. de Cælo per Ariſtotelem. Diuinitatem verò poſitam in aſtris præſertim damnat Lucretius eodem loco, vbi ſubdit

—— ne forte rearis
Terras, & Solem, & Cælum, mare, ſidera, Lunam
Corpore diuino debere æterna manere.

cui adhærens Lactantius lib. 2. cap. 5. ſic argumentatur, ſi mundi Elementa & ſidera Dij ſunt, & mundus eſt Deus, igitur vnus Deus conficitur ex aceruo multorum Deorũ, & cognita res vnius Dei, non ſequitur res aliorum cognoſci.

ANIMADVERSIO VIII. ASTROLOGICA

In Diuinationem ex ſiderum qualitatibus.

15 POSVERE nõnulli Aſtrologorum in ſiderum ſubſtãtia præter lucem quaſdam alias qualitates, quæ vel ex ſe ipſis eſsent multorum euentuum molitrices, vel ex aliarum qualitatum conſortio mira, ac ſtupenda nobis obtruderent ſpectanda; quænam verò eſsent qualitates eiuſmodi, aut ſimplicitate ſua in ſublunaria agentes, aut mixtione aliarum, non ſatis apertè explicarunt; id ſatis ſibi putãtes, quod ex effectibus agnoſcerentur, nimirum, cum alij ſpectarentur

tur

Digitized by Google

tur effectus præter illos, qui proficiſcuntur à luce, arguebant ipſi, alias quoque eſse adſtruendas qualitates, ex quibus effectus illi promanarent; atque ex illis vaticinari conabantur euentus ipſos, antequam eſsent. Illi verò, qui ſolam lucem in aſtris agnouere, ex ipſa quoque variè in aſtris ipſis diſpoſita, at temperata opinati ſunt varios quoque euentus deriuari, qui poſsunt ex ſolius lucis perceptione à longè dignoſci, dummodo lux ipſa aſtrorum in obices non impingeret, quos etiam fatebantur poſse ex aſtris præuideri; idque aſserebant, ſiue aſtrorum lumen à Sole velut à fonte, & ſcaturigine totius lucis erũperet, ſiue aſtra ipſa de proprio ſplẽdore micarent; Atque ex his concludebãt Aſtrologi plures, ac plures per aſtrorum qualitates euentus portendi qui facilè etiam diuinari poſsent.

16 Obſcurius tamen, atque incertius cæteris omnibus hoc diuinationis genus à nobis exiſtimandum eſt, cum principijs nitatur incertioribus, atque obſcurioribus, nimirum qualitatibus aſtrorum omnino ignotis; ſi enim ſolam lucem in aſtris cõſiderent Aſtrologi ſua ſola ſimplicitate micantem, ex hac non licet inferre ſummam illam euentuum, ac rerum varietatem, quam in dies in hoc orbe experimur, & cum vna, & eadem ſit immota ſemper, ac ſtato ordine in ſuos diffuſa radios, non poteſt niſi vnum, & idem aut ſemper cauſare, aut ſemper ſignificare; ſi verò cũ luce alias ignotas, & occultas qualitates indagent, cum neſciant ipſi, quænam ſint qualitates illæ, cuiuſnam efficaciæ, atque virtutis, nec debent ex ills certò ſua vaticinia fundere. Neque ex radiorum cõmixtione, quam in aſtris ſupponant Aſtrologi noua vis coalſcere poteſt, quæ ſit effectrix inopinatorum euentuum, qui tamen ex illa mixtura prȩuideantur, etenim cum radij lucis ſupponantur eiuſdẽ omnino eſse rationis, quod ſinguli ſeorsũ non poſsunt efficere, aut ſignificare, neque poterunt permixti, & coniuncti. Addo, quod etiamſi diuerſæ rationis, ac virtutis forent radij illi lucis, qui commiſcentur, non poſset propterea ex illis commixtis præuideri, quod nõ prænoſcitur ex ſeiunctis; cum in ſeiunctis quoque ſaltem virtus partialis effectrix illorum euentuum eſſet deprehendenda; quod doctè ſatis notauit etiam Plotinus apud Mirãdul. lib. 3. qui negat eam radijs lucis accidere poſse temperaturam, vt eorum coalitu noua vis effectrix reſultet, eo quod non ſint radij lucis, velut affixæ corporibus qualitates, quæ ex commixtione nouam quamdam induant formam.

ANI.

Digitized by Google

ANIMADVERSIO IX. ASTROLOGICA

In Diuinationem ex ſiderum ortu, & occaſu.

17 CVM varijs Aſtrologorum animaduerſionibus ſæpe notatum ſit non ſemper eodem modo deprehenſos eſse ortus, & occaſus ſiderum, inde factum eſt, quod ex ipſis ortibus, & occaſibus ſiderum, qui inſueti videbantur, plures de futuris euentibus prædictiones ferrent; quę tamen, cum eo ſolum niterentur fundamēto quod tales ortus, & occaſus varij apparerent, re tamen vera non eſsent, idcircò nullam apud Sapientiores viros promeruere fidem; ſiue prædictiones illæ fierent ex vario ortu, & occaſu ſiderum, quem vocant Heliacum, & Solarem, ſiue de ortu, & occaſu Horizontali, quem vocant Coſmicum, & Hironychum. Dicitur autem ſiderum ortus, & occaſus Heliacus ille, quo Luna, cæteraque aſtra oriri dicuntur, dum ob viciniam Solis, & ob illius radiorum occultationem priùs non apparentia, ex eius vicinia radijſque emergunt, & apparere incipiunt, vt Luna quidem, ac interdum etiam Venus, & Mercurius veſpere; cætera verò, ac etiam interdum Venus, & Mercurius mane: occidere verò, cum priùs apparentia ob factam deinceps vicinia, ſubitionemq. in ſolis radios, quaſi in illos demerguntur, & deſinunt apparere, vt Luna interdum, Venus atque Mercurius mane; cętera verò etiam ſæpe cum eodem Mercurio, & Venere, veſpere. Dicitur verò ortus, & occaſus Horizontalis ille, quo videmus ſidera, ac ſpeciatim Solem manè ſupra horizontem emergere, & Veſpere infrà horizontem delabi. At cum præter eiuſmodi regulares ſiderum ortus, & occaſus alij ab Aſtrologis fuerint obſeruati, eos arbitrati ſunt tamquam futurorum euentuum portenta, quos ipſi ex aſtris poſsent diuinare.

Verum ſi aliò retuliſsent inſuetas 18
illas ortus, & occaſus ſiderum apparitiones, quam ad artem diuinatricem, eſsent fortaſſis eorum obſeruationes non flocci pendendæ; cum verè, vt doctè notauit Caſsēdus in Philoſoph. Epicur. non eodem modo ſemper deprehenſi ſint eiuſmodi ſiderum ortus, & occaſus; licet enim conſtet in primis ſtellas fixas nō eſse omnes ortui, & occaſui Heliaco obnoxias, ſed eas duntaxat, quæ ſunt in Zodiaco, vel intercipiuntur hinc inde ad certam à Zodiaco, ac ſolis ſemita diſtantiam, licet notum ſit nō omnes ſtellas in eadem à Sole diſtantia non eodem modo oriri, & occidere, nam quò vnaquæque ſtella maior, atque lucidior

Digitized by Google

dior eſt, eò cæteris paribus & oritur citiùs, & occidit tardiùs; licet perſpicuum ſit ſtellas, quæ tardè occidunt, non propterea tardius exoriri, aut viciſſim, citò oriri, quæ citò occidunt, cum oppoſitum contingat propter ſitum Eccliſpiciæ; licet denique nemo Aſtrologorum ignoret ex Planetis alio modo oriri,& occidere ſupremos tres, nimirum Saturnum, Iouem, & Martem; alio Lunam infimam; alio interiectos Venerem, & Mercurium, ſiquidem Saturnus, Iupiter, & Mars oriuntur Mane, & occidunt Veſpere, quemadmodum ſtellę fixæ, tamen his omnibus ſuppoſitis; in quæ conſentiunt Aſtrologi omnes, alij ortus, & occaſus à quibuſdam notati ſunt non ità communes, ex quibus variè ratiocinari fas fuiſſet, at numquam eo intento, vt aliquid portentoſum in ipſis collocaretur, cum ad ſummum varia ſiderum motio inde argui poſſet, ex qua varia motione nihil poteſt portendi, vt in ſequenti animaduerſione concludam.

ANIMADVERSIO X. ASTROLOGICA

In Diuinationem ex ſiderum motu.

19 IDEO diuinationem ex ſiderum motu conſtruxere quidã Aſtrologorũ, quod ille ex motoribus prouenirét, qui omnes ſiderũ, cælorũ motus ad ventura dirigerent, vel tamquam cauſas, vel tamquam conditiones, vel tamquam portendentia, aut ſignificãtia ſigna; atque ex varijs corporum cæleſtium, & aſtrorum motibus, non ſolum excellentiam, & dignitatẽ mouentium cõiectabant, nemo etiam effectuum præcellentiã, qui ad eos motus, & motores eſſent conſecuturi; Sic ad motus primorum corporum, quos fieri putabant ex ſententia Platonis in Epinom. per octo germanas, & vno partu editas poteſtates, magni & præcipui rerum euentus, quos in hoc orbe experiri ſolemus, conſequi volebant; quas poteſtates obſeruat Macrobius fuiſse ab eodem Platone Sirenas nuncupatas ab initio ſingulis ſphæris inditas ea ratione prorſus, qua apud Heſiodum primis corporibus deſtinatæ ſunt Muſę, quibus Deus primus motor, tamquam Apollo præſideret. Cum verò Ariſtoteles, & alij ſaniores Philoſophi opinentur motuum omnium in aſtris nullam aliam poſse aſſignari cauſam, quam ſubſtantiam quamdam ſeparatam, eamq. eſse Deũ ſupremũ omniũ moderatorẽ, inde deduxerũt motus illos omnes eſse in aſtr is tãquam indices diuinæ volũtatis, quę per illos deſignaret,

quid vellet non ſolum in cælo, ſed etiam extra cælum; quos tamen indices nemo poſſet penetrare, niſi qui mentem illam arcanam intelligeret, de qua dictum eſt à Boetio.

—— mentemque profundam
Circuit, & ſimili conuertit imagine cælum.

quò referri videtur Platonica illa doctrina de toto cælo, de toto mundo, de omnibus ſideribus per Deum animatis, vbi, qui percipit motus, percipit etiam motores, & ipſorum motorum arcana in futuris euentibus reuelanda.

20 At ſic deſumpta à motibus aſtrorum diuinatio nulla ratione poteſt ſubſiſtere, cum non omnes Aſtrologi, ac Philoſophi idem ſentiãt de motibus, ac motoribus cælorum; exiſtimarunt enim aliqui cælum, & aſtra à prima ſui procreatione innatas, & immutabiles accepiſſe vertigines, quæ in æuũ eſſent duraturæ; Alij verò putarunt aſtra omnia impulſum, & motum ab aere recipere, nullumque alium adſtare aſtris motorem; Alij denique virtutem cælorum motricem eſse ignẽ quemdam interiorem, qui ita aſtra circumageret, vt ea inflecteret, quocumque vellet; ex quibus ſententijs tam varijs, licet à ratione, ac veritate alienis id apertè colligitur non poſse diuinationes certò confingi ex motibus, & motoribus aſtrorum ſupra cõſtitutis. Addo quomodocumq. fiant motus in cælo, aut conſtituantur motores, nihil omnino rei futuræ ex illis coniectari poſſe, cum per ipſos non reuelentur fines, aut euentus illi, ad quos dicuntur tales motus referri, vel ordinari; quilibet enim motus ſi localis ſit, ad ſummum eſt indicatiuus ſui termini, ſi phyſicus ſuæ formæ, ſi rationalis ſuæ facultatis motricis, ſed non finis mouentis, vel impellentis; quo fit vt ex Solis motibus, licet poſſint coniectari motores in vniuerſum, ſcilicet dari, & exiſtere qui moueant, non poſſunt tamen quoquo modo indicari euentus ad motus conſecuturi.

ANI

ANIMADVERSIO XI. ASTROLOGICA

In Diuinationem ex ſiderum inclinatione.

21 INVENTI ſunt quidam magni nominis Aſtrologi apud Simplicium, & Plotinum, qui ſua tulère vaticinia de natorum moribus tantum ex Aſtrorum inclinatione, eoque putauerunt talem diuinandi modum eſſe ab omni cenſura immunem; præſertim cum affirmarent ex aſtrorum inclinatione non poſse niſi bona & virtutes in natis diuinari, nullatenus verò mala & vitia, quæ omni modo à corporum cæleſtium influxibus ſunt ableganda; neque enim cogitarunt potuiſſe cæleſtibus corporibus, ac luminibus virtutes demandari, quibus ad turpitudines, ad prauas actiones, atque ad impia facinora proclinaremur, cum nihil mali à præclariſſimis, ac pręſtantiſſimis corporibus ad opera tam admiranda conſtructis iure expectare poſſimus; qua ſola ratione commendatus eſt Plato apud Pierium lib. 3. Hierogliph. qui ſępe docuit nihil mali poſse ab aſtris dimitti; quemadmodum contra repræhẽſus eſt Iulius Materuus, qui ex ſtellis nonnullas eſse maleficas exiſtimauit. Præſertim verò conatus eſt Picus Mirand. demonſtrare aduerſus Aſtrologos à cæleſtibus corporibus non vitia, non bella, non mortem, non deniq. mali, vel inordinati quidpiam poſse euenire; ſed hæc omnia vel à tumultuantibus Elementis, vel à materiæ in motorem ſuũ & opificem contumacia, vel à quapiam huiuſcemodi alia inferiore cauſa originem trahere rectiſſimè exiſtimauit; id vnum pro comperto habens cælorum, & ſiderum virtutes ad bona ſolummodo conferre, nec eſse Venerem copulatã Marti, quæ nos ad adulteria vocat, vel ad alios nepharios cõcubitus; nec Martem nonam cæli partem occupantẽ nos irreligioſos facere, nec deniq. alias omnino conſtellationes ad alia nos irritare flagitia, cum omnia hæc mala ſint tãtum nobis metipſis imputanda non ſideribus.

Hæc licet habeant quidam Aſtrologiæ patroni, vt eam inculpati nominis faciant, non propterea benè in omnibus ratiocinantur; atque eo imprimis peccare dicuntur quod affirment ex ſola aſtrorũ inclinatione poſſe de futuris certã ſumi coniecturam, cum eiuſmodi inclinatio per modum actus primi nihil ponat in cęlo niſi per modũ potentiæ, ex qua ad ſummũ effectus tantũ poſſibiles poſsũt diuinari, nõ actuales, vel futuri. Præterea poſita inclinatione potius ad vnũ, quã ad alterum actum, tollitur perfecta agẽtis 22

 indiffe-

indifferentia, quæ dicitur agẽdi æquilibrium; & ſic tolleretur quoquo modo libertas in agentibus liberis, quod neque concedunt Aſtrologi. Addo quod licet aſtra inclinarent homines tantum ad bona, non propterea bona illa poſſent ex inclinationibus præuideri, cum ex nulla inclinatione ad actus, ſiue in potentijs actiuis, ſiue in potentijs paſſiuis, poſſint actus ipſi præuideri, quatenus ſunt ad illam inclinationem conſecuturi. At quod ſuper hæc omnia vrget magis, illud eſt, quod nulla eſt in cælo admittenda inclinatio ad ea, quæ facturus eſt homo, vel ſi admittenda eſt, æquè poni debet ad vtrumq. extremum propenſa; non enim eſt maior ratio, cur adſit ad bonum inclinatio, & non ad malum, cum aſtrorum inclinatio ſit in ordine ad homines, qui æquè ad bonum, & malum à natura propenſi dicuntur, & inclinatio cauſæ ſuperioris debet cum inclinatione inferioris cõfirmari, quando fieri poteſt, à qua ratione ſolus ſeiungitur Deus ſupremus omnium conditor, ac ſummè bonus. Patitur itaque innumeras difficultates etiam diuinatio ex ſola aſtrorum inclinatione, & ideò eſt reſpuenda.

ANIMADVERSIO XII. ASTROLOGICA

In Diuinationem ex ſiderum Inclinationes per homines deprauata.

23 TAMETSI ex ſiderum inclinatione fateãtur Aſtrologi non poſſe niſi bona ab hominibus peragenda præuideri, eò quod ad innocentem dumtaxat vitam traducendam nos ſidera ipſa, ac cæleſtia corpora pronos faciant, ſi tamen faciunt, putant nihilominus prauitatem noſtram futurã, incompoſitoſque mores noſtros, & malas conſuetudines, ac repræhenſibiles habitus, in quos prolapſuri ſimus, diuinari, ac facilè conijci poſſe, quatenus cæleſtibus bonis, & optimis ſiderum qualitatibus nos ipſi, vt plurimum abutimur, atque cum eiuſmodi abuſus ſidereis influxionibus, atque incliationibus cõpulati nõ ſint Aſtrologis ignoti, aiunt inde ſequi, quod poſſint omnia mala præuideri, atque prædici; cuius rei plures cauſæ redduntur ex Iamblicho, & Plotino; vna eſt, quod omne munus cælitus attributum ex ipſo, quod à ſuperiore cauſa exit, etiam deficit inde, & quaſi à ſe ipſo degenerat; altera, qui à illud, dum in viliore materia recipitur, pro vilitate materiæ recipientis capitur, & ſic facilè deprauatur; manifeſtum ſiquidem eſt vnumquodq. recipi pro captu recipientis naturę, tertia eſt, naturæ illud demandantis, & idem recipien-

pientis diuerſitas, quæ facit, vt dum recipitur, à ſe ipſo pro ratione diuerſum efficiatur; quarta eſt, quod præter cæleſtia munera, alia quædã aliunde nati recipiant, tum inter ſe pugnãtia, tum à cælo diuerſa, ſicque cęleſtia dona confundantur, & reddantur frequentiſſimè paſſionibus obnoxia; quinta eſt, ipſius naturæ inferioris recipientis debilitas, quæ ſæpe bonum cæleſte non ſuſtinet, ſed competente ad illud proportione carens, ægrè illud patiatur; licet enim omnes cæleſtes influxus deſcendant ſalutares, ſubiecti tamen peruerſitas poteſt illos inficere, atque in ſuam prauitatem eorum efficaciam conuertere; quæ omnia, ſi diligentiùs attendantur perſpicuum cuiuis eſſe poterit, quidquid nobis euenit mali, nõ à cæleſtibus corporibus prouenire, ſed à nobis metipſis, vel ab alijs inferioribus cauſis.

24 At in hac re, licet admittendum eſſet poſſe cæleſtes influxus ex praua ſubiectæ materiæ diſpoſitione vitiari, non propterea benè deducitur ex illa praua diſpoſitione, etiam in hominibus præcognita, poſſe actus ipſorum hominũ inde ſecuturos præuideri, cum hi omnes liberi ſint, atq. natura ſua valdè occulti, præſertim quia ſtante qualibet mala proclinatione poteſt homo rectè agere, ſi velit, ex libertatis arbitrio; Addo, quod etſi cuncta ſiue in ſideribus, & ſiderum configurationibus, ſiue in cæleſtibus corporibus, eorumque motibus, ſiue in ſiderum, & corporum coniunctionibus, & inclinationibus tamquam in aperto volumine deſcripta continerentur, non tamen concedo ita in illis omnia eſſe explicata, vt quiuis, quod voluerit, in eiſdem legere, aut conſpicere vltrò poſſit; nemo enim hominum vnquam fuit, qui in eiuſmodi rerum, & euentuum omnium ſignis, & indicijs, quæ in ſtellis, & cæleſtibus corporibus expoſita dicuntur, cuncta aliquando proſpicere, legere, aut indagare potuerit, cum id ſit proprium ſolius Dei, qui ſolus numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat, de quo etiam egregius cecinit vates

Qui ſtellas numeras, quarum tu nomina ſolus
Signa, poteſtates, curſus, loca, tempora noſti.

Denique neſcio quà ratione concedant Aſtrologi poſſe ab ipſis præuideri deprauationem illam cæleſtium influxuum, quæ in ſubiectis euẽtura eſt; ſi enim illam concedant ex aſtris ipſis præuideri, iam non eſt neceſſe ad diuinandum inclinationem ſiderum, & inclinationem ſubiectorum coniungere, cum illa futura deprauatio iam ſatis ex ſideribus innoteſcere queat, quod tamen illi vniuersè non admittunt; ſi dicant præuideri ex prauis hominum, & ſubiectorum diſpoſitionibus, iam præuiderentur effectus antequam eſſent cauſæ; non enim adhuc prauæ illæ diſpoſitiones ſunt, ex quibus tamen actus futuri dicuntur præuideri. Neque igitur ex hac parte admittenda cenſeo aſtrologorum diuinationem.

ANIMADVERSIO XIII. ASTROLOGICA

In Diuinationem ex Geneſi ſingulorum.

25 INSPECTA hominum Geneſi, quocunque modo exploretur, procedūt Aſtrologi ad ſingulares cuiuſcunque euentus prænunciādos, cum tamen fateantur Aſtrologi ipſi de ſingularibus nihil in Aſtronomia certi prædici poſſe propter cęleſtium ſchematum diſſimilitudinem, igitur malè ſemper erit vnicuique denūciatum ex Geneſi, quod ſingulare eſt, quod præſertim affirmat Bellantius in lib. de Aſtronomiæ veritate; ac propterea ſpernendæ ſunt prænunciationes illę, quæ fiunt de morte violenta, de veneno, de inſidijs, atque de id genus alijs, hominibus valdè infeſtis, & exitialibus. Eò verò præſertim reiciēdæ ſunt ſingulares eiuſmodi rerum prænūciationes ex Geneſi, quod Aſtrologi aſtrorum vices, neque benè cognoſcere, neq. experiri potuerint; nullaque ſit tam infelici aſtro Geneſis, cui regia fortuna, nulla è conuerſo tam felici ſiderum ſchemate, cui mendicitas, exilia, cruces adſcribi non poſſint; Ideò fortaſſe Ptolemæus in Centiloq. num. 1. docuit Aſtrologos in prædicendis rebus generalibus, & indefinitis minus errare, quam in particularibus, cum particularia, non niſi ab ijs, qui Numine afflati ſunt, prædici poſſint, vt ipſe teſtatur etiā in lib. 2. Quadrip. ex quo ſcripſit poſtmodum etiam Bellantius quæſt. 1. art. 2. Aſtrologos ad ſummum poſſe cognoſcere eum, qui natus eſt, fore Principem, diuitem, militem, aut literis deditum, nō verò quibus medijs in particulari, quo auxilio, vel quibus perſonis concurrentibus; quemadmodum etiam docet diuinari quidem poſſe ab Aſtrologis aliquem obiturum eſſe morte violenta, non verò quo mortis genere, nec à quo ſit mors illa inferenda. Etiā Cardanus ſect. 1. aphoriſm. vltimo docuit Principum ſucceſsus aſtris non ſubiacere; ideoq. affirmauit lib. cent. genit. genitura 7. ex genitura non poſſe de publicis negotijs iudicium ferri. Quæ Aſtrologorum dogmata ſi vera ſunt, euincunt apertè nihil certi ex Geneſi cuiuſcunque poſse diuinari, præſertim cum ea, quæ diuinanda forent, ſpectent ad particulares euentus.

Quod ſi dicat Cardanus ſingularia 26
omnia, quæ ab Aſtrologis ex eorum Geneſi Auguſto, Tiberio, Vitellio, Domitiano, Adriano, ac Seuero Imperatoribus prædicta ſunt, certam vaticinij fidem habuiſse; dicendum etiā erit à nobis, gratis illud affirmari à

Car-

Cardano, nec ſatis demonſtrari; Deinde non ſunt euenta vaticiniorum in fidem artis aduocāda, cum nulla fuerit ars tamquam fallax, quæ aliquando non collimauerit; ratio enim vaticinandi ea eſt, quæ debet arti fidem facere. Denique quamuis nullum eſt Aſtrologiæ nomen, aut nulla ratio, vt verè in quibuſdam rebus nulla eſt, quas temerè tantum, & caſu pronunciant, aliqua tamen è tam multis, quæ prædicuntur, euenire neceſse eſt; at ſi numerus eorum, quæ euenerunt, & ſumma eorũ quę falsò vaticinati ſunt, compararetur, pro vno vero nolle mendacia extitiſse deprehenderetur.

ANIMADVERSIO XIV.

ASTROLOGICA

In Diuinationem ex Geneſi Vrbium, & Regnorum.

27 NON defuere olim Aſtrologi, qui vrbium etiam, & regnorũ Geneſes in aſtra referrent, eorumque natalitia colerent, ac cælo adſcriberent, quod pręſertim factum eſt apud Veteres de potiſſimis in orbe regnis, ac ciuitatibus; pręſertim de Vrbe Roma, & Conſtantinopoli. Quin Cardanus ipſe lib. cent. genitur. Venetiarum, Bononiæ, Mediolani, & Florentiæ ortus traxit à Cælo; fecitque Florentinos ex Marte in eorum Geneſi cadente nõ multum bello aptos, Mediolanenſes ad literas aptiſſimos ex Mercurio, & ſic de reliquis; At in hoc etiam Aſtrologi errore ducũtur, cum putent aſtra etiam lignis lapidibus, lateribus fata diſpenſare, quæ tamen an ab ipſorum ortu, & formatione accipienda ſint, an verò tantum ab eorumdem aggregatione ad ciuitates extruendas, an denique ab ipſorum coctione, vel dolatione, adhuc apud Aſtrologos ipſos incompertum eſt; deberent enim cuique etiam lapidi, ac ligno ſuam Geneſim aſſignare, & inde Geneſim totius vrbis, vel regni coniectare, quod non ſolum ridiculum eſt, ſed moraliter impoſſibile; quo enim ſidere, quo tempore vnumquodque lignum conditum ſit, aut dolatum, aut mænibus ſubſtratum omnino imperceptibile eſt, quod etiam dicendum de lapidibus, & de alijs eiuſmodi, quæ in extruẽdis vrbibus requiruntur. Deinde, cum alia ſit aſtrorum diſpoſitio, cum primus fundamento à conditore inijcitur lapis, alia cum ſulcus aratro mænibus ſignandis ducitur, alia cum mænia ipſa turreſque extruuntur, alia denique cum templa, palatia, & fora exædificantur, nonità facile eluceſcit, quænam ſit ex his diſpoſitionibus tamquam validior ab Aſtrologis atten-

tendenda, aut accipienda.

28 Neque maior apparet ratio, cur hæc potius in vrbium, & regnorum Geneſi ſint obſeruanda, quam reliqua, quæ ad animalia ſpectare dicũtur, quibus vtuntur ædificatores tamquam rebus ad ædificandum neceſſarijs, quæ etiam ad ſtirpes, arbores, & inſtrumenta in ædificatione interuenientia, videntur enim hæc etiam à ſideribus pendere; quæ tamen in Geneſis vrbium conſideratione relinquuntur. Addo debere ab Aſtrologis ſingulis vrbium, & regnorum, partibus certa ſidera applicari, & ita ſequeretur, vt aliqua pars ciuitatis aliquo ſalutari ſidere afficeretur, altera verò noxio, & inſalubri, ſicque ciuitas ipſa partem proſperas poſſet experiri fortunas, partem verò aduerſas; nulla enim pars ciuitatis, vel regni poſſet eſſe tam infelix, vt alicuius ſideris aſpectu in tota Cæli vertigine non recrearetur; neque dicendum eſt in Africa, in Ægypto, in Arabia, vbi tot ſunt ſolitudines, vbi tot monſtra graſsantur, nulla ſidera eſse, quorum ſalutaris aſpectus cum aliquo Zodiaci ſigno coniunctus feritatem illam, & vaſtitatem auuertere poſſit.

ANIMADVERSIO XV. ASTROLOGICA

In Diuinationem ex ſignis Genethliacis.

29 LATETVR ipſe Cardanus lib. de Iudicijs cap. 26. Aſtrologos, cum non potuerint tot rebus, quæ homini eueniunt, ſolo ſeptem Planetarum ſitu ſatisfacere, plura inueniſse ſigna genethliaca, partim vera, quæ re ipſa in cælo notantur, vt ſunt errones, & ſidera quædam octaui orbis; partim commentitia, & ingenio arbitratuque hominum ficta, quorum nomina, & ſchemata ab Ægyptijs, Græcis, & Arabibus variè commutantur, cuiuſmodi ſunt, Antiſcia, Nouenariæ, facies Currus, Carpenta, Figuræ, Exaltationes, Deiectiones, Alfridaria, Fines, Ducatus, Defluxus, Domicilia, Loca, Familiaritates, Gaudia, Odia, & id genus alia, quorum neceſſitatem volũt induxiſse eorum euentuum varietas, qui terra, mari, aere, toto denique terrarum orbe contingunt. At dum tantæ euentuum varietati per tot ſigna genethliaca putant mederi, nugarum morbos, rerumque, ac ſententiarum contrarietates imperceptibiles inducunt; tradunt enim Genethliaci aſtrorum vires infringi, aut corroborari, acui, vel retundi, quoties exaltantur, aut deijciuntur; vel ſi ſunt aſtra diurna, vel nocturna, domi propriæ, vel alienæ; ſi

ſuos

ſuos habeant fines,vel alios ingrediā-tur; ſi matutina, aut veſpertina,ſi Auſtralia,aut Septemtrionalia;ſi in ſignis maſculinis, aut fæmininis; ſi iuuentur aliorum benigno aſpectu, aut maligna irradiatione perſtringantur; quibus etiam addunt directiones varias, multiplices reuolutiones, Alfridaria, Abſides,caudam Draconis, & caput, triangula dextra, læua, ignea, aerea, aquea,exagona, tetragona,quadrata, antiſcia, dodecatemoria, & alia innumera portenta, ex quibus in qualibet geneſi quidlibet pro libidine conficiunt; ex qua tanta rerum, ac ſignorum multiplicitate pro lubito in cælo poſita, vel ab aſtris accerſita id contingere ſolet, quod ſi ad eamdem geneſim conſtituendā plures adhibeantur Aſtrologi, vnus eidem homini lōgæuitatem, opes regias, ampla & nobilia coniugiat,nominis celebritatem honores, magiſtratus, ac dignitates; alter verò contra breuem vitæ decurſum, egeſtatem, obſcura, & infauſta matrimonia, dedecus, & ignominiam denunciet; quod ſatis eſt ad demonſtrandam illorum ſignorum inanitatem, idque demonſtrat optimè Sixtus ab Hemminga triginta geniturarum exemplis.

30 Neque ſat eſt, quod dicunt Chaldæi,ſe habere obſeruationes ex his ſignis innumerabilium annorum euentis comprobatas, è quibus ars genethliaca collecta eſt; cum enim in omni præteriti temporis ſpatio iiſdem ſignis antegreſſis penè innumerabiles res eodem ſemper euenerint modo, ars quædam effecta eſt, eadem ſæpè animaduertendo, & notando; quare aliqui Chaldæos dixere quadringenta ſeptuaginta annorum millia monumentis huiuſmodi obſeruationum cōprehenſa habuiſſe; hæc enim omnia deliramenta ſunt inſipientium,& anilibus fabulis ſimilia; cum Cæli facies, & omnium ſignorum poſitura,quę ſemel fuit, eadem omnino, nonniſi poſt immenſa annorum ſpacia redire poſſit; quo fit,vt Genethliaci non potuerint eiuſmodi obſeruationes toto vitę curriculo inter ſe comparare; octauus enim orbis, in quo ſunt ſtellæ affixæ non ante ſex & triginta annorum millia circuitum ſuum explet.

ANIMADVERSIO XVI. ASTROLOGICA

In Diuinationem ex ſignis fatalitijs.

31 QVÆDAM alia ſigna in cælo nouerunt Aſtrologi, quæ fatalitia appellant, quaſi ex ipſis ſingulorum fata innoteſcant, non hominum dumtaxat, ſed cæterorum animantium, Elementorum, mixtorum, & id genus aliorum, quæ in hoc orbe voluuntur; Quæ ſigna ſi inter aſtra eſſent admittenda, non ſolum humana eſſet adimenda libertas, ſed etiam omnium aliarum rerum contingentia; deberēt namque eiuſmodi ſigna vel naturalia eſſe, vel ad placitum gentium, & cum non potuerint eſſe ad placitum hominum, qui præſcire non potuerunt, quidquid eſſet euenturum in rebus ſublunaribus, atque adeo euentibus illis non potuerunt ſignificationem aſtris imponere, neceſſariò eſsent dicenda ſigna naturalia; at naturalia ſigna alicuius rei, vel eius rei cáuſa eſt, vel effectus, vel vtrumque ab vna eademque ſuperiore cauſa proficiſcitur; aſtra verò eorum, quæ ſub Luna eueniunt, nec cauſæ ſunt, nec effectus; nec igitur ſigna; præſertim quia ſignum effectus eius eſt, cuius ſignum eſt, vt fumus effectus eſt ignis, cuius eſt ſignum; at ſidera futurorum effecta eſse, nemo ſanus dixerit, vnde neque ſidera ſigna eſſe futurorum. Adde quod effecta fortuitá cauſam proximam, & immediatam habent fortuitam, igitur ancipitem, ac minimè definitam antequam efficiantur, non igitur ab aſtris erunt, quæ cauſæ ſunt neceſſariæ non fortuitæ. Denique ſi inter aſtra ſigna illa naturalia fatalitia omnium rerum futurarum collocarentur, neceſſarium eſſet, vt quod ſignificant, neceſſariò eueniret; ſicque tolleretur non modo omnis agendi libertas, laus & vituperatio, ſed etiam omniũ rerum contingentia & ob id plerique etiam Aſtrologorũ, qui aſtra cauſas, & ſigna rerum eſse defendunt, fatum in aſtris omnino repudiant, & cum Fato omnia illa ſigna fatalitia, cum non poſſint dari ſigna eiuſmodi rerum neceſſaria, quæ à ſingularibus cauſis quotidie impediri poſſe experimur.

Id verò, quod magis arduum eſt, 32
in percipienda horum ſignorum actiuitate, atq. efficacia, ab eo deſumitur, quod terra ad cælum inſtar puncti ſe habet, & ſingula illa ſigna terram ipſam multis partibus ſuperant, & inde fieri non poteſt, vt ea ſingulis terræ partibus reſpondeant ex æquo, & pariter cum illis ſe proferant,

vel

vel contrahant, pariter cum illis ſe dimetiantur, & ad eas ſe applicent, & accomodent; præſertim cum maxima terræ pars ob frigus, æſtus, montes, maria, ſolitudines, feras, & id genus reliqua vaſtiſſima ſit, & parum habitabilis; ex quo multa & multa, quæ in hoc orbe ſunt, vel ſuis fatis carere deberent, vel ſuis ſignis fatalitijs, cum per inde ſit ſigna non habere in quod agant, ac ſi non eſſent, cum ad hoc tãtum admittantur inter aſtra. Adde, cum innumeræ ſint in cælo ſtellæ ex Phauorino, quæ mentis, & oculorum aciem fugiunt, Aſtrologis ipſis ignotæ, neceſſe eſt etiam ſigna fatorum cuiuſcumque eas ſtellas comitantia ignorari, ac proinde nihil certi ex ſignis fatalibus poſſe prænunciari; cum enim ita notæ ſunt Aſtrologis ſtellæ omnes, vt quidam Cabaliſtæ putarũt, quemadmodum innoteſcũt ferè omnibus alphabetici characteres, ex quibus pro libito legere, aut cognoſcere, aut formare omnium fata poſſint; neque putandum eſt, vt vult Manilius in Aſtronom.

—— eſſe conſcia fati
Sidera, fatorumque vices certis diſcurrere ſignis

cum id ſine ratione ſupponatur, imo contra rationem ſit, vt ſæpe dictũ eſt.

ANIMADVERSIO XVII. ASTROLOGICA

In Diuinationem ex momento Natalitio.

33 QVACVMQVE alia diuinatione ea videtur incertior, quę ab Aſtrologis ſolet inſtitui ex momento natiuitatis cuiuſcunq. cum enim nihil hoc mométo incertius ſit, nihil etiam obſcuriùs, ac captu difficilius, non poteſt inde clara futurorum notitia nobis exhiberi, atq. adeo ſemper incerto itinere per natorum vitæ diſcrimina vagabimur, nihilq. ex illo momento conſequi fas erit, per quod agenda ab hominibus diuinentur; Hocq. licet ægrè ferant Aſtrologi, ipſi tamen vel inuiti fateri tenentur, cum nõ conſtet adhuc apud ipſos, vndenam ſit hoc momentum natiuitatis deſumendum, nam alij volunt accipiendum eſſe ex puncto conceptionis, alij ex puncto reſpirationis, quo primùm fætus attrahit aerem, quemadmodum è cõtra moritur, cum homo amplius non reſpirat; Alij ex pũcto, in quo fętus egreditur ex vtero matris admiſſa tamen aliqua temporis latitudine; Alij ex eodem, ſed detracto temporis ſpacio; Alij deniq. cũ primò fætus egrediés ex matris vtero, ſit ab ipſa matre indepẽdens, ita tamen vt hoc momẽtum ſit inſtans temporis indiuiſibile;

Digitized by Google

Quarum ſententiarum diſcrepantia ſola ſufficit, vt dignoſcamus, quãtum in hac re caliget Aſtrologorum obtutus, & quam exiguam prædictionibus ſuis promereantur fidem; variato enim quolibet natiuitatis mométo, neceſse eſt variari etiam conſtellationes, à quibus, aiunt, omnia euentura dependere.

34 Si tamen in hac re eſſet aliquid à nobis accipiendum ab Aſtrologis, illud pro certiori reputandum eſset, quod tradunt plerique ipſorum, nimirum verum natalis momentum illud eſſe, cum primùm fætus, qui priùs pendebat à matre, tamquam à cauſa proxima, fit ab eadem independens; nam illud videtur eſſe veriſimilius cuiuſcumque momentum, in quo fætus tanquam effectus fit extra ſuam cauſam proximam, quod accidit tantum, cum fætus fit à matre independens; quouſq. enim fætus fuit intra matris viſcera, vel ab illius vtero depẽdens, videbatur eſse vnum & idem cum ipſa matre, ſaltem quoad conſtellationem, regula illa philoſophica, quod effectus contentus in cauſa non dicatur habere aliud eſse, quã ipſius cauſæ. Dicitur autem fætus fieri independens à matte, cum primò relinquitur à miniſterio matris, & nomine miniſterij matris intelligitur influxus ille, quo mater tamquam proxima cauſa alit, & perficit fætum. Id tamen, licet probabiliùs ſit, quoad doctrinã de momento natiuitatis, ſuas tamen, & multiplices ſubit difficultates in ordine ad aſtrologicam diuinationem; nam adhuc incertum eſt, an illud momentum, quodcumque ſit, diuiſibile, vel indiuiſibile exiſtat; ſi diuiſibile, multas, & varias conſtellationes admitteret, ex quibus varia iudicia ab Aſtrologis de euentis nati prænunciari deberent; ſi verò indiuiſibile, eſset captu difficillimum, quomodo ſucceſſiua accidentia pẽdere poſſint ab vna momentanea Natalis conſtellatione, ex eo quod cauſa, quæ præceſſit, & ampliùs non eſt non poſſit producere effectum de præſenti, & nouæ ſemper aduenjant conſtellationes varia, ac ſæpè etiam cõtraria à præteritis portendentes. Adde, quod actio inſtantanea iuxta doctrinam multorum Philoſophorum non poteſt extendi ad temporales, & ſucceſſiuos effectus; quæ doctrina, licet oppugnari poſſit, nobis tamen non eſt hoc opus aſsumendum, cum ſatis ſit ex illa difficultates coniectare pro admittendo natiuitatis momento in ordine ad diuinationes aſtrologicas.

ANI-

ANIMADVERSIO XVIII. ASTROLOGICA

In Diuinationem ex Planeta prædominante.

35 AD amoliendam difficultatem cognoſcendi verum Natalis momentum Ptolemæus pulcherrimũ excogitauit modum, illud ſcilicet reperiendi ex Planeta prædominante in præcedenti luminarium, vel coniunctione, vel oppoſitione;cui tanquam potentiori cauſę ſit poteſtas definiendi Cardines Natalis; quæ ratio videtur talibus inniti naturæ principijs; primò,quod ſidera, quæ maiorem auctoritatem habent, & prædominantur in ſingulis, vel coniunctionibus, vel oppoſitionibus luminarium, habent etiam præcipuam auctoritatem toto tempore illius ſemicircuitus Lunæ, & ratio eſt, quia afficit, vel ambo luminaria in Synodo, vel conditionarium, ideſt, quod ſupra terram fuerit in oppoſitione; cum verò à luminaribus primum pendeant generationes, & corruptiones rerum, qualiter luminaria afficiuntur in his ſuis congreſſibus ex familiaritate cum cæteris, tales tunc producunt effectus in plaga ſublunari; implent enim elementarem plagam illis qualitatibus, quibus afficiuntur. Secundò quod effectus illi, qui ſunt in potentia proxima, tunc fiunt, ac ſeparantur à cauſis, quando nouum quemdam impulſum, & diſpoſitionem, licet leuiſſimam ſuſcipiunt; idque experiamur paſſim in cunctis rebus, & etiam ſæpiſſimè contingit, vt mortis alicuius hominis cenſeatur eſſe leuis cauſa, vel cibi, vel potus, vel ſuſcepti aeris nocturni, vel frigoris, quæ tamen res, quia alijs non obſunt, vtpotè leuiſſimæ, non ſunt cenſendæ potiores cauſæ mortis hominis, cum ſemper ſupponatur ad mortem aliqua intrinſeca diſpoſitio magis efficax, cui addita quæuis licet modica alia impellens cauſa dicitur illum ingẽtem elicere effectum. Tertiò denique diſpoſitionem, & qualitatem prædominantis aſtri tunc eſſe efficacem, quando reſpicit aliqua familiaritate Cardines mundi.

At hæc omnia poſſent aliquid fidei Ptolemæo comparare, eiuſque 36
doctrinę ſectatoribus, ſi locum poſſet habere in momento Natalis prædominium Planetæ in præcedenti luminarium coniunctione, vel oppoſitione; cum enim certò innoteſcere non poſſit Aſtrologis momentum natiuitatis, quomodocunque ab ipſis aſſignetur, neque certò poterit iudicari de Planeta prædominante in præcedente luminarium oppoſitione, et coniunctione; licet enim certum eſſet apud Aſtrologos felices, vel infelices lumi-

luminarium diſpoſitiones in præcedenti congreſsu non parum influere in fœtum; non proinde certum eſt, quomodo præcedens iſte congreſsus ad momentum natalis ſit inueniẽdus, cum non certò inueniatur ipſum momentum natalitium, quo fit, vt nihil certi in hac re ab ipſis prædici poſſit.

ANIMADVERSIO XIX. ASTROLOGICA

In Diuinationem ex ſtellis felicibus, & infelicibus.

37 STELLAS alias felices, & ſalutares, alias infelices, & maleficas Aſtrologi adinuenere, ex quibus hominibus fata ſua vel fauſta, vel infauſta diſpẽſant, certis notatis numeris, qui præſertim Soli, & Lunæ aggregantur; ac propterea quò plures, vel pauciores ſunt numeri, quibus erraticæ ſtellæ ſibi inuicem conſociantur, eò dicuntur feliciores, vel infeliciores; hinc Iouis ſtella, quæ per omnes numeros ſoli conſociatur, nimirum per Epitritum, Hemioliũ, Epogdotum, Duplarem, & Quadruplarem, dicitur felicior quacumque alia ſtella, quæ non per omnes numeros nominatos adiungatur; Stellæ autem, quæ putantur accomodatiores vitæ noſtræ eſt Iupiter cum Sole, & Venus cum Luna; Saturni autem, & Martis ſtellę ex minori cum luminibus numerorum competentia, non dicuntur vitæ noſtræ adeò concordes; & ideo Iouis ſtellam ſemper beneficam vocant Aſtrologi, Saturni verò ſemper maleficam. Sic etiam ex domicilijs Planetarum ſolent Aſtrologi bona, vel mala ominari, quæ domicilia præter ea Solis, & Lunę, qui vno contenti ſunt, duo aſſignãtur ſingulis Planetis, alterum ſcilicet naturale, alterum accidentale; Sic Lunæ domicilium naturale dicitur Cancer, Leo Solis, Mercurij Virgo, Libra Veneris, Scorpius Martis, Sagittarius Iouis, Saturni Capricornus; & dicuntur hæc Planetarum domicilia naturalia, quod in ijs quiſque ſuæ creationis principium habuerit; Accidentalia verò domicilia dicuntur Saturni Aquarius, Piſces Iouis, Aries Martis, Taurus Veneris, Mercurij Gemini; In quibus domicilijs ſi ſe tenerent Aſtrologi, nil inde ad felicitatem, vel infelicitatem humanam deriuantes, optimam fortaſſe laudem, & iucundiſſimum diſciplinæ ſuæ fructum caperent; at cum ex illis egrediantur, neceſse eſt, vt ab errantes à recto tramite exorbitent, atque in præceps errorum abeant.

Atque potiſſimus ille eſt, quod 38
dum conſtellationibus ſuis omnia tribuunt, in Creatoris prouidentiæ pro-

rum-

rumpunt iniuriam, futuris euentibus neceſſitatem ex conſtellatione imponentes, & arbitrij libertatem perimentes; Eòque vſque Veſaniæ prolapſi ſunt quidam, vt ex diuerſis ſtellarum poſitionibus dicant imaginem ab homine formari poſſe, quæ ſi per interualla temporum, & quadam proportionum ratione in conſtellatione ſeruata formetur, ſtellarum nutu non ſolum proſperam vel aduerſam recipiat fortunam, ſed ipſius quoque vitæ ſpiritum, quo etiam de futuris conſulentibus vera reſpondeant; quibus tamen deliramentis nil aliud agunt, quam ſe ipſos amentes oſtendere, atque à Dei cultu ad cultũ aſtrorum velut Numinum, vel ad cultum Dæmonis deuolutos; non enim poſſunt ex aſtris ea prænotare, quæ aſtra nequeunt ſua vi continere, aut agere, cum felicitas, vel infelicitas humana vel à ſola Dei arcana Sapiẽtia pendeat, vel ab hominum prudentia, & imprudentia in exercendo libertatis dominio, ſuper quod non poſſunt aſtra.

ANIMADVERSIO XX.
ASTROLOGICA
In Diuinationem ex ſignis proſperæ, vel aduerſæ fortunæ.

39 QVATVOR, aut plures Planetas in ſuis dignitatibus conſtitutos proſpera omnia ſpondere, totidem in ſuis deiectionibus aduerſa omnia iudicare contendunt Aſtrologi; nos verò rationibus, & experimẽtis edocti etiam hæc Aſtrologorum aſſerta meritò falſitatis damnamus; cum enim contraria contrariorum cauſas eſſe non poſſe fateantur & ipſi, optimò iure miramur, quomodo eorum vulgaris error in animos omnium penè hominum irrepſerit, qui eò vſque adducti ſunt, vt opinarentur omnem in agẽdis fortunam, omnemque in euentibus fauſtitatem, aut infelicitatem ab aſtris dependere, atque inter ipſa ſigna quædam immobilia ab initio fuiſse conſtituta; cum tamen nihil magis contrarium rato, certoque aſtrorum motui, quam inſtabiles fortunæ vices, nihilque magis repugnans conſtantiſſimæ Cælorum, ac Planetarum vertigini, quam inconſtantiſſima fortunæ varietas; nihil enim abſurdius eſt, quam ea, quæ temerè, & ex fortunæ volubilitate cõtingunt, Cœli aſtrorumque definitis, ac ratis curſibus adſcribere; & cum in multis peccent Aſtrologi, tum in hoc vel maximè delinquunt, quod ex puncto natiuitatis cuiuſque prædicentes potiſſimũ fortunam,

Digitized by Google

tunam, in incertum iugiter ſuo ſtudio laborant, cum quacumque adhibita diligentia vix vnquam aut illud certò deprehẽdi poſſit, aut ex ipſo quid homini ſit euenturum decerpere; difficile namque vagam, & fugientem cuiuſcumque Geneſim in ſuum domicilium retrahunt, licet ex ijs, quæ homini accidunt punctum natiuitatis reſtituere, & æſtimatas, quas vocant genituras, ad veram Geneſeos fidem redigere ſe falsò glorientur.

40 Inde verò præſertim in his confingendis fallũtur Aſtrologi, quod tempore alicuius mali, aut periculi, de quo quærunt, aiunt ipſi obſeruãdum eſse locum Martis, aut Saturni, aut vtriuſque ſimul; quod ſi eorum alter, vel vterque repertus fuerit in eo gradu, in quo exiſtimata genitura eſt horoſcopus, ritè natalitiam horam obſeruatam fuiſſe putant; ſin autem Saturni, aut Martis locus longè abſit ab eo gradu, qui cẽſetur horoſcopus, falsò renunciatam eſſe genituram defendunt; relictoq. priori horoſcopo, locum, quem tempore morbi, aut periculi, Martis, aut Saturni Errones occupant, vel aliqua irradiatione attingunt, pro natalitio aſtro ſumunt; quo fit, vt ex tam varia reſtituendi horoſcopi ratione diuerſiſſima opinionum fluctuatio inſurgat, quæ omnem arti Genethliacæ derogat fidem; maximè quia pluribus exemplis, atque experimentis conſtat, quæ affert Sixtus ab Hemminga Friſius rei Aſtrologicæ vir ſcientiſſimus, maleficos Planetas ſæpius trãſgreſsos eſse horoſcopum, eiuſque triangula, & quadrata, conſentientibus etiam annorum initijs ſine vllo effectu. Quibus addendum, non omnia, quæ hominibus accidunt, ab aſtris proficiſci, vt ſæpè dictum eſt de ijs, quæ à liberis, & proximis cauſis proficiſcuntur; item ex ignotis aſtris futuros euentus prænunciari non poſſe, neque ex incertis fortunæ caſibus poſse certa natalitia aſtra deprehendi, quod tamen in dies faciunt, & ſupponunt Aſtrologi. Vnum verò debet in hac re ſufficere exemplum ad coniectandam Aſtrologicæ diuinationis inanitatem quoad bonam, vel malam cuiuſque fortunã ex cæleſtibus ſignis; idque ſolet afferri in Sfortia Mediolanenſi Duce nato anno 1452. die 3. Auguſti, qui in Geneſi ſua omnia felicitatis viſus eſt habere portenta; dicitur enim habuiſse Solem in gradu decimo nono Leonis, minuto viceſimo, Iouem in Piſcibus, Venerem in Libra, Martem in Ariete, Saturnum in Libra, ideſt, quinque Planetas in dignitatibus ſuis; Et tamen is toto vitæ tempore omnibus aduerſæ fortunæ procellis iactatus perhibetur: Contra verò Franciſcus Sfortia Ludouici filius natus anno 1495. die 3. Februarij nullum dicitur Planetam habuiſſe in ſua dignitate præter Martẽ, & tamen ſecunda fortunæ aura iugiter ſubuectus, omnia, quæ Pater amiſerat, Caroli V. auſpicijs recuperauit. Plurima alia exempla, & experimenta ad hanc rem allata leges apud eumdem Sixtum ab Hemminga.

ANI-

ANIMADVERSIO XXI. ASTROLOGICA

In Diuinationem de Coniugijs.

41 ETIAM Aſtrologorum vaticinia circa coniugia mẽdacijs, fraudibus, atque erroribus plena deprehẽduntur; eaque cauſa eſt, quod aliqui maſculorum coniugijs Lunam, fœminarum verò Solem præeſſe aiunt; Alij Solem, & Saturnum patribus, matribus verò Lunam, & Venerem; Alij denique alios Planetas coniugijs prę-ſidentes aſſignant; ex qua ſententiarum varietate neceſſe eſt ſummam prædictionum incertitudinem exoriri; ſed quod maius eſt, quodque omnem derogat fidem huic diuinationis generi illud eſt, quod volunt Aſtrologi vnum cæleſtem ſchematiſmum eidem fœminæ plures viros portendere, alium verò eidem viro plures vxores conciliare; pro qua enodanda difficultate nec ipſi Aſtrologi ſatis ſunt; nã ponamus, quod vxor alicuius ſub ijs aſtris nata ſit, quæ plures maritos portendunt, & vir item eius ſub alijs aſtris, quæ plures ei vxores decernũt, quomodo natalitiæ ſtellæ has inter vtrumque difficultates explicabunt? Suppoſito namque, quod vterque primas nuptias agitauerit; & quod vtrique ſidera alterum & tertium coniugium polliceantur, quomodo poterit alter ab altero diuertere, vt nouum contrahat matrimonium? non enim inter Chriſtianos libera ſunt diuortia, vt inter Iudęos, & Turcas, & ideo non apparet ratio, quomodo hæc ita diſſona poſſint concordari.

Quæ igitur ex hac parte apud Aſtrologos difficultatibus irretita deprehenduntur, viam ſternunt ad reliqua difficilia agnoſcenda, ac ſummæ incertitudinis plena, cùm ea ſæpè ſpondeant conſulentibus, quæ ex aſtris euenire non valent; & licet aſtra nouos maritos, vel nouas vxores dare poſſent, opes, honores, & Principum fauores, non proinde dare poſſunt hominibus, vt illa ex aſtris conſequantur, cum ad illa conſequenda ſæpè neceſſaria quædam ſint, quæ ab aſtris expectari non poſſunt. Sic ſæpè aulicis propitia omnia ſpondentur in aulis Principum ex aſtris; promittuntur dignitates, magiſtratus, & id genus alia; at non vident Aſtrologi, quomodo per aſtra nequeant reparari aliorum aulicorum inſidiæ, criminationes, odia, & perſecutiones, quibus vt plurimum Principum beneuolentia deperditur; non vident, quomodo Princeps poſſit diem ſuum obire, antequam ille, cui promittũtur fortunæ, ad aulã perueniat; non attendũt deniq. quomodo Geneſis aulici cum 42

Geneſi principis non conueniat, ex qua diſcordantia multa exoriuntur mala. Sic ea, quæ vt plurimum arbitraria ſunt, vel aſtris ſubiecta faciunt, quod facere nequam eſt, vel ab aſtrorum dominio ſubtrahunt; quo facto nihil poteſt, ex aſtris ipſis præuideri. Addendum vt toties dictum eſt, in cælo quoad omnia ſublunaria generalem tantum, ac remotiſſimam cauſam eſſe conſtituendam, quę ſine proprijs, & proximis cauſis nullam dicitur efficaciam in agendis habere.

ANIMADVERSIO XXII. ASTROLOGICA

In Diuinationem de ſimilitudine liberorum cum parentibus.

43 ADEST lex quædam apud Iuriſconſultos l. Gallus §. de liberis, & poſthumis, quod, quoties dubitatio incidit, ad quem maritum proles pertineat, ad mortuum, an ad viuum, id ex ſimilitudine prolis ſit ſtatuendum; hancque ſimilitudinem, quam in filijs natura expreſſit, non ab intrinſeco principio, ſed ab aſtris volunt Aſtrologi deſumendam eſſe; vnde ſi contingat ignorari à quonā parente proles orta ſit, docent ipſi, eſse ad aſtra confugiendum, ac ſolius Cæli rationem habendam eſse, à quo fatum pueri cum illa ſimilitudine dependere putant. At id quam ſit abſurdum, atque à veritate alienum, experientia docet; nullam enim habere ſidera partem in ſimilitudine liberorum cum parentibus in eo manifeſtum eſt, quod pluribus eodem temporis momento, atque ſub eodem ſiderum aſpectu naſcentibus eadem ſimilitudo cum genitoribus ineſſe deberet, quod tamen apertè deprehenditur falſum, cum pauciſſimi ſint, nati illi, qui parentum lineamenta, indolem, & reliquos naturæ conditiones imitentur, licet ſub eodem naſcātur ſidere, quod ſignum eſt ſidus ipſum nihil conferre ad imprimēdam natis ſimilitudinem. Addo ex Iure ſtatutum eſse, ad diuinandum de parente nati, debere eo meliori modo, quo fieri poterit, decerpi ſimilitudo in natura, vel alijs rebus naturalibus; atque ex hoc ſatis colligi non eſse recurrendum ad Aſtrologos etiam ex hac parte ſummoperè deceptioni obnoxios.

Vt vero coniectent Aſtrologi ex 44
aſtris hanc ſimilitudinem liberorum cum ſuis parentibus, ſolent vel ad punctum conceptionis, vel ad punctum natiuitatis examinandum accedere, vt ea omnia deducant, quæ ad geneſim conſtituendam ſolent con-

ſolent concurrere. At ex hoc etiam incerto ſemper labore in ſuis operibus deſudantes apparent; cum adhuc dubium ſit inter eos, an in genituris conſtituendis conceptio ſpectāda ſit, an vero natiuitas; & illi, qui aſserunt, omnem corporis conſtitutionem, quę puero accedit, ex hora conceptus pendere, neq. à natalitijs ſtellis poſſe mutari; dicuntur magis per incerta vagari; cum doceat Ptolemæus ipſe lib. 3. c. 2. in centiloquio, & etiam Ariſtot. lib. 4. de generatione animal. cap. 7. id tempus quo concipitur fætus, vt plurimùm ab ipſis coniugibus ignorari, quorum frequens conſuetudo nullum relinquit argumentum, in quam potiſſimum horam conceptus inciderit; nec rarò falluntur mulieres omnes opinantes ſe tali tempore concepiſſe, cum verè non conceperint; vnde ſi hora conceptus, parentibus ipſis ignota eſt, quanto erit ignotior Aſtrologis. Quod ſi dicant Aſtrologi non ità facilè ab artis peritis conceptionis punctū in natis ignorari, cum locus, quem Luna tenet, quando infans vtero funditur ſit horoſcopus conceptus; & contrà, locus, in quo Luna fuit tempore conceptus ſit horoſcopus natalis; reſpondendum eſt, ignorata conceptionis hora neceſſe eſſe, vt etiam locus, in quo Luna fuit tempore conceptus ignoretur; ſic ignorato puncto natiuitatis, cum poſſit pluribus de cauſis partus accelerari, vel moram pati, etiam eſſe neceſſe, vt locus, in quo Luna fuit, cum infans in lucem prodijt, ignoretur; ex quo colligitur numquā aliquid certi in hac re ab Aſtrologis poſſe obtineri; præſertim cum breuiſſimum momentum in rapidiſſima cæli veragine magnam ſiderum mutationem afferat; & ſi vel puncto temporis aberrent Aſtrologi, neceſſe eſt, vt quam longiſſimè ab aſtris natalitijs diſcedant.

ANIMADVERSIO XXIII. ASTROLOGICA

In Diuinationem de vita, & morte cuiuſcunque.

45 VATICINIA omnia, quæ de vita, & morte cuiuſcunque fundũt Aſtrologi ex directionibus ſignificatorũ vitæ ad Promiſſores eiuſdem petere ſolent; atque cum tres in vniuerſum vitæ ſignificatores conſtituãt, Solem, Lunam, & Horoſcopum, addentes etiam Sortem; ſiue partem fortunæ, & Dominum horum locorum; hauriunt inde, quidquid ad mortis, & vitæ lineam dicitur ſpectare; In qua re tamen, cum nullam certam habeãt legem, qua ſignificatorem, promiſſoremque vitæ deligant, ideò videntur eorum iudicia de vita, & morte, non ſolum incertis ſtare principis, ſed facili caſu ferè ſemper corruere; imo, & directiones, quas illi omino ſas, & inauſpicatas autumant, plerumque ſine noxa tranſire diſpiciuntur; quemadmodum contrà, quas minùs diras exiſtimant, lethaliores ſæpe deprehenduntur; inde vt plurimùm directiones veras, & reuolutiones ignorantes, temerè & cæco ictu de Vita, & Morte vaticinantur; & etiam attentis directionibus, & reuolutionibus ſępè fit, vt multi ſine manifeſtis directionum, & reuolutionum cauſis mortem appetant; & ſæpè etiã factum eſt, vt ingens hominum numerus id temporis excederent, quo nulla directio, vel reuolutio ſuſpectabatur, neque vlla Solis, aut Lunæ inauſpicata defectio præceſſerat. Plerique inſuper morte violenta ſublati ſunt, quibus aſtra quietum, & naturale mortis genus pollicebantur; plurimi denique, quibus vim, & Crucem aſtra minabantur, naturalem interitum ſubiere; ex qua tanta euentuum inconſtantia, atque ignorantia deducendum eſt, nihil omninò certi Aſtrologos habere, ſuo vaticinia ſua firment. Quod etiam affirmandum eſt de ijs, quæ prædicunt Aſtrologi, ſpectantibus ad honores, dignitates, & diuitias, & ad reliqua etiam vitæ, & morum officia, de quibus nihil certiùs, aut credibilius cæteris pronunciare poſſunt.

Quod ſi etiam ab exemplis veritas hæc eſt acceſſẽda, inueniemus Aſtrologos, vt plurimum in ſuis prædictionibus de vita, & morte fuiſſe deceptos; Cardanus namq. Henrico Secundo Chriſtianiſſimo Regi felicem ſenectam, & quietum, ac naturale genus mortis ſpoponderat, qui tamen haſtæ fragmento in equeſtri certamine interremptus eſt. Alij Franciſco Secundo Henrici Secundi filio ab anno 1652. vſque ad annum 1571. vi- 46

tam

tam inoffenſo itinere euntem denunciarant, quem tamen rapuit annus 1560. Ita denique alij in Caroli IX. Galliæ Regis, Iſabellæ Vtletiæ Philippi Regis Hiſpaniæ vxoris, in Petri Aloyſij Placentiæ Ducis morte, & innumeris alijs falſa pronunciarunt; nõ ſecùs aberrantes etiam in ijs, quæ ad bona fortunæ ſpectare dicuntur; multi namque qui ab Aſtrologis in felici aſtrorum poſitu nati dicuntur, vel in ipſo iuuentuti flore immatura morte prærepti ſunt, vel in ſummis elanguere calamitatibus, & ærumnis; ſicut cõtrà quãplures infauſto ſiderum ſchemate nati ad Regna, & Principatus euecti ſunt; quare ſaniores Aſtrologi hæc omnia fluxę fidei eſse animaduertentes confeſſi ſunt nihil certi ex aſtris prædici poſſe; ea præſertim obſeruatione facta, quod in genituris Alexandri VI. Iulij II. Clementis VII. Pauli III. Iulij III. Marcelli II. & Pauli V. natalitia ſidera tam longè fuere ab illo dignitatum faſtigio, vt alia omnia potiùs portendi viderentur ex illis, quam Summus Sacerdotij apex; & ſanè ſi res in eiuſmodi dignitatibus prædicendis accuratè perpenderetur, facile innoteſceret, quam difficile ſit Summos Pontifices in aſtris agnoſci, cum tot Purpuratorum ſuffragijs renuncientur, quorum ſuffragia ex libera voluntate collata deberent etiam in iiſdem aſtris præuideri, quod tamen ridiculum eſt; neque ex vnius geneſi aliorum genituræ coniectari poſsunt.

ANIMADVERSIO XXIV.

ASTROLOGICA

In Diuinationem de virtutibus, & vitijs cuiuſcumque.

47 CVM aſserant frequenter Aſtrologi aſtra cauſas eſſe principes eorum omnium, quæ in orbe magno & etiam in Microcoſmo geruntur, ſubinde etiam affirmãt omnia hominum vitia, ac virtutes ab aſtris ipſis pendere, atque à natalitijs conſtellationibus effluere; ſic repudiatis in hominibus omni libera agendi facultate, omni inſtitutione, atque educatione, omni denique conſilio, & exemplo, quæ tamen, ſi vera eſsent, quod ſcilicet homines non iudicio, vel libero animi arbitrio, ſed naſcendi ſorte, aut fati neceſſitate ad bona, & mala peragenda raperentur; ſuperuacaneæ omnino dicendæ eſsent leges, quibus præmia bonis, & ſupplicia flagitioſis decernuntur; inanes etiam eſſent virtutum exercitationes, quibus mores hominum in malum proclinati emendantur in meliùs; vanæ deniq. eſsent, & inutiles omnes rectæ viuendi

di rationes, quibus vitiorum importunitates infringuntur. Atque cum non ea ſit aſtrorum vis, vt omnes inferiores cauſas ad ſuos effectus admouere poſſit, fatēdum eſt dari quaſdam Principes, & intrinſecas virtutum, & vitiorum cauſas, quæ nullo ſiderum extraneo auxilio ad ſuos effectus producendos egeant; Animus quippe ratione pollēs omnibus actiuis facultatibus in agendo legem indicit, & motibus effrænibus pro libito frænum inijcit, quod eſt aſtris ipſis techniques ſupereſſe, eorumque inclinationes, ſi quæ eſſent in hominibus temperare; & licet & conſtitutione, habituque corporis innaſci poſſit quædam hominibus animi propenſio magis ad hoc, quam ad illud agendum, & eligendum, hæc tamen ſuprema, ac Principe rationis parte dirigitur, & etiam cum opus eſt, arbitrij libertate caſtigatur; vnde fit quod ex aſtris nullum certum de vitijs, ac virtutibus iudicium haberi poſſit.

48 Quod ſi dicant Aſtrologi varios gentium mores, ac cultus ab aſtris præſertim eſſe repetendos, in hoc etiā ſaltem ex parte decipiuntur, nam animi feritas, truculentia, atque moderatio potius ab educatione, inſtitutione, atque conſuetudine petenda eſt, quam à Cæli climate, licet hoc quoque ſuos quoquo modo poſſit influxus impertiri; quod præſertim ex eo manifeſtum eſt, quod gentes plures olim feræ, ac truculentiores, hodie cæteris humaniores, moderatiores, ac literis inſtructiores ſunt cæteris ferè omnibus; ſicut contra illæ, quæ erant humaniores, nunc exuta humanitate ferociores ſunt; cum tamen ſidera ipſa, ſiderum aſpectus, & orbis plagæ eoſdem omnino mores deberēt portendere. Magis igitur animi à ſe ipſis, quam à ſideribus mouentur, idque præſertim diſpicitur in vitijs, ac virtutibus amplectendis; plus ad mores, & indolem genus, conditio, & fortuna conferunt, quam ſtellæ; plus ſeueritas legum, ac Principum ad iuſtitiam, & morum integritatem, quam omnes Capricorni, & Scorpionis afflatus, aſpectuſuè poſſunt; conſcientia integra vim ſiderum frangit, eamque ſibi ſeruire cogit, & motus voluntarius eam naturam in ſe ipſo continet, vt ſit in noſtra ſola poteſtate, nobiſque pareat non aſtris, cum homines ſui iuris, & arbitrij ſint, nec aliūde quam à Deo, & à ſe ipſis neceſſariò pendeant.

ANI

ANIMADVERSIO XXV. ASTROLOGICA

In Diuinationem ex Criticis Aſtrorum Conſtitutionibus.

49 CRITICAS vocant Aſtrologi temporum cõſtitutiones illas omnes, ex quibus iudicia quædam formari poſſunt de euentibus qui bona, vel mala tum ægris, tum benè valẽtibus ſolent afferre, ac propterea hoc nomen criſis pro iudicio ſæpe vſurpatum eſt; eiuſmodi autem criticas temporum conſtitntiones inuenere tum in diebus, tum in menſibus, tum in annis, & aliqui etiam criticas alijs temporibus horas adiecere, ex quibus conati ſunt de euentibus etiam criticas quaſdam prædictiones ferre; Suppoſito autem, quod cauſa efficiẽs vniuerſalis remota Criticorum temporum ſint ſidera; & cauſæ efficientes in ſpecie ſint præſertim Sol, & Luna, quæ ſola inter aſtra mouẽtur motu perpetuo æquabili, nõ modo velociter, modo tardè, vt dicitur de cæteris; ita tamen, vt etiam Sol, & Luna dicantur cauſæ remotæ Criticorum temporum in comparatione qualitatum Elemẽtarium, & qualitatum Cæleſtium, quæ dicuntur cauſæ proximæ; dicendum eſt neque ex Criticis temporum conſtitutionibus poſſe Aſtrologos aliquid certi prædicere, nõ quia Criticæ temporum conſtitutiones ſuos non pariant effectus, ſi adſint; ſed quia tales Criticę conſtitutiones haud facilè ipſis innoteſcunt; oriuntur namq. euentus ſeu effectus inopinati ex Critica aliqua conſtitutione temporum, cum illis temporibus qualitates Elementares, & cæleſtes ita agũt ad inuicem, vt cæleſtes quo quo modo ſuccumbãt Elementaribus; definitur enim Criſis actio inter qualitates Elementares, & Cæleſtes, & etiam à Medicis Criſis vocatur motus, & omnis motus actio eſt; at dignoſcere tempora illa dies, annos, & horas, quibus præualeant Elemẽtares Cæleſtibus difficillimum eſt, cum etiam difficile ſit in ipſis mixtis refractionem qualitatum Elementarium agnoſcere.

Et licet ab effectu dignoſci poſſit, 50
quo tempore Cæleſtes qualitates robuſtiores ſint, cum ſcilicet Elementaribus per refractionem ſuccumbentibus, ipſæ robuſtiores præualent, quod maximè patet in mixti conſeruatione abſque vlla Criſi, non tamen ab eodem effectu cognoſci poteſt, quando infirmiores ſint extituræ, vt poſſint Criſim cauſare, hoc enim omnino dicitur ignotum, licet ex noto Criſis effectu poſſit argui Critica cauſa, ſcilicet Critica temporum, & ſiderum cõſtitutio; tota enim eſt difficultas de cogni-

cognitione futurorum accidentium ex prænotione Criticæ temporum conſtitutionis, quam fatemur, vel de præſenti; vel de præterito cognoſci poſse, non vero de futuro; hæc ſiquidem pendet à multorum, tum ſublunarium, tum Cæleſtium concurſu, qui haud facilè attingitur ab Aſtrologis, cum inter multa ſæpè etiam libera quędam, vel omnino fortuita commiſceantur. At admiſſis etiam vulgaribus Criticis temporum conſtitutionibus, quas docent Doctores communiter, & Medici Lunam afferri à quartis Zodiaci, vt ſunt Criſes quæ fiunt in morbis diebus 7. 14. 20. vel 21. & 27. quibus diebus Luna ponitur in Quadratis locis, oppoſitione, & coniunctione à principio morbi, remanent tamen ſemper incertę euentuum prædictiones, non ſolum ex incertitudine menſium lunarium, qui apud aliquos duo tantum ſunt, ſcilicet menſis coniunctionis, & peragrationis; apud alios verò tres, addito ſcilicet menſe apparitionis, ſed etiam ex incertitndine rationis, cur Luna afferat Critica tempora à quartis menſis peragrationis Zodiaci; ſicut comprobatur experientia, & aſſerunt Doctores, & non à quartis menſis coniunctionis, cum tamen certum ſit, etiã tunc Lunam agere validiſſimè; ex his igitur omnibus, quæ aut ignota, aut incertiſſima ſunt, non poteſt certitudo colligi diuinationis ex Criticis temporum conſtitutionibns.

ANIMADVERSIO XXVI.

ASTROLOGICA

In Diuinationem ex Critici dierum obſeruationibus.

51 REFERVNT Aſtrologi ad ſidera Criticas quoſdam dies, in quibus morbi, vel initium, vel incrementum, vel diminutionem, vel terminum capere ſolent; quemadmodum etiam reuocant ad aſtra Critica illa tempora, in qua lues aliqua in greges ouium, & armenta, & etiam in hominum corpora ſolet graſſari; putant enim hæc omnia mala, vel Lunæ adſcribenda eſse, quæ Cæli ſigna decurrens corporum humores ita commoueat, vt morbis afficiantur, & inficiantur; vel Soli, cuius effecta in ſublunaria corpora longè validiora fatentur; vel alijs etiam Planetis vim ſuam à corporum diſpoſitionibus non abſimilem in inferiora exercentibus; at quam inſigni decipiantur errore in hac etiam Aſtrorum idololatria, à quibus mala, & bona orbis ſublunaris pendere fatentur, ex eo liquet, quod nullam rationem aſſignent, cur Luna,

quæ

quæ ad exagitandos humores per ipſos potentiſſima eſt, potiùs id agat octaua, aut decima ſexta die, quam vndecima, aut decimaſeptima; Cur vnus dies magis criticus ſit, quam alius, cur magis commoueantur humores in ſeptimo die, in decimo quarto, in vigeſimo, quam in cæteris; cum certum ſit apud medicos quoſdã humores ſponte naturæ tardiùs commoueri, alios verò celeriùs; cur denique potiùs ex aſtris, quam ex aere corrupto, vel ex aliqua alia ex primis qualitatibus mala illa deriuentur; nihil enim probat, quod vel aeris infectio, vel aliqua alia eiuſmodi cauſa ſit illorum malorum effectrix, quæ ipſi trahunt ab aſtris.

52 Attamquam aliquid longè abſurdius eſt animaduertendum, quod Planetarij aſtra ipſa, non modo corpus, verum & animum afficere autumant, criticos dies, annos & tempora etiam animaſticis operationibus affigentes; cùm tamen omnis ratio dictet à vero longiſſimè alienum eſse, vt corpora in ſpiritualia agant, à quibus toto genere diſſita ſunt; & Ptolæmeus ipſe lib. 1. de Iudicijs Aſtr. c. 4. & 8. aſtrorum erraticorum, & affixorum vires vniuerſas in calido, ſicco, frigido, & humido, aut in alijs, quæ ex his primis fiãt, ſolummodo collocauit, quemadmodum etiam alij prænobiles Aſtrologi hanc veritatem, vel inuiti fatentes, docuere efficientiam cęli, & aſtrorum in eo tãtum poſitam eſse, vt quotidianas ſeminum, animantium, cæterorumque corporum mutationes pariat. Quod licet quandoque ex affectionibus corporis, quæ ab aſtris pendere poſsunt, cernatur etiam animus immutari, id tantum fit in ijs, in quibus res animaſticæ maximè cum corporeis connectuntur, cum ex corporis, & animi cognatione multa prouenire poſſint; non in omnibus, quæ dicuntur ad animum ſpectare; Addo mutationes etiam corporeas potiùs ſuis cauſis proximis, & immediatis eſſe adſcribendas, quam remotiſſimis, vt ſunt aſtra, quibus efficientia aſſignanda non eſt, niſi eorum, quorum nulla ſub orbe Lunæ proxima cauſa oſtendi poſſit; nihil autem eorum, quæ ſub cælo reperiũtur ſua proxima cauſa, & immediata deſtituitur, vt norunt benè Philoſophi, & etiam rationales medici, qui nũquam proprias, & proximas cauſas effectuum repudiant, turpe cenſentes in rebus naturæ ad communes, & generales facilè confugere, ex quibus ſequitur etiam diuinationẽ aſtrologicam ex criticis diebus omnino futilẽ eſse, ac ridiculam, cum proprias, & proximas cauſas reijciat, vt remotas, & ignotas amplexetur.

ANIMADVERSIO XXVII. ASTROLOGICA

In Diuinationem ex ſignis morborum in Aſtris.

53 VNVM fingitur diuinationis Aſtrologicæ emolumentum, vt certo habeamus ea pro tuenda valetudine, quæ proficua ſunt, eaq. fugiamus, & auuerſemur, quę noxia, vel nocua eſſe ſolent; prædicit enim Aſtrologus ex cæleſtibus morborum ſignis, Martem tritæum hoc anno nobis eſſe comminaturum, eſſe bilem excitaturum ex poteſtate, quam in annua habet conuerſione; & idcircò eſſe nobis in vitæ ratione frigidis potius vtendum, quam calidis, ipſo Marte id è cælo nobis edictante; atq. quod de Marte pronunciant caloris, & bilis excitatore, id etiam faciunt de reliquis Planetis, quos coniectant ex ſignis alijs humoribus prædominari, ex quorum exceſsu, vel defectu omnis valetudo noſtra infirmatur. At hoc etiam Aſtrologicæ diuinationis emolumentum, vel ſuperuacaneum eſſe, vel noxium eo demonſtrari poteſt, quod ſine aſtrologia poſſunt haberi eiuſdem humoris prædominantis indicia, cui conſilio medicorum facilè poſſumus obſiſtere, atque adhibere remedia, abſque eo quod tanto labore, vſq. in cælum cōſcendamus; Vel dato quod ex Marte minitatore vera prænunciaret Aſtrologus pro aliquo tempore, verè commotionem bilis, & maximum ardorem in corpore portédente, cum poſſit naturalis temperatura, cum vniuerſalis ipſius anni diſpoſitio, cum vitæ ratio, qua diù vtimur, poſſit nos ad contrarios humores vertere, hinc fit, quod omnino ſuperflua euadit eiuſmodi aſtrologica obſeruatio; maximè quia de his melius longè iudicant Medici proprias, & propinquas cauſas intuentes, quam Aſtrologi tantum remotiſſimas, atque à ſenſibus noſtris omnino abductas.

Nocumenta verò Aſtrologicę obſeruationis pro curandis, aut auuertẽdis imminẽtibus morbis inde præſertim proficiſcuntur, quod homines ob eiuſmodi diuinationes, vel obſeruationes multo mærore correpti ſępè in noxiam labuntur melancholiā, ex qua cæteri vitiantur humores, & ita facilius valetudinem, qua alioqui gauderent, amittūt. Addo homines nimium propriam valetudinem ex aſtrorū obſeruatione curantes, vt plurimū in errores impingere, qui maximè ipſi valetudini aduerſantur; vt illis cōtingit, qui ad auuertendam bilis, vel pituitæ generationem, alios excrementitios congregāt, & aggerant humores, ex quibus non ſolū infirmitas, ſed ſæpè etiam paratur interitus; non cogitan- 54

cogitantes in tenenda vitæ ratione, quod, licet quædam mala corporea aſtra portendant, quod, inquam, poſſint ex alijs cauſis fortuitò concurrentibus illa mala impediri, aut reparari; & ità non rarò accidit, quod in morbos inopinatos incidant, dum malè opinatos, & ominatos ex aſtris conantur auuertere: quapropter optimè conſultum illis erit, qui ad tuendam valetudinem nec Aſtrologos, nec aſtra conſulunt, nec etiam Medicos, cum ſibi ipſis conſilia præſtare poſſint ex prudentia, & recta viuendi ratione, illud ſemper animo recolentes, quod optimum medicinæ genus Diæta eſt.

ANIMADVERSIO XXVIII.

ASTROLOGICA

In Diuinationem ex innatis Aſtrorum qualitatibus.

55 MITTENDÆ hic omnino ſunt, ac repudiandæ illæ qualitates aſtrorũ, quarum naturam non attingentes Aſtrologi, vocant qualitates aſtris quidem à natura inſitas, ſed nobis occultas; non enim video, quomodo ex his poſſint vaticinia rerum, & euentuum formari, cum vis illa lateat, quæ dicitur efficax illorum euentuum & futurorum cauſa. Illæ tantum qualitates hoc loco commemorãtur, quæ ex aſtris primùm deriuantes dicuntur omnibus notiſſimæ, licet quoad omnes cæleſtes influxus ab omnibus non exactè percipiantur; atq. ex his quoque inaniter vaticinia, & prędictiones duci ſatis manifeſtum eſt; licet enim in eiuſmodi prædictionibus ferendis ſe putent Aſtrologi procedere tantum per naturæ veſtigia nihilque ſuperſtitioſum profiteri, eo tamen dicuntur delinquere, quod etiam in his ipſius naturæ fines prætergrediuntur, atque à tramite rationis exorbitant; nam id quod docet Ptolemæus plus facere ad intẽſionem, & remiſſionem primatum qualitatum poſitionem ſiderum, ac mixturã radiorum in aſtris, quam ipſas anni, & temporum conſtitutiones, apertè falſum videtur, cum æſtiui dies ſemper hybernis calidiores ſint, etiamſi æſtate ſummè rigeat, & frigeſcat Saturnus; ſicut cõtra æſtiuis ſint ſemper hyberni frigidiores, etiam cum ardet Mars, medioque furit flammatus Olympo; quo argumento vtitur etiam in hanc rem Mirandulanus lib. 3. cap. 20. addens, quod ſi fatorum differentia oriretur ab Aſtrorum frigore, calore, humiditate, & ſiccitate plus, minuſque vigentibus, ſequeretur ſemper eſse dãnatos frigido fato, quicumq. hyeme

naſcuntur,calido, qui per æſtatẽ,& ſic de reliquis; quod tamen experientia non probat euentuum contrariorum teſtis; nec ratio ipſa ſuadet, cum ſit abſurdum natos, vel alia quæcunque ſublunaria, plus cæleſtes qualitates ſentire,quæ ſunt cauſæ remotę,quam ſeminis, materiæ, vel alterius cauſæ proximæ conditionem.

56 At etiam conceſſa Aſtrologis hac diuinandi ratione, quam ipſi naturalem vocant ex eo quod radij Planetatum per qualitates naturales omnia agant, non propterea aſſerere debent qualitates illas vim habere in hominum genitutas,mores, vel fortunam, cum conſtellatio ex illis formata ad ſummum corporis habitum tangat, & ea quæ conſequuntur ad corpus; non reliqua ad partem hominis Principem ſpectantia; neque pro tot euentibus ſingularibus ſat eſſe poteſt vnam rem tantum inſpicere, & vniuerſalem, ſcilicet primarum qualitatũ conſtitutionem, cum plura contingant, quæ alias cauſas particulares, & etiam liberas expoſcunt. Subijcere igitur poſſunt Aſtrologi ſiderum qualitatibus eas res humanas, quæ ab ipſis pendere poſſunt, non alias.

ANIMADVERSIO XXIX.
ASTROLOGICA
In Diuinationem ex Aſtris Elementaribus.

57 ASTRA Elementaria dicuntur apud Aſtrologos illa, quæ ex ſimilibus cum Elemẽtis qualitatibus merito ſibi hoc nomen vſurpant, eo maximè, quod propter eiuſmodi qualitates dicuntur potiſſimum Elementis ipſis prædominari,cum enim quędam aſtra ſint, quæ verè frigiditatem pariunt, alia, quæ caliditatem, ſequitur inde ſecundum Aſtrologos, vt frigidis ſtellis prædominantibus, Elementa frigida inualeſcant, calidis calida, & ſic de reliquis; & inde etiam fit, quod ex concurſu magno frigidarum conſtellationum frigiditas ita aquarũ exuberet, vt eluuionibus terra mergatur; contra verò calidis præualentibus exuſtiones fiãt, incendia, & Catachyſmi; qua ſola ratione nituntur Aſtrologi, cum de eiuſmodi inſolitis euentibus in Elementis prædictiones ferunt; At cum alio ſolidiori fundamento deſtituuntur, neque hoc apud ipſos tamquam firmum probandum eſt; probabilius enim conſtat ratione naturali varijs Elementis varia ſidera præfecta eſſe, ſed ad perficienda Elementa ipſa iuxta naturæ pręſcriptum, non ad deſtruenda, vel ad alios exceſſus inducendos; dicitur enim potiùs tanto perfectiùs Elementum ip-

ſum

ſum, quanto prædominatrix Stella erit potentior, & validior; & ſi perfectio partium perfectioni totius non repugnat, numquam pertinebit ad Elementi perfectionem, vt Elementum ipſum tranſgrediens naturæ ordinem excedat ab ordinaria ſui ſtatus præſcripta ratione; Quocirca ſi præſit igni Mars, Aquæ Saturnus, vel alijs Elementis alter eiuſmodi Planeta, non poteſt congruum in natura eſſe, quod ordini, ac naturæ legibus in vnoquoque non conſentiant.

58 Poteſt igitur concedi Aſtrologis, vt ſint quatuor primæ qualitates à Cælo, & ab aſtris, non tamen proinde, quod Elementorum defectus, trangreſſiones, tumultus ſint ab ipſis aſtris, cum ſint potiùs à materiæ motibus inordinatis Cæleſtibus aſtrorum legibus vſquequaque non obſequẽtis; qua fortaſſe ratione, nec Plato, nec Ariſtoteles, nec alij Philoſophi celeberrimi iſtas Elementorum tyrannides temporarias ad aſtra retulere, neque vim aliquam circa eiuſmodi euẽtus in conſtellationibus inuenere; Idque quod de Elementis dicitur, licet de humoribus itidem dicere in noſtro corpore elementis reſpondentibus, cum æquali modo dicatur atræ bili præeſſe Saturnus, Mars rubræ, alius ſanguini, alter pituitæ, &c. vnde numquam licebit cum Aſtrologis mortem, vel aliud quodcunque malum à Cælo accerſere, cum potius cæleſtia ſemper hæc inferiora perficiãt, quam deſtruant, cum ad hoc nata ſint, atque à ſupremo opifice condita; omnia enim mala ſublunaria proueniunt vel à materia in aliquod vitium degenerante, vel ab ipſis qualitatibus ſublunaribus, quæ cum ita degenerãt, vt prædominantium aſtrorum diſciplinam non ſuſtineant, tunc mixtorum diſſolutionem, & interitum ſolent afferre, vel aliquod quidpiam eiuſmodi malum; vnde damnandi ſunt illi diuinatores, qui facilè nimis omnia mala referunt in Cælum, cum potiùs à cælo ipſo omnia bona corriuent.

ANI-

ANIMADVERSIO XXX. ASTROLOGICA

In Diuinationem ex Aſtris inopinata portendentibus.

59 ADSCRIBVNT Aſtrologi inopinatos quoſdam euentus aſtris quibuſdam occultis qualitatibus inſignitis, quos euentus, quia non attingunt, nec cauſas eorum certas aſſignant, licet occultas quaſdam incognitas vires in aſtris deſignent; neque verò eſſe eiuſmodi aſtra in Cælo inopinata portendentia, neque inueniri illas qualitates occultas apud omnes pro comperto eſſe debet; cum enim ex principijs Philoſophicis neceſſaria debeat eſſe relatio inter cauſam, & effectum, ſi effectus illi inopinati non cognoſcuntur in cauſis, neque poſſunt in eiſdem cauſis ab Aſtrologis cognoſci vires occultæ ad producendos illos effectus; eo enim ipſo quod euentus ſint præter opinionem cuiuſcunque, ſunt etiam præter cognitionem, & dicuntur inopinati, quia non præuidentur, neque prænoſcuntur in cauſis. Addo præter vulgatiſſimas qualitates, quæ adſcribuntur aſtris, nimirum, calorem, frigus, humiditatem, & ſiccitatem; & præter lumen, quod ſub omnium cadit obtutum, probabiliſſimum eſſe nullas alias qualitates inueniri, & ideo neque ex ipſis poſſe in ſublunaribus inopinati euētus portendi. At inſuper quærerē ego ab iſtis Aſtrologis, an bella, ſeditiones, peſtilentię, exuſtiones, & eluuiones poſſint quandoque contingere præter hominum opinionem, & cognitionem; ſi affirment; Superuacaneum ergo erit confugere ad aſtrorum qualitates occultas pro prædicendis inopinatis euentibus, cum euentus eiuſmodi cōtingant, vel ex prædominante Veneris humiditate, vel ex Martis caliditate, vel ex Saturni frigiditate, quæ qualitates omnes notiſſimæ ſunt; ſi verò negent, experientia ipſa ipſorum errorem ſuadet, nam plerumque imo vt plurimum ſuſcitantur bella inopinata, & etiam, vt plurimum contingunt alia mala, quæ neque ab Aſtrologis, neque ab alijs hominibus præuidentur.

Quod ſi dicāt inueniri vires etiam in ſublunaribus occultas ad efficiendos mirabiles, ac prorſus nobis incompertos effectus, quæ vires ſanè non poſſunt aliunde deriuari, quam ab aſtris; dicemus, & nos vires illas occultas, ſi quæ ſunt in corporibus præter acceptas à primis qualitatibus, non haberi à cælo, vel aſtris, ſed ab intimis ipſarum rerum principijs; ſcilicet ab earum formis, & eſsentijs, cum quibus tamen Cælum, & aſtra dicuntur concurrere non per alias qua- 60

qualitates occultas, ſed tantum per notiſſimas, ſcilicet,luminis,& caloris; quarum dumtaxat poteſtate poſſunt Aſtra tam mira, ac tam diuerſa producere, etiam in intimis terræ penetralibus, ex ipſa varia ſubiectorum diſpoſitione ad recipiendos cæleſtes influxus, ex quo fit, quod nec ſit admittédæ in aſtris eiuſmodi qualitates occultæ, nec ſit adhibendenda fides aſtrologicis prædictionibus deductis ex aſtris, quæ dicunt Aſtrologi euentus inopinatos portendere;& licet ſæpè euentus humani vires,atque intentionem ſuarum cauſarum excedant, non propterea eorum quaſi fatalem virtutem aſtris adſcribere debemus, cum facilè oſtendi poſſit,quidquid in hoc orbe nobis contingit, ſuas etiam apud nos cauſas habere, nec apparere quicquam in illis quod Cælum authorem deſideret.

ANIMADVERSIO XXXI.

ASTROLOGICA

In Diuinationem ex Aſtris fortuita Præſignantibus.

61 EA ratio,qua vtútur Aſtrologi, vt demonſtrent res fortuitas à Cælo, & ab aſtris eſſe, quia nimirum extra Cælum nulla eorum cauſa naturalis eſſe poteſt, cum natura tendat ad vnum per ſe, & fortuita ſint plura facta ex pluribus, & ad ſummum vnũ per accidens, contra ipſos pugnare videtur, cum etiam Cælum, & aſtra ſint intra ordinem cauſarum naturalium, nec poſſint agere, niſi vt natura ad vnum collimans;effectus igitur,qui non eſt vnus, cum non poſſit eſſe à cauſa naturali, neque poterit eſſe à Cælo. Quod ſi res fortuitæ, quarum bono, vel malo euentu homines fortunatos,vel infortunatos vocamus eo à cæleſti aſtrorum concurſu tantum pendentes ſiant, quod nullas habeant per ſe cauſas proximas in natura, ac propterea exigunt cauſam ſuperiorem, & occultiorem; id ad ſummum demonſtrat, eſſe cauſam aliquam ſuperiorem omnium præordinantem ad ſuos fines, quæ eſt diuina prouidentia, reſpectu cuius nihil fortuitum eſt, cum vniuſcuiuſque rei non ſolum moueat cauſas remotas ad ſuos effectus, ſed etiam proximas, licet ſint nobis ignotæ,& videantur agere præter iutentionem; Quapropter ſi quæratur, qua cauſa plerumque fiat, vt quis terram effodiens inueniat theſaurum,reſpondendum eſt,non vnam eſſe cauſam, ſed plurium cauſarum concurſum ab authore naturæ diſpoſitum, qui concurſus optimè haberi poteſt ſine aſtris influetibus; imo difficile admodum videtur, quomodo

tot

tot ad aſtra deputentur tot cauſis ad fortuita concurrentibus, cum ſupponenda ſit valdè diuerſa conſtellatio, & etiam influxus.

62 Addendum eſt, quoſdam fortuitos euentus, qui referuntur ab Aſtrologis in aliquam benignam ſiderum conſtellationem, vt cum quis egreſſus domo ipſius ruinam euadit, nullo modo fortunantibus Planetis, quorũ ope abſit ruina, eſſe adſcribendos, nam hominem aliquem excitare, vt domo egrediatur, ne ruina pereat, cauſæ eſt intelligentis, agentiſque conſilio, & ratione; qualis nec Iupiter in Cælo, nec Venus, nec alius Planeta eſſe potuit; Quia ſæpè euentus fortunati contingunt nobis ex temperamẽti diſpoſitione, ratione cuius alij dicuntur ſedentarij, & torpentes libenter domi, alij verò ambulatores, & vagi, atque ex inclinatione ad vagãdum fieri potuit, quod ille non maneret in domo, quando corruere debebat; & ſi illa inclinatio ad vagandum tribuitur aſtris, quod ipſa partem habeant in noſtris temperamentis, non proinde tribuendus illis euentus ille fortuitus, quod quis liberetur à ruina, cum ad ſummum motus ille localis tribuendus ſit, ex quo per accidens ſequitur, ne homo ruina domus opprimatur. Vna igitur in his omnibus cauſa aſſignanda eſt, quæ neque ſit Cælum, neque aſtra, ſcilicet diuina prouidentia, cuius miniſterium eſt in ſimilibus caſibus animos hominum vellicare, & mouere, vt id aſſequantur, ad quod fuit intenta illorum euentuum præordinatio.

ANIMADVERSIO XXXIII.
ASTROLOGICA
In Diuinationem ex Aſtris eneuitabilia annuentibus.

63 QVÆDAM etiam Aſtra præficiũt Aſtrologi rebus ineuitabilibus, in quibus aiunt delineari, quidquid in hoc orbe ineuitabile eſt, ſiue hæc ineuitabilia fata rerum nuncupentur, ſiue rerum ordines ab exordio creationis conſtituti, ſiue aliquid aliud, eiuſmodi. Hæc fatalia aſtra, licet etiam alibi oppugnata ſint, iterum tamen hic ſunt oppugnanda, ne decipiantur incauti, cum rebus ineuitabilibus ſubijciuntur, & nomine rei ineuitabilis hoc loco intelligitur, vel ipſa natura neceſſario agens; vel cauſarum ſeries, & ordo in natura nexu neceſſario cuncta producens; vel ſiderum conſtitutio; vel diuini conſilij certa, & ineuitabilis executio; Sic Alexander Aphrodienſis in lib. de Fato ſcribens ad Principes Seuerum, & Antoninum, ait multa eſſe ineuitabilia in na-

in natura, at non aſtris referenda, ſed rebus ipſis in tali ordine conſtitutis, nimirum, quod ignis calefaciat, humectet aqua, illuminet Sol, & ſimilia. Sic Sapiens ille Perſarum apud Herodotum rogatus à Thebano, vt prænunciaret Imperatori exercitus, quod eſset in pugna ineuitabile, cum id ex aſtris poſset præuideri, reſpondit, id tantum homini eſse ineuitabile, quod fieri Deus ordinauerit; quare nec verba ſua, licet Imperatorem monuiſset, fidem vllam eſsent promerita, cum omnis rerum ineuitabilitas ſit à Diuino conſilio, non à cælo; quod diuinum conſilium (inquit D. Auguſt.) ſi quis fatum vocet, rectiùs ſentiet, quam loquatur.

64 Omninò igitur reiecta illa rerũ ineuitabilium acceptione, quæ dicitur ineuitabilis conſtellatio, vel ſiderum conſtitutio; non ſunt à nobis alio modo admittendæ res ineuitabiles, niſi quatenus ſunt quædam diuini conſilij præordinationes, ac certæ, & infallibiles ſupremi decreti executiones; nã reſpectu cæterarum cauſarum, quæcumque ſint in natura, nihil eſt ineuitabile, cum ſaltem à ſuperiore, vel ſuprema poſsunt impediri; ſoluſq. Deus cauſa ſit omnium potentiſſima, & efficaciſſima, quæ nulla vi impediri poteſt. Addo rerum ineuitabiliratem ab ea cauſa tantum prouenire poſse, quæ eſt ineuitabilis in ſuo eſse, atque etiam in operationibus, conſilijs, & decretis; hæc verò cauſa eſt ſolus Deus: Quo fit vt præciſa diuina reuelatione non poſſint ea, quæ nobis ineuitabilia ſunt, cognoſci ſaltẽ quoad tempus, & alias rerum circumſtantias, vt loquuntur Theologi; qui etiam in rebus ineuitabilibus nullam agnoſcunt vel noſtræ, vel diuinæ libertatis læſionem, cum immutabiliter poſſit velle Deus, quæ ex ſua natura mutabilia ſunt; vult enim Deus res ipſas cum modis ipſarum rerum, vt egregiè docet S. Thom. prima parte, atq. adeo licet res, quæ ineuitabiliter contingunt, quia tamen contingentes ſunt, ita contingant, vt non cõtingere poſſent, ſi Deus vellet, & Deus, quæ vult contingere, poteſt velle non contingere, quæ potentia ad volendum, & nolendum in Deo dicitur potentia logica in ordine ad obiecta, non phyſica in ordine ad actus diuinos; nam licet repugnet actus in Deo non eſſe, non tamen repugnat non eſſe obiectum, quod per actum diuinum volitum eſt; Sed hæc potius ſpectant ad Theologos, quam ad Aſtrologos.

ANIMADVERSIO XXXIII. ASTROLOGICA

In Diuinationem ex Aſtris Auſpicatorijs.

65 ASTRA etiam collocantur in cælo, quæ ideo humanæ vitæ maximè vtilia reputantur, quod bonas, vel malas auſpicationes contineant, ex quibus quid ſit agẽdum, quo tempore, & quo loco, vt feliciùs cedat, facilè intelligitur. At hæc etiam aſtra cum cæteris, licet ſpeciem quamdam probabilitatis præſeferant, omnino damnanda ſunt, cum impoſſibile ſit ex ipſis auſpicationes bonas, vel malas decerpere, quæ in ipſis non continẽtur, neque tamquam in cauſis, neq. tamquam in ſignis; ſi enim eas continerent, vel ſignificarent, non eſset maior ratio, cur potiùs eas continerent, & ſignificarent pro tali tempore, quam pro alio; vnde homines auſpicia illa ab aſtris accipientes, quando naſcuntur, poſsent pro libito, & omni tempore eas operationes ſuſcipere, quod tamen Aſtrologi non concedunt. Addo quod ſi ab Aſtris auſpicatorijs luberetur, quod iter felix contingat tali tempore, vel tali hora ſuſceptum, quod commoda peregrinatio euadat, ac ſine periculis; quod à Principe quis benignè excipiatur, quod res familiaris adaugeatur, ſuperuacaneum omnino foret aliud ſtudium, vel aliam operam impendere pro exitu eiuſmodi rerum auſpicato. Deinde cum euentus eiuſmodi felices ſæpe ſæpius temporis latitudinem expoſcant, vt conſtat de itineris ſuſceptione, de gratiæ Principis comparatione, de diuitiarum augumento in ea tanta temporis extenſione ſæpius etiam dicerentur mutatæ conſtellationes, atq. ita variarentur euentus; variatis enim cauſis, & ſignis, neceſse eſt variari effectus, & ſignificata. Deniq. cum multæ operationes liberæ in his interueniant nõ poſsunt in aſtris auſpicatorijs delineari.

Neq. admittendum eſt, quod tradit Ptolemæus de aſtro Martis Principibus, & Ciuitatibus auſpicatorio, quod ſcilicet ſi in Vrbis conſtitutione Mars Cæli medium obtinuerit erunt Principes illius Ciuitatis plerumque gladio perituri; nam intelligi non poteſt, vbi nam ſanguinolenta illa Martis radiatio recipiatur, quæ tot Principes ſit ſucceſſu temporum necatura; dato enim etiam, quod illa radiatio ſuſciperetur à Principe, qui tunc vrbem ædificat, non propterea dicendum eſſet in eius poſteros, regnique ſucceſſores quaſi hæreditario iure deuenire poſſe noxiam illam Martis virtutem 66

quæ

Quæ etiam doctrina Ptolemæi,ſi vera eſset,maximam ignorantiæ notam inferret cunctis politicis, præſertim Platoni,& Ariſtoteli, qui tot libros de optimè conſtituenda Rep. & Ciuitate conſcripſere, nec tamen hanc aſtrorum auſpicatoriorum conſtitutionem obſeruarunt.

ANIMADVERSIO XXXIV.

ASTROLOGICA

In Diuinationem ex Aſtris Decretorijs.

67 DECRETORIA Aſtra illa dicuntur ab Aſtrologis, ex quibus res noſtræ quoquo modo decernuntur in cælo, itaut ijs inſpectis, innoteſcat ſtatim, quid de omnibus rebus noſtris foturum ſit; hæcque aſtra decretoria volunt Aſtrologi nedum futura indicare, ſed etiam præterita; nedum hominum mores corporis aſſuetudine aquiſitos, ſed etiam animi, & mentis exercitationibus comparatos, quæ tamen omnia quantam retineant aſtrologiæ fatuitatem ex eo coniectare licet, quod neque præterita in ſuis cauſis permanere poſſint, cum iam ſupponantur egreſsa,& prætergreſsa; neq. futura ex tranſacta iam ſiderum poſitione,quæ amplius non eſt, poſſit præuideri; nec deniq. hominum mores vt plurimum liberæ facultati ſubiectos, & ab ipſa prouenientes, poſſint ex cauſis purè naturalibus, & neceſsarijs deprehendi. Quin & his omnibus longè illud abſurdius eſt, quod ex hora plerumque qua filius naſcitur, decretoriam quamdam conſtellationem formant Aſtrologi de parétum,auorum,fratrum,& maiorum naturis,& fortunis, cum tamen hæc omnia priora ſint illa conſtellatione, & ab ea itidem aliena,vtpotè,quę à pręteritis iamdiù proprijs conſtellationibus ſui habeant fati ordinem, & dependentiam; & licet conentur Aſtrologi oſtendere ex fratris, vel filij genituris,fratrum,& parentum fata præuideri poſse in aſtris decretorijs, quod mulier cum viro congrediens tunc ſolum concipit, cum ea incidit hora, cuius conſtellatio cum parentum, vel fratrum conſtellatione concordat; nam quæ cum alio pariter cõcordant, inter ſe quoque conuenire neceſse eſt; fateri etiam coguntur vel inuiti hanc conſtellationum concordantiam perrarò accidere poſse, cum ſæpe ſæpius alio cęlo pater, alio genitrix,alio filius enaſcantur, nec videtur quomodo vna conſtellatio tam varijs cælorum, & temporum conſtellationibus poſſit reſpondere.

Id quoq. nõ minimum difficultatis 68
adfert, quod decretoriæ illæ conſtellationes

Digitized by Google

lationes iam prætericrunt, cum illi contingunt effectus, qui ab Aſtrologis prædicuntur, nec percipit ratio, quomodo virtus natis infuſa ab illis conſtellationibus queat perdurare in ipſis natis conſtellationibus transactis; cum id ſit proprium omnium cauſarum, quæ aliquid ſunt effecturæ, quod tunc magis illud efficiant, quādo ſunt, quam cum multo iam tempore deſierunt. Quod ſi fortè dicant non ſtatim fieri Regem, Principem, vel Philoſophum eum qui naſcitur, licet id aſtra decernant, eo quod repugnet ætas, quæ non adhuc eorum munerum ſit capax, quæ natalitiæ ſtellæ pollicentur; dicant etiam cur tot alij ea munera fortunæ non accipiunt, in quibus tamen & ætas ſufficiens eſt, & etiam materiæ diſpoſitio per idonea? Vel igitur non dant aſtra, quod promittunt, & decernunt natis; vel materiæ diſpoſitio aſtrorum impedit decreta, & ità potius à materiæ diſpoſitione, quam ab aſtris eſſent prædicendæ cuiuſcumque fortunæ. Mitto in hac re cætera Aſtrologorum deliramenta, quod ſcilicet ſint duo præſertim aſtra humanæ felicitatis decretoria, Venerē, & Iouem, quæ diuerſis officijs & præſentis vitæ, & futuræ largiantur felicitatem; Quod Venus Marti copulata adulteria pro natis decernat, & ſi ſint in ſignis maſculinis ad nefarios maſculorum concubitus homines vocet; Quod virtute alicuius magnæ coniunctionis in cælo vel religiones naſcantur, vel aboleantur; bonæ condantur leges, malæ inſurgant, & ſic de cæteris; nam hæc omnia, vt apertiſſimè conſtat, orbes cæleſtes ſuperant, nec eorum motibus, vtpotè ipſis ſuperiora circumuoluuntur.

ANI-

ANIMADVERSIO XXXV. ASTROLOGICA

In Diuinationem ex Aſtris Interrogatorijs.

69 VISVM eſt Aſtrologis non parum ſibi gloriæ, honoris, & etiam quæſtus comparare, cum æſtuante in hominibus ſciendi deſiderio, aſtra quædam in Cælo condidere, quæ ex eo interrogatoria dicta ſunt, quod de omnibus in deſiderium vel quæſtionem hominum cadentibus interrogarentur; atq. ex hoc ſibi, & alijs Aſtrologi perſuaſere, omne quod quæreretur ex aſtris in ipſa quæſtionis, vel deſiderij ſciendi hora, poſse facilè præuideri, & cognoſci, modo tamen, vt qui interrogaret, vel conſuleret Aſtrologum, id naturali quodam impetu ageret, nō propria electione, vt ſcilicet ſic haberent, quo ab omni falſitatis infamia ſe vendicarent; nam ſi quod reſpondebant, re ipſa refellebatur, tunc non Aſtrologiam accuſabant, ſed interrogationem indebitis modis, & conditionibus habitam; quibus actibus, & fallacijs Veteres præſertim Aſtrologi imperitos ludificabant, cum nihil magis diſſonum à ratione poſſit excogitari, quā quod de iſta interrogādi fallacia adinuenerunt; dato enim etiam, quod à Cælo eſſe poſſet repentinum illud deſiderium aliquid ſciendi, quomodo poſtea inde poteſt ab Aſtrologis inferri verum eſſe futurum, cuius deſiderium hac hora explicatur Aſtrologo, vt de ipſo interroget aſtra. Quod ſi velint Cæleſtem conſtellationem eam eſſe, quæ animum noſtrum vellicat, & impellit ad interrogandum de re futura, ac propterea illud deſiderium, vt à conſtellatione profertum ſatis indicare, quod res illa futura ſit; dico multa, & multa eſse, de quibus ſolemus aſtra, & Aſtrologos interrogare, quæ tamen numquam fient, nec votis noſtris vnquam reſpondebunt. Igitur ſiue ſpectanda ſit Cæli conſtitutio, qua hora Aſtrologum interrogamus, ſiue ſpectandum ſit primum momentum, quo interrogandi cupiditas nos inuadit, non eſt dicendum, quod eadem ſit conſtellatio, quæ & euentum parit, & deſiderium illud agnoſcendi.

70 Nullo itaque fundamento ponuntur ab Aſtrologis in Cælo Aſtra interrogatoria, quibus moueantur animi noſtri ad deſideria ſciendarum rerum; abſurdiſſimum enim eſset, quod poſſit Aſtrologus de rebus omnibus, de quibus quæſtio fiat, Cælum interrogare, & vera ex aſtris reſpondere; Sic enim ſuperuacaneum eſset, & Aſtrologis, & alijs omne aliud ſcientiarum ſtudium, præter ſtudiū Aſtrologiæ.

logiæ, ex qua omnia ſcire poſſet, ſi ſciendi deſiderium vrgeret; & cum omnes homines naturaliter ſcire deſiderent, deberent in omni temporis momento ad aſtra interrogatoria cōfugere, vel ad Aſtrologos, quod tamē fieri non deprehenditur. Addo plura eſſe, quæ de abſentibus, ac de rebus alienis indita quadam curioſitate ſcire deſideramus, quæ tamen prouidens naturæ author ad optimum orbis regimen voluit latere, præſertim, cum inter illa plura facta libera ſint, & occulta ad quæ ſcienda magis impellimur; & hęc certè ſcire naturaliter non poſſumus; vnde ruit in hac re tota Aſtrologorum doctrina, ſicut in cæteris.

ANIMADVERSIO XXXVI. ASTROLOGICA

In Diuinationem ex Aſtris ſupra naturam ſignificantibus.

71 EO etiam inſaniæ deuenere Aſtrologi, vt etiam quæ naturæ vires ſupergrediuntur, & ipſa quoq. diuina miracula in aſtra referrent, ignorantes, quod ea quæ totius naturæ facultatem excedunt, etiam ipſū aſtrorum ordinem omnino ſuperant, non ſolum quoad continētiam cauſalem, ſed etiam quoad ſignificationem; id namque quod ipſi Aſtrologi impoſſibile non putant, quod nimirum aliquid ſupra naturam, habeat ſignum in natura, verè impoſſibile eſt, cum ordinem diuerſum attingant ea, quæ naturalia ſunt, & quæ ſupernaturalia; quare omnis ſiderum motus, & diſpoſitio, omnis efficientia, & ſignificatio, quæ ex naturali eorum conditione procedit non poteſt niſi inter naturales effectus obuerſari. Hinc tamquam deliramenta Aſtrologorum ea irridenda ſunt, quibus aiunt diuinam etiam religionem referri ad ſiderum poteſtatem, & omnia illa miracula, quæ ſiue in Veteri, ſiue in nouo teſtamento acta ſunt, fuiſſe in aſtris, & ab aſtris præſignificata; cum enim miracula à Cælo fieri non poſſint, neque poſſunt ex Cælo, vel ex aſtris præuideri; nam Cælum, quæ non facit, neque præſignificat, vt crebrò dictum eſt; & ſic, quemadmodum naturalibus ſignis voluit Deus naturalia ſignificari, ita ſupernaturalia ſupernaturalibus; quare ea omnia mira, quæ ſupra naturæ leges erant agenda, non naturali aliqua Cæli configuratione voluit Deus iudicari; ſed aliqua ſpeciali reuelatione cælitus immiſſa; vnde Ezechiæ vitam diuina virtute prorogandam non benigna Iouis irradiatio, ſed ſupernaturalis Solis retrocedentis regreſſio prænunciauit; atque

Iu-

Iuſtitiæ Sole in Cruce deficiente, Sol & Luna ſigna quędam ſupra ordinem naturæ ediderunt, & ſic de reliquis.

72 Neque Stella, quæ magis apparuit nato Domino dicenda eſt cōſtellatio quędā index illius natiuitatis; nō enim eſt illa ſtella, vt ex Euangelio conſtat, inter Cæleſtes configurationes ennumeranda, cum fuerit factitia, & temporea, ad modicum ſcilicet tempus apparens; eoque modo Magi ex illa Stella natum Dominum intellexerunt, quo poſtea in ſomnis moniti ſunt declinandum Herodem, & alia, qua venerant via, in patriam eſse reuertendum. Neque putandum eſt ſupernaturalia ea fortaſse ratione poſſe ab aſtris præſignificari, qua aliquid naturale admixtum dicuntur habere connexum, cum enim modus, quo illa ſic exiſtunt, ſit ſupernaturalis, videtur eſse ſemper eadem ratio improportionis. Addo quod ſi præſignificarentur ſupernaturalia quoad naturalia, quæ ſimul cum ſupernaturalibus continerentur, iam nihil haberent Aſtrologi, quo poſſent ſuſtinere ſupernaturalia poſſe ab aſtris præſignificari; ſi enim dematur ex rebus ſupra naturam, quod ijs proprium eſt, & ea tantum relinquantur, quæ ſunt rebus naturalibus communia, non eſt, cur Aſtrologi eos ordinarios effectus tam ſtudioſè quærant in cælo; illi qui Geneſim Ieſu ſupernaturalem inueſtigant, non illud ex aſtris ſcire contendunt, quod in Vtero Matris nouem menſibus fuerit, quemadmodum reliqui homines, quod fuerit bono corporis ſtatu, prolixo capillo, viuido colore, nam eiuſmodi conditionibus abundat etiam reliqua hominum vita, ſed eorum maximè cauſam quærunt in ſideribus, cur natus ex Virgine, cur Deus, & homo, cur patriæ incola, & peregrinus, cur iudex viuorum, & mortuorum, & id genus alia, quæ certè ex aſtris dignoſci non poſſunt.

ANI-

ANIMADVERSIO XXXVII. ASTROLOGICA

In Diuinationem ex Aſtris rebus internis præſidentibus.

73 DEDVCVNT Aſtrologi ex anteactis, quod ſi primarum qualitatum ſidera ſunt authores, vt ſcilicet à Saturno naſcantur, ſiue concipiantur corpora ſicciora, vel frigidiora, calidiora ſub Marte, humidiora ſub Venere, & ita de reliquis; ex hoc etiã admiſſa temperamenti varietate diuerſitas ingeniorum, & affectionum animi ſit in hominibus admittenda ſolo authore ipſo Cęlo, at licet verum ſit mores quoquo modo conſequi ipſius corporis temperamentum, ita vt proniores ad iram bilis efferueſcens, ſegniores pituita, Sanguis hilariores, triſtiores atra bilis efficiat, cum tamen hoc non ſemper rerum experimentis reſpondeat, nec occultioribus quibuſdam, & maximè proprijs ingeniorum cõditionibus, ambiguam reddit partem illam, quam dicuntur aſtra habere in internis animi motibus, atque affectionibus; interdum enim inuenti ſunt homines corporis temperamento diſſimillimi, qui tamen ijſdem moribus educati, eaſdem quoque animi dotes, eaſdem ornamenta ſunt conſequuti; quemadmodum contra ſimillimi in corpore, in moribus animi maximè diſſenſere; ſic quidam ſub virginea facie ferinam immanitatem redolere viſi ſunt; alij vero ſub truci vultu, & aſpernabili mites, & amabilis manſuetudinis; Alij comperti ſunt frontis gratia, oriſque venuſtate lætitiam perpetuam præſeferre, qui tamen intus mæroribus æſtuabant, ſibique ipſis erant faſtidio; Alij denique deprehenſi ſunt, qui eſſe planè Saturni mancipia videbãtur, cum tamen omnia ſuis facetijs, & hilaritatibus ſerenarẽt; ex quibus exemplis illud deducendum eſt, quod tametſi ſidera partem haberent non contemnendam in corporis temperamento, non tamen dicenda ſunt eamdem habere in rebus animi internis, neque de illis certò ex aſtris poſſe coniectari.

Ratio potiſſima, quæ res animi in- 74
ternas vindicat ab aſtrorum dominio ea eſt, quod Cælum, ſub quo tamquam ſub cauſa vniuerſali, & Beotiæ ſues, & Philoſophi Actici pariter germinant, nõ eſt cauſa proxima, & propria eorum, quę ad animum ſpectant; cum enim animus incorporeus ſit, & immortalis, in ijs, quæ eius propriæ ditionis ſunt, non poteſt à Cælo pendere, cum Cælo ſuperexcellat. Quare Ariſtoteles quærẽtibus quibuſdam à quonam aſtro tantam ingenij felicitatem ſortitus eſſet, reſpõdit, ab aſtro indi-

inditi immortalis animi, cui datum eſt corpus, & cælum famulari ſortiuntur ſi quidem homines, dum in hanc lucem erumpunt non aſtra meliora, ſed meliora ingenia; quapropter ſemper plus cælo dant Aſtrologi quam oporteat, ſi animorum diuinitatem corporeis illis aſtrorum radijs adſcribunt; & ſimiliter cum deformitates ipſas noſtras, & labes mentium referunt in aſtra, quæ tamen maculis obnoxia eſſe non poſſunt.

ANIMADVERSIO XXXVIII.

ASTROLOGICA

In Diuinationem ex Aſtris rebus externis Dominantibus.

75 ETIAMSI vera eſſet Ptolemæi, & aliorum Aſtrologorum doctrina, quod nimirum res, quę dicuntur externæ, habeant affinitatem quãdam cum rebus animi internis, ex coniunctione corporis, & animi, quę ſunt hominis partes intimis, & externis quibuſdam rebus detentæ, quale eſt corpus, ad quod dicũtur ſpectare diuitiæ, vxor, liberi, & alia ſimilia; & qualis etiã animus eſt, ad quẽ pertinere dicuntur honores, & dignitates; non propterea ex ſtellis iſtis rerũ externarũ dominatricibus prædictiones inſtituẽdæ ſunt; cum enim omnis affinitas inter res internas, & externas ſit ratione cognationis inter animam, & corpus, & iam animus cũ rebus ſuis ab aſtris ſubtractus ſit, ſequitur, quod etiam corpus ſit ſubducendum ab ijſdem, quatenus rebus exterioribus affici poteſt; ridiculum enim eſſet bella, & ſeditiones in aſtra referre, eo quod aſtra ipſa in corporibus Principum excitẽt bilem, cuius æſtu flagrante excitantur ad arma; beatus enim & felix eſſet orbis totus, & perpetua pace floreſcens, ſi pituitoſos haberet Principes, non bilioſos; ſi bilis per pharmaca quàm citò à Principibus euacuaretur. Non eſt bellornm cauſa ſemper bilis & ira, ſed vt plurimum immoderata habendi cupido, ſpeſue potiundi; non ſẽper ſimultates, & odia, quæ per Aſtrologos à Saturno, vel à Marte excitantur, ſed ſæpe amor ipſe Iuſtitiæ, qui excitatur à Deo. Quare, vt nugæ habendæ ſunt Aſtrologorum prædictiones, cum illas nobis ferunt ex aſtris rebus externis præſidentibus.

Id verò potiſſimùm ab Aſtrorum 76
dominio ſubtrahit etiam res eiuſmodi externas, quo experientia nobis compertum ſit, plures, & plures ex rebus eiuſmodi ab actibus liberæ voluntatis pendere, qui ſanè in Aſtris nequeant contineri; Summa namque Magni Macedonis felicitas in rebus agendis, ſumma in bellis,

Digitized by Google

& victorijs fortuna, quæ ſideribus imputatur, potius eius virtutibus eſt imputanda, nimirum fortitudini egregiæ, magnanimitati, rei militaris peritiæ, & alijs eiuſmodi, quæ non dependent ab aſtris; Quod enim exercitum nactus ſit ſub patre Philippo exercitatiſſimum, ac regionis beneficio bellicoſiſſimum; quod inertiſſimi fuerint populi, quos ſuperauit; Quod ſumma celeritate in varias Cæli plagas contenderit; Quod non ſolo animi robore, ſed etiam plerumque temeraria quadam ſui fiducia ductus ſit ad egregia perpetranda facinora; hæc omnia non fuerunt aſtrorum opus, ſed ingenij, Indolis, & fortunæ Alexandri; alioquin omnes illi homines, qui ſub ijſdem aſtris nati ſunt, eadem felicitatis auſpicia habere debuiſſent; & benè ad hanc rem dicebat Phauorinus, nihil eſſe magnum in homine, quod non ſit ab ipſo homine, ſiue ſint bella, ſiue fædera, ſiue victoriæ, ſiue paces.

ANIMADVERSIO XXXIX.

ASTROLOGICA

In Diuinationem ex Cabala Aſtrologica.

77 OMISSIS legibus Aſtrologiæ Cabaliſticæ de natorum fatis, vtpotè orthodoxæ doctrinę repugnantibus, cum ſupponant animarum ante corporis introitum exiſtentiam, ea tantum Aſtrologorum Cabalicorum placita hic erunt animaduertēda, quibus ſe ex cognita proportione quadam natorum cum Aſtris, & Intelligentijs ipſis aſtris præſidentibus putant cuncta poſſe diuinare; atq. dum inter natos illos Soturnios, hos Martios, alios Iouios, Solares, Venereos, Mercuriales, & Lunares decernunt, nihil aliud intelligunt, quam occultā quamdam proportionem, quam diuerſas hominum complexiones, & inclinationes, non tantum ad materiam variè diſpoſitam, & ad Planetas proportionatam obtinent, ſed & ad vlteriorem analogiam cum Intelligentijs ſphæris præſidentibus, & etiam cum ſupramundanis diuinitatis notis, à quibus omnia cæleſtia, ac terrena volunt dependere; vnde deducunt, quod ſi nati materia habuerit cū Ioue analogiam, aut congruentiam, habebit etiā analogiam cum Intelligentia pręſide, à qua congruentes etiam agendi proprietates accipiet; & quod dicunt de Ioue, aiunt, dicendum etiā de reliquis Planetis, alijſque Intelligentijs præſidentibus, à quibus æquè, ac à naturalibus aſtrorum influxibus volunt directiones natorum immitti.

Sed

78 Sed eiuſmodi Cabaliſtarum commenta, licet ex aſtris deducta, omnino eiutanda ſunt, cum nulla innitantur ratione, ſed ſolo ipſorum placito impeteeptibilia confingente; quod non ſolum manifeſtè deprehenditur in Cabala Aſtrologica, ſed etiam in naturali, & magica, quæ varijs ſuperſtitionibus ſunt implicatæ, cum præſertim ex numeris in nomine alicuius contentis, aſtriſque & ſideribus quibuſdam reſpondentibus, totius vitæ curſum, proſperam, aduerſamque fortunam, reliquos etiam euentus ſtolidè diuinent; quidquid enim Hebræi per nomina, numeroſq. in ſua Cabala demonſtrant, hoc idem paralella quadam ratione Ægyptij per figuraſ ſymbolicas exprimunt, atq. adeo per diuerſa media in vnum, eumdemque finem diuinandi collimant; eo tamen æquè peccantes, tum Hebræi, tum Ægyptij, tum etiam Pythagorici, vt Cabalam faciant artem rerum occultarum diuinatricem, cum delirũ prorſus, atque inſanum ſit naturalem vim in rebus conſtituere ad ea patranda, quæ nullo modo per naturã fieri poſſunt. Quare omnino vana, atq. impia cẽſenda ſunt Cabaliſtarum dogmata nõ ſolum quoad diuinationem aſtrologicam, ſed etiam quoad alias innumeras ſuperſtitiones, quæ à Cabala proficiſcuntur; & ideò non merito ars eiuſmodi ab Eccleſia tamquam execranda proſcribitur, & cum ſortilegis artibus connumeratur.

ANIMADVERSIO XL.
ASTROLOGICA
In Diuinationem ex ſigillis Planetarum.

79 NON modo antiquis Ægyptijs, & Arabibus, qui varia Cabalę ratione vſi sũt, ſed etiã alijs plutibus fuit in more quibuſdã ſigillis, & figuris vti reſpondentibus ſeptem Planetis, ex quibus, quæcumq. vellent, pro lubito diuinarent; Ita ex ſigillo Saturni in plumbea lamina inciſo ipſo Saturno dominante prægnantiũ, ac partutientium felicitatem, coniectabãt, gratias etiam & fauores Principũ, & id genus alia; ſi tamen ſigilli inciſio facta fuiſſet Saturno impotẽte, omnia mala ſolebant ominari; qua forma autẽ eſſet incidẽdum hoc ſigillũ fusè refert Kircheſius in Oedipo Ægyptiaco to. 2. par. 1. & 2. vbi agens de Cabala Saracenica formas omnes ſigillorũ reſpõdentiũ planetis accuratè deſcribit. Ex ſigillo etiam Iouis, in quo quot pũcta, tot erant ſuperſtitionis, lucris, & mercibus felicem exitum prænunciabant, diuitiarũ amplificationem, hominum

gratiam, & amorem, pacis ereptæ reſtitutionem, & ſimilia plura. Ex Sigillo Martis ipſo Marte aſcendente formato victorias, & triumphos bellatoribus pollicebantur, glorioſa facinora, & exitus omnium rerum bellicarum fatis propitias; contrà verò ſi ſigillum in lumina incideretur Marte deſcendēte. Ex Sigillo Solis homines benè fortunatos in omnibus agnoſcebāt, dummodo ſigilli tabula, die & hora Solis exiſtentis in ſua exaltatione, vel in proprio gradu Arietis, vel decimonono gradu eiuſdem Arietis formaretur. Ex ſigillo Veneris facto exiſtēte Venere in domibus proprijs amicitias, maleficiorum ſolutiones, armentorum, & gregum multiplicationes augurabantur. Ex Sigillo Mercurij certo die, & hora confecto felicitatem in votis omnibus deducebāt, & etiam in prædijs ſummam fertilitatem. Ex Sigillo denique Lunæ ſimiliter fabrefacto rerum nobilium, & magni pretij acquiſitionem, in itineribus felicitatem, & alia plura pollicebantur. Hæc ſunt, quæ ex ſeptem Sigillis Planetarum diuinabant Veteres Aſtrologiæ Cabaliſticæ, & Characteriſticæ profeſſores, quę haud dubiè Ægyptiorū dogmata olēt, quęq; Arabes Ægypto vicini, tāquam Sacroſancta in ſua Phrontiſteria receperunt.

At hæc omnia, quæcunque ſint, 80 Herebi potiùs, quam Ægypti vel Arabiæ dogmata cenſenda ſunt, cum à recto noſtræ fidei tramite quam longiſſimè deſciſcant; ſunt enim ſuperſtitionis pleniſſima, ac pacta apertiſſima cum Dæmone inuoluens nullaque ſubeſt ratio, qua philoſophicè; vel catholicè poſſint admitti; ac propterea à ſancta Matre Eccleſia, tamquam ex Dæmonum officina profecta iamdudum proſcripta, & eliminata fuere, eo præſertim, quod nulla cauſa naturalis, vel efficientia phyſica queat aſſignari; nec putandum eſt cauſam eorum effectuum eſſe Deum, vel ad Angelos, cum his non detur locus in impijs, ac penitus ſacrilegis miniſterijs; ex quo valdè mirandum eſt, quoſdam licet catholico nomine, & Chriſtiana Religione inſignitos ſtolidiſſimam hanc charectolatriam diabolicis fundamentis innixam, innumeris ſuperſtitionibus expoſitam tam anxiè ſectari, tam ſtudiosè inquirere, tanti denique facere, vt eam ſacris Chriſtianorum amuletis anteponere non erubeſcant, eo prætextu quod in illis ſita habeatur quædam occulta naturæ vis ad portentoſa patranda, quæ tamen vis naturæ nulla ratione percipi poteſt, vt ratiocinanti patebit.

ANI-

ANIMADVERSIO XLI. ASTROLOGICA

In Diuinationem ex magnis Planetarum coniunctionibus.

81 QVÆ de religione, de legibus, atq. de eiuſmodi alijs rebus vniuerſalibus impia quadam temeritate diuulgant Aſtrologi, eo maximè falſa deprehenduntur, quod omnino fallaces ſint viæ illæ, quibus magnas rerum inferiorum mutationes ſolent inueſtigare; magnas verò vocant ſuperiorum Planetarum coniunctiones, cum ſimul præſertim iunguntur Iupiter, & Saturnus, in quibus coniunctionibus aiunt ſemper fuiſſe in mundo aliquam legum mutationem, aliquem Prophetæ aduẽtum, aliquem in rebus humanis euentum admirabilem; atque ex illis præſertim fuiſse prænotatum diluuium, Moyſis & Chriſti aduentum, Mahometis ſectam: quorum dicterijs poſſet adhiberi fides, ſi ea, quæ prædicuntur, poſsent cælo ſubeſſe, nec omnino ab aſtris ſubtraherentur; Ipſa namque experientia, & hiſtoria poſſet certum illis facere, quod quotieſcumque de ſectarum, & religionum ortu, & mutatione vaticinia tulere, ſemper mendaces, & fallentes deprehẽſi ſunt, quorum errores potiſſimum enumerat Mirandul. lib. 5. cap. 1. vbi tempora omnia hiſtoricè profert, quibus ſupponunt mutationes magnas contigiſſe, quæ verè non contigerunt ijs temporibus, ſed alijs longè diſcrepantibus. Quin Petrus Alliacenſis ſcribit, quo anno generale Concilium Conſtantienſe celebratum eſt, prædixiſse Aſtrologos nullam futuram in Eccleſia pacem, ſed potius extremum religionis exitium, cum ſummæ diſſenſiones deſignarentur eo temporis ex Ioue in prima domo ex anni figura retrocedente; & tamen Sciſma illud magnum, quo nullum vnquam in Eccleſia fuit maius, nec diuturnius per quadraginta annos iam confirmatum, eo primùm anno extinctum eſt, ſolita pace, & tranquillitate Eccleſiæ reddita; Quod ſatis fuit Alliacenſi, vt nullam huiuſce artis vanitati fidem adhiberet.

Neque ſatis ratione ſuaderi po- 82
teſt, cur Iupiter, & Saturnus, vel alij Planetæ cum ſimul ſunt in magnis coniunctionibus, quam ſeparati, plus valeant; cum potiùs eò inclinemur, vt credamus minùs aliquid fieri, quam ſi ſeorſum vnuſquiſque ageret, cũ commixti contrariorum Planetarum radij potiùs inuicem impediãtur, quam iuuentur, refractis inuicem qualitatibus, quod ipſi præſertim fatentur Aſtrologi de coniunctione Martis, & Saturni, qui ſunt omnino oppoſiti; nec eſt maior ratio, cur idem non

fa-

fateantur etiam de Ioue, & Saturno; & licet darentur ipſis coniunctos Planetas plus facere, quam ſeparatos ad magnas iſtius mundi mutationes, non propterea iiſdem concedendum eſt, eas potius euenire ex Iouis, Martis, & Saturni coniunctionibus, quam ex alijs ſideribus; præſertim cum celeberrimi Aſtrologi eorum non meminerint. Quin Ptolemæus generales, & magnas mūdi mutationes in 2. lib. Apoteleſmaton refert tantum in Solis, & Lunæ defectum, cum debeant effectus vniuerſaliores, & magni in eas referri cauſas, quæ maximè vniuerſales, & efficaces ſunt; eſt autem confeſſum apud omnes inter Planetas Solem potiſſimum, & Lunam eſſe efficientiæ vniuerſalioris; quare ſi qua debet cæleſtis virtus, origo, & cauſa exiſtimari effectuum vniuerſalium, atque magnorum, nulla debet potius, quam ſiderum iſtorum talis haberi; gratis namque dicitur à quibuſdam magna omnia fieri à Ioue, & Saturno, quia ſunt tardioris motus, cum concors ſit ſentētia deberi nobiliori corpori, & potētiori motum velociorem.

ANIMADVERSIO XLII. ASTROLOGICA

In Diuinationem ex Reuolutionibus Saturni.

83 SATVRNIÆ reuolutiones ſunt apud Aſtrologos, cum Saturnus decem periodis abſolutis, quæ trecentis ferè annis complentur, magna quædam eueniunt in rebus humanis; eaque coniectura ducuntur Aſtrologi ad ſtabiliendas eiuſmodi reuolutiones Saturnias, quod ex hiſtorijs, vt plurimum deprehēſum ſit, poſt hunc numerum annorum inſigne aliquid contigiſſe, in qua obſeruatione fundarēt dogmata ſua, quod reuolutiones Saturni maximas in rebus inferioribus afferant mutationes; At in adſtruendis hiſce reuolutionibus, ſicut in reliquis, aberrarūt Aſtrologi, nam Albumaſar, qui primus, vel ſolus Saturnias reuolutiones ſibi finxiſſe videtur in hiſtoricis coniecturis maximè deceptus eſt, atq. in eo præſertim quod dixerit poſt Alexandrum exactis annis trecentis apparuiſſe Bielaſotem, qui Perſas contriuit, & poſt alios totidem annos apparuiſſe Ieſum Ducem noſtrum, ac orbis Dominum; qua admiſſa annorum computatione ſequeretur à Ieſu ad Alexandrum elapſos fuiſſe annos ſexcentos, quod tamen conſtat eſſe falſiſſimum, cum nulla hiſtoria ennumeret annos quadringentos à Chriſto ad Alexandrum; & ipſe Alphonſus in tabulis aſtronomicis non plures ennumerat,

quam

quam trecentos, & vndecim; & ſimiliter, quæ tradit Albumaſar de alijs legibus exortis poſt Ieſum poſt decem Saturnias reuolutiones, etiam falſa deprehendantur, cum nullam ſciamus poſt Chriſtum legem exortam ante Mahometem; niſi pro legibus intelligant Arabes hæreticorum ſectas; Quapropter Alliacenſis ipſe, qui in diuinationibus ſuis ſæpè vſus eſt Saturnijs huiuſmodi reuolutionibus, concludit tandem in Elucidario ſuo, eas nullum fundamentum habere ad captandam hominum fidem.

84 Potiùs igitur tempus magnarum rerum, quo ſcilicet contingunt mutationes magnæ in hoc orbe inferiori ab hiſtoria petendum erit, quam ab Aſtrologia per Saturnias reuolutiones; quidquid ſit, an poſſit etiã Aſtronomus, ſi veram aliquam ſiderum poſitionem habuerit, quæ olim fuerit, rurſuſque aliam proximam notam habuerit, certa ratione determinare, quantum temporis neceſſariò medium exactum ſit inter illas; dato enim quod hanc certitudinem poſſet Aſtrologus habere, facilius tamen illa habebitur à vera, ac fideli hiſtoria, quam ab infideli Aſtrologia. Adde mutationes magnas in hoc orbe, earumque tempora non minus diuinari poſſe per Saturnias illas annorũ reuolutiones, quas aſſignant Aſtrologi, ſed etiam per alias temporum exactiones; licet enim inueniantur magnæ in rebus noſtris exortæ mutationes poſt trecentorum annorum curriculum, quo Saturnus ſuas agere reuolutiones fertur, aliæ etiam magnæ mutationes, aliæque rerum viciſſitudines in eodem orbe inueniuntur, ſi minor annorum numerus computetur; idque potius adſcribendum eſt mutabili omnium rerum ſublunarium naturæ, quæ ex intrinſeco ſuo mutationes portendit, quam ex extraneo temporum ſpacio, quod plerumque nihil confert ad rerum mutationes.

ANI-

ANIMADVERSIO XLV. ASTROLOGICA

In Diuinationem ex ſucceſsionibus Planetarum.

85 APVD Veteres Chaldæos, Perſas, Indos, Ægyptios, & Arabes illud de Planetarum ſucceſſionibus definitũ erat, tot annos nos regere Planetam aliquem, quo tempore conſumpto, ſuccedenti alteri Planetę, vel pro ſphærarum, vel pro Climatis ordine, quaſi per manus gubernaculum traderetur; qui rurſus per conceſsum ſibi tempus adminiſtrata iuriſdictione cedat ſideri proximo ius, & poteſtatem; & ſic ſucceſſiuè de omnibus alijs; ex qua planetarum ſucceſſione ad regimen noſtrum, ea omnia, quæ ad nos ſpectarent, diuinabant. Quod tamen, quam ſit à ratione naturali alienum nemo non videt, nam quod hoc potiùs ſidus, quam aliud hoc tẽpore nobis dominetur, alia non poteſt rationabiliter cauſa aſſignari, quam, aut materię diſpoſitio huic potiùs impreſſioni, quam alteri opportuna; aut ſideris ipſius ad nos efficacior habitudo, vno potiùs tempore, quam altero; neutrum verò dici debet, cum non ſit aſſignabilis ratio, cur potius hanc impreſſionem ſuſcipiat materia, quam aliam; cur potiùs hoc tempore, quam alio ſit in Planeta efficacior agendi vis; ad ſummum enim poſsent inueniri rationes ab extrinſeco acceptæ, quæ nihil omnino probant. Addo ridiculum eſse affirmare, Iouem nunc præeſse rebus inferioribus, quia annis præcedentibus præfuit Saturnus, quem ex Sphærarum ordine Iupiter ſequitur, & Taurum hoc anno dominari, quoniam præcedenti anno dominabatur Aries, quaſi Magiſtratuum vices etiam in Sideribus inuenirentur; cum tamen aliunde nobis cõſtet ex Aſtrologis alium Lunæ, alium Marti, alium Ioui eoſdem annos attribuere.

Pręſertim verò in his eſt fides Aſtro 86
logis abroganda, quod pro ſua quiſq. opinione ſumma doctrinæ varietate contendat; nam Ægyptij, quos ſequutus eſt Firmicus vitæ adminiſtrationẽ cuilibet ſiderum dedere æqua partitione annorum decem, & menſium nouem; hoc ſcilicet ordine, vt in diurna genitura primum decennium accipiat Sol, in nocturna Luna; poſt quod decennium ſuccedat, qui per ſignorum curſum in ſecundo loco fuerit inuẽtus, & ſimili modo cæteri. Perſæ eumdem quidem annorum numerum collegere, facientes, & ipſi vnum Planetam temporum Dominũ principalem, ſed alios tamen in dominatu vicaria ſucceſſione participes, quam diſtributionem vocarunt fridariam,

in eo tamen ab Ægyptijs ſemper diſſentientes, quod in ſucceſſu Planetarum non loca thematum genituræ, ſed ſphęrarum ordinem obſeruarunt, Solem medium facientes; neque cuique Planetæ æquale tempus aſſignarunt, ſed Soli quidem annos decem, Veneri octo, Mercurio tredecim, Lunæ nouem, Saturno vndecim, Ioui duodecim, Marti ſeptem, Capiti Draconis tres, Caudæ duos, & ſic de reliquis. Chaldæi inuenta plurimum diuerſa in hac eadem re prodidere, quæ ex numeris annorum non deſumpſere, ſed ex cardinibus genituræ. Arabes ſucceſſionem poſuere in dominis triplicitatum; Ptolemæus in Dominis ætatum; Alij tandem in alijs eiuſmodi; ex quibus ſatis perſpectum eſt, quæ fides ſit Aſtrologorum doctrinis mancipanda, cum tam variæ ſint, ac diſcrepantes; non enim ex tanta rerum incertitudine aliquid certi in diuinationibus accipi poteſt.

ANIMADVERSIO XLIV.

ASTROLOGICA

In Diuinationem ex Ditionibus, ac dominijs Planetarum.

87 AD vniuerſales prędicendas mutationes ſolent Aſtrologi triplici potiſſimùm via incedere, aut ex magnis ſiderum ſuperiorum, vel luminarium Eclipticis coniunctionibus; aut ex Cæli diſpoſitione, cum primas Arietis minutias Sol ingreditur, quod quaſi principium anni ſtatuerunt; aut tandem ex principijs vrbium, regnorum, ac gentium peculiaribus; hoc eſt, ex hora, qua vrbs eſt ædificata, vel regnum inſtitutum, vel genti, quæ viuit, lex data ſit, qua gubernatur; quæ omnia, quam ſint friuola, magna ex parte alibi oſtenſum eſt, non ſolum vbi tota depulſa eſt quoad quoſdam euentus, ſiderum efficientia, ſed etiam cum totam prędicendi ex magnis cōiunctionibus rationem infirmauimus; & licet nunc daremus omniū rerum fata eſſe aſtris quoquo modo ſubiecta, & ab iſtis dependere, non propterea tamen aliquid certi definiri poſſe ex Planetarum dominijs, hic affirmamus; aiunt namque magnas quaſdam, & admirabiles mutationes in illis regionibus expectandas eſſe, quæ ſunt tali, vel tali ſigno ſubiectæ, in quo talis, vel coniunctio ſiderum, vel luminarium defectus contigerit; nec ſolum quæ in ſigno penitùs eodem, ſed vel eodem, vel in ſigno ſaltem eiuſdem triplicitatis; & ex hoc colligunt nihil poſ-

poſſe de fato alicuius regionis diuinari, niſi priùs conſtiterit, cuinam ſigno, aut cui Planetæ regio illa ſubijciatur; quemadmodum volunt, nec de hominis fato poſſe aliquid prænunciari, ſi tempus genituræ fuerit ignotum.

88 At cum de eiuſmodi terrarum, ac regionum diſtributionibus ſub ſignis, ac Planetis dominatoribus omnia incerta ſint apud Aſtrologos, neceſse eſt etiam quod incertiſſimæ ſint de eiuſmodi rebus eorum diuinationes; Alij namq. ex ipſis volunt, inter quos Ptolemæus in lib. Apoteleſmatum igneam triplicitatem prçeſse Septemtrioni, Terream Meridiei, Aeream Orienti, Aqueam Occidenti, quam ſententiam ſequutus eſt etiam Iulius Firmicus veterum opinionum æmulator: Alij verò Igneam triangularitatem non tam Septemtrioni præficiunt, quam terris, quæ ſitæ ſunt inter Septemtrionem, & Occidentem, terream his, quæ inter Orientem, & Meridiem, Aeream his, quæ inter Ortum, & Septemtrionem, Aqueam his, quæ inter Occaſum, & Meridiem. Alij denique aliter Planetarum præfecturas, & ditiones diſtribuunt, ac tanta opinionum varietate, vt meritò recentiores quidam Aſtrologi dicant nondum conſtare, quinam ſint Planetæ omnium locorum, ac regionum dominatores. Ex quo luce clariùs conſtat nihil poſſe ab Aſtrologis certò pronunciari, præſertim vbi nam gentium, atque terrarum caſus aliquis ſit euenturus, cum de ipſa ſub ſignis gentium terrarumque diuiſione nihil habeant certum, vel exploratum; vnde etiam ſequitur maximè decipi Aſtrologos in auſpicandis ex Planetis dominatoribus Vrbium, Regnorum, vel Principum fatis, cum neque de his aliquid certi apud eos cõſtare poſſit.

ANI

ANIMADVERSIO XLV.

ASTROLOGICA

In Diuinationem ex Planetarum Retrogreſsionibus, & Progreſsionibus.

89 MERÆ fabulæ, vel arbitraria commenta ea Aſtrologorum putanda ſunt, cum ad exercendam artis diuinatricis profeſſionem, fingunt aſtra progredi, & retrogredi, ex quo progreſſionis, vel retrogreſſionis motu volũt Planetarum fluxus vel imminui, vel roborari, ſpeciemque ipſam variare rerum efficiẽdarum pro illa motuum diuerſitate, opinantes aſtra nũc quidem directo curſu procedere, nũc retrogredi, nunc ſtatiua tarditate ſubſiſtere; & tunc Planetas debiliter agere, cum retrogrediuntur, efficaciter verò cum procedunt, mediocriter cũ ſubſiſtunt; imo tunc propitios fieri, cum recto progrediuntur curſu, infauſtos verò, cum retrocedunt; At nobis animaduertendum eſt, quod licet Planetæ dicantur ab Aſtrologis inæqualiter moueri, reuera tamen in cæleſtibus nihil putãdum eſt inæquale, nihil inordinatum; quin potiùs omnem ordinem, omnem æqualitatẽ in illis inueniri; & licet appareant inæqualiter aſtra moueri, & interdum etiam ſtare, hoc fit tantum ad noſtram æſtimationem, cum ipſa reuera neque ſtent, neque vnquam motum ſuum retardent, aut retroagant; ſed accidit, vt appareat ita fieri ab illis ob Eccentricorum, & Epyciclorum poſitionem, ſuper quibus mouentur, vt Ptolemæus in ſua compoſitione nos docuit.

Et licet diù vſurpatum ſit apud A- 90
ſtrologos in ſuis Apoteleſmatis, hoc eſt reſponſis Planetas modo progredi, modo retrocedere, modo ſtare; atque ex his motuum differentijs plura colligantur in aſtrologia, non propterea dicendum eſt eiuſmodi progreſſiones, ſtationes, aut regreſſiones inueniri in aſtris, quemadmodum inueniuntur in alijs rebus, quæ diuerſis his motibus de loco ad locum feruntur, ſed quoniam accidit Planetis, vt in Epyciclis delati modo terræ proximiores fiant, modo verò à terra remotiores; quod præſertim obſeruatum eſt ab Heliodoro, à quo illud non modo conceſſum, ſed confirmatum accepimus ſtationes Planetarum, aut motiones nihil efficere, quatenus tales, hoc eſt Planetarum efficientiam nihil immutare; pariter neque retroceſſiones, neque directiones, quatenus ſunt huiuſmodi; at ſolum ex his varia pronunciari, quod accidat in his motuum differentijs, aut terræ proximare Planetas, aut à terra magis elongari; quaſi ea ſit nos immutan-

di ratio, vt aliter nos immutent, cum ſint proximi, aliter cum ſint remoti; conſtat namque ferè apud omnes, vt quanto terræ proximior eſt Planeta, fortiùs nos immutet, afficiatque potentiùs, omnis autem planeta, cum retrocedit, terræ proximior fit, è contra cum recto progreditur motu, fit diſtantior; vnde neque in hoc eſt vnus Aſtrologorum conſenſus, cum plerique velint Planetam in retrogreſſione debiliorem eſſe, in directione verò motus fortiorem; & hac doctrina ſuppoſita ex his progreſſionibus, & retroceſſionibus Planetarum ſolent diuinare, quæ nutante doctrina facilè corruunt.

ANIMADVERSIO XL.
ASTROLOGICA
In Diuinationem ex Planetarum Directionibus.

91 VTVNTVR Aſtrologi in prædicendis euentibus quibuſdam etiam Planetarum partiumq. Zodiaci directionibus; opinantur enim horoſcopum cuiuſcunque geniture peruenire aliquando ex directione ad aliquem Planetam, & quo anno perueniet ex illo Planeta aliquid natis imminere; peruenire autem aiunt ea ratione, quoniam ſingulis annis ſingulæ nobis ſignorum partes attribuuntur pro anaphorarum proportione. Dicunt etiam primo anno vitæ ipſum deberi gradum, in quo eſt horoſcopus, quare ſi in eo gradu Planeta bonus fuerit, eo anno ſua bona largiri; contra, ſi malus, mala; ſic ſecundo anno ſecundum à primo reſpondere; tertio tertium, & ſic deinceps; quare ſi Saturnus, exempli gratia, primam & vigeſimam partem ab horoſcopo occupauerit, cum primo, & vigeſimo ætatis anno pars illa reſpondeat, volunt fore, vt annus ille Saturni radijs infeſtetur; ea ſemper ducti ratione, vt cum velint præuidere, quonam anno aliquod bonum, vel malum ſit nato euenturum, dimetiantur gradus inter loca principalia genituræ, & conſiderent corpora, vel radios bonorum, vel malorum ſiderum interceptos, & pro numero graduum de annorum numero præſcribant, poſtquem euentus illi debeant expectari. Hac lege reguntur Aſtrologi in ſuis directionibus, ex quibus & vitæ ſpacium, & caſus omnes, & omnes fortunæ vices ſolent prænunciare, quorum dux præ cæteris in his habetur Ptolemæus.

At hæc graduum ad annos diſtributio in directionibus, cum ſit ſolo 92
Aſtrologorum placito ficta, & conſtituta, nulla cenſeri debet vera ratione conce-

concepta, atq. vſurpata, maximè cum interdum annos, interdum dies pro libito à gradibus iſtis dicant indicari. Addo commentum dirigendi apud Aſtrologos nihil aliud eſſe, quam res ſubijcere, non ſolum conſtellationibus, quæ ſunt, ſed quæ etiam eſſe poſſent; conſtellationes verò, quæ eſse poſſent, verè in ortu hominum non ſunt, & ſi poſtea aliquando eſsent futuræ, nihil tamen pertinent ad natos, quibus ſi fatum aliquod conſtitutum eſt, iam illud dedit præterita Cæli diſpoſitio. Plura alia ſunt, quæ vanam atq. inconſonam oſtendunt dirigendi poſitionem, ac præſertim illud, quod ſi pro illa graduum, & annorum diſtributione influxus aſtrorum pertineret ad natos, ſequeretur quod aliquando pertinerent Planetæ ad natos, quando ibi non eſſent, vbi dicuntur pertinere, & abſurdum eſt dicere, quod ibi relinquerēt ſuas qualitates bonas, vel malas pertinentes ad natos, quando aſtra ibi non eſſent, cum eas ſecum ſemper deferant.

ANIMADVERSIO XLVII. ASTROLOGICA

In Diuinationem ex ſignis Planetarum.

93 QVOD duodecim Planetarum ſigna ſint tantum ab Aſtrologis ficta, & inuenta ad ſupputandi facilitatem, atque ad fallendos artis imperitos, ex eo coniectare licet, quod Chaldæi Aſtrologiæ peritiſſimi, vt teſtatur Mirandul. lib. 6. cap. 4. in ſuis diuinationibus nullis vtebantur eiuſmodi ſignis, neq. vllas faciebant Planetarum domos; neq. enim apud eos Leo Solis domicilium, aut Lunæ Cancer, aut Libra Veneris & Taurus, aut Iouis Piſces, & Sagitarius, atque ita de reliquis; ſed altitudines dumtaxat ſiderum obſeruabant, non ad ſigna relatas, ſed ad imagines; nihilq. apud eoſdem Saturnus in Capricorno, nihil poſſidebat in Aquario, ſed in Libra tantummodo & Scorpio ius obtinebat; ex quibus arguendum eſt, numerum hunc ſignorum, quo innituntur Aſtrologi in ferendis prædictionibus non eſſe ab ipſa natura conſtitutum, ſed à libera ipſorum Aſtrologorum voluntate, nec proinde ineſſe ipſis naturales quaſdam euentuum conſignificationes, vt contendunt; Atque eadem ratione omnino fictitia cenſenda eſt illa ſignorum in triginta partes diſtributio; illa etiam partium in ſexaginta minutias partitio, ex quibus nullę erui poſſunt naturę proprietates ad influendum, ſed ad ſummum illarum partium, & minutiarum numerus adhibetur ad faciendas ſupputatio-

nes

nes ſolum opportunus, licet Aſtrologi alias partes lucidas faciant, alias tenebroſas, Alias Soli, alias Marti, alias alijs Planetis adſcribant. Si itaq. ferè omnem Planetarum efficaciam accipiunt Aſtrologi à ſignis illis imaginarijs, neceſſe eſt etiam, vt ex hac parte imaginariæ tantum ſint illorum vires, nec poſſint propterea rerum, quæ verè euenturæ ſint, ab ipſis diuinationes accipere.

94 Nec ideo, quod Solem dixerint in Leone poſitum violentiùs terras calefacere, poſitum verò in Ariete longè remiſſius, ac potius illius ſigni contractum mundum inſtaurare, dicendum eſt Solem cum Leone, vel cum Ariete aliquam cognationem ſubire, qua peragrans illa ſigna fortior, vel remiſſior euadat; ſicq. auctis ex illis ſignis, vel diminutis viribus, liceat poſtea ex iiſdem ſignis alios effectus præſentire ac prędicere; nam quod Sol in Leone magis nos calefaciat, non ex natura ſigni, quod peragrat, ſed ex ſitu poſituque contingit, quod ſcilicet ex eo loci rectiùs terram ferit noſtris regionibus magis proximam; alioquin ſi recepta de ſigno qualitas hoc efficceret, faceret idem apud omnes gentes, cum eadem ſigna ſint apud omnes; cum tamen oppoſitum diſpiciamus; nam quo tempore Sol poſitus in Leone vrit terras ſitas ad Aquilonem, friget apud eos, qui meridiem incolunt; apud quos tamen feruet, veniens ad Aquarium, ſub quo nobis glaciem, & aquarum imbres effundit; cuius rei ſola ratio eſt, quod quantò magis ad nos accedit, tantò magis ab illis elongatur, & quotieſcumque iter ſuum ad eos inflectit, tunc ſemper à nobis digreditur. Addo denique cum idem Planetarum ſignũ in cælo tot, ac tam varijs finibus diuidatur ab Aſtrologis, aliter ſcilicet à Chaldæis, aliter ab Ægyptijs, aliter ab Indis, aliter à Gręcis, aliter ab Arabibus, quemadmodum nulla eſt inter eos de finibus ſignorum concordia, ita neque poteſt eſſe inter eoſdem aliqua conſtans doctrina, qua ex ipſis Planetarum ſignis ſuas prædictiones ferant.

ANI

ANIMADVERSIO XLVIII.
ASTROLOGICA
In Diuinationem ex Planetarum diſtantia.

95 IN ea fuere ſententia Aſtrologi ferè omnes, tum Veteres, tum Recentiores, vt putarent Planetarum diſtantiam, ex qua eorumdem formātur aſpectus, maximam partem habere in euentibus, quæ à Cælo pendentes fecere; opinati ſunt namque Saturnum, ſi à Ioue ſexaginta partibus diſtaret, hoc eſt duobus integris ſignis, aliter inferiora afficere, atque mouere, quam ſi per nonaginta ab eodem ſidere diſtaret, quod eſt trium ſignorum interuallum. Similiter alias eſse vtriuſque ſideris proprietates, ſi alter ab altero centum, & viginti partibus abſit, vnde trigona radiatio, ideſt, trinus aſpectus emergit; Alias etiam eſse, ſi ſimul ex diametro opponuntur, vel in eodem ſitu, & loco conueniunt; & quod de Ioue, & Saturno dixerunt, idem de omnibus Planetis intelligendum putarunt, itaut pro varia ſemper eorum inter ſe diſtantia virtus eorum, & efficientia permutetur; atque adeò quidem permutetur, vt cum certis quibuſdam diſtant interuallis hoc eſt, vel trigono, vel hexagono, omnis eorum defluxus ſit bonus, & ſalutaris; & rurſus alia quadam diſtantia conſtituti, hoc eſt, vel quadrangula, vel oppoſita vires ſuorum radiorum habeāt maximè noxias, aut certè parum beneficas; addentes non ſolum mutari ex hac interuallorum diuerſitate bonitatem, & malitiam eorum influxuum, ſed efficiendi quoque ſpeciem, & rationem.

Quæ tamen, licet communiter affirment Aſtrologi, tueri tamen Philoſophi non poſſunt, cum nulla ſuppetat ratio apud ipſos euincens ex ſola diſtantiæ, & interualli diuerſitate duarum cauſarum naturam, & proprietatem ità commutari, vt varios, & diuerſos producat effectus; nihil enim intrinſecum ponit in Planetis, quod ſic vel ſic diſtent, atque inuicem recedant, aut quod ſic accedant, & coniungantur, maximè, quia in cælo, vbi nulla fieri poteſt alteratio, neque at vnus Planeta ab alio pati, vel immutari; Quod ſi inter ſe ſidera illam non poſſunt mutationem ſubire, neque illam ſuſcipere poterunt in ordine ad producendos ſuos effectus, quod fortaſſis vellent Aſtrologi; quare, ſi quæ mutatio admittēda eſt in corporibus cęleſtibus, ea ad ſummum admitti poteſt, quæ habetur per ſolam locorum varietatem; quo fit vt non poſſit ſtella ab alia ſtella aut lædi, aut obſideri, aut infici, aut debilior vel deterior fieri in virtute, cum ab omni mutatione 96

remo-

remotiſſima ſit omnis cæleſtium natura. Deinde, ſi fieri poſſet in aſtris, atque in Planetis aliqua mutatio ex diſtantia, multò magis fieri poſſet ex proximitate, cum vulgatiſſimum ſit in philoſophia, omne quod agit in aliud, quanto proximius eſt paſſo, tantò vehementiùs, atque efficacius agere; hoc tamen Aſtrologi non admittunt, quaſi Aſtrologia ipſa principijs philoſophicis non innitatur. Cum igitur Planetarũ aſpectus nihil aliud ſint, quam radiationes quædam, hoc eſt luminis, atque virtutis mutuæ, vel non mutuæ propagationes, ſi in proximo nõ ſupponuntur ab Aſtrologis efficaces ad ponendos effectus illæ radiationes, multominùs erunt dicendæ efficaces poſitæ in remotiori parte. Neq. minor adeſt difficultas aduerſum illos, qui putant diuerſitatem radiationis non in corporibus Planetarum eſse conſiderandam, ſed in eorum effectibus; vt ſcilicet nihil pati ad inuicem ſidera dicant, ſed variam inter ea diſtantiæ rationem illud efficere, vt radij ex ipſis profluentes aliter miſceantur, ac proinde varij pro diuerſitatibus mixturę effectus inde proueniant; nam in primis negat Plotinus poſse radios cælitùs diffluentes ita commiſceri, vt noua virtus, vel forma ex illa commixtione proueniat; ſed dato etiã quod radij illi commiſcerentur, atq. in nouam formam, & virtutem tranſirent, non adeſt ratio, cur id agant potius in tali diſtantia conſtituti, quam in tali, vel tali proximitate, & coniunctione; ac propterea corruunt ex his Aſtrologorum rationes, quibus putãt ſe poſse multa diuinare ex Planetarũ aſpectibus qui per diſtantiam fiunt.

ANIMADVERSIO XLIX.
ASTROLOGICA
In Diuinationem ex varijs Aſpectuum rationibus.

97 EX ijs, quæ dicta ſunt de Planetarum diſtantia, dicenda facile colligi poſſunt, de varijs eorumdem Planetarum aſpectibus, varijſque eorum rationibus; cum enim cuncta, quę proferunt Aſtrologi de varijs aſpectibus ſiderum, fundentur in varia ſiderum diſtantia; hæcque nihil prorſus conferat ad eos, quos prædicunt euẽtus, vel effectus, ſequitur nihili quoq; ea pendenda eſſe, quæ imperitis obtrudunt de aſpectuum varietate. Varias autem aſpectuum rationes videntur Aſtrologi deſumere ex varijs partium numeris, itaut eo partium numero ſidera ſeparata iuncta dicantur, qui in aliquem numerum ductus, vniuerſas cæli partes numerat; ſic volunt centum, & octoginta partium interuallo

uallo diametram fieri radiationem, quoniam iſte numerus duplicatus integrum numerum trecentorum,& ſexaginta partium efficit;volunt pariter Trigonum ex centum, & viginti partibus conſtare,quoniam hæ partes, ſi triplicentur, vidêtur omnes Cæli partes abſolui; Quadratam radiationem volunt exigere partes nonaginta,quę ſi duplicentur,fit ſumma partium trecentarum, & ſexaginta; Hexagonum denique volunt computari ex partibus ſexaginta, quæ ſunt ſexta pars omnium partium. In his,& ſimilibus ponunt Aſtrologi omnem aſpectuum varietatem,quæ tamen in re,cum nullum habeant fundamentum, neque poſsunt in res noſtras veram euentuũ varietatem portendere.

98 Hinc ex diuerſis Lunæ vel aliorum Plenetarum ad Solem poſitionibus, quæ eiuſmodi numeros, & diſtantias inuoluunt,nihil certi eſt colligendum, cum volunt eas res humanas attingere; nam præterquamquod neque in his conſentiunt Aſtrologi, eos etiam maximi tenuere errores in ſiderum poſitionibus conſtituendis, in ipſorum obſeſſionibus declarandis, & etiã in beneficijs,vel maleficijs aſtrorum cõnumerandis; quos tamen meũ non eſt hic refellere, ſed tantum, vt aliquid circa hoc genus diuinationis animaduertamus, præſignare; maximè quia de ſiderum aſpectibus alibi etiam aliquid dictum eſt; ac præſertim demonſtratum Planetas non pro diuerſa à Sole, aut ab inuicem diſtantia conditionem,ac ſtatum variare,vt imaginariè ab Aſtrologis cõtenditur, qui in eam deducti ſunt opinionem, nec plures,nec pauciores, nec alias inter ſe Planetarum configurationes inueniri,quam quot, qualeſque Luna ad Solem in ſigni magis diuerſitate deprehenditur; faciunt autem Lunæ ad Solem ſchematiſmos quinque celebratiſſimos, cum nimirum, aut Soli coniuncta, aut cornicularis, aut diuidua,aut prætumida,aut plena conſpicitur;quibus totidem in Planetis aiũt reſpondere excogitatas ab illis configurationes;ſicque cum ſunt ſimul, aut hexagona, aut quadrãgula, aut triangula, aut oppoſita radiatione volunt ſe conſpicere; reſpondet enim coniunctio coniunctioni, tum hexagona radiatio figuræ corniculari, quæ tunc primùm in Luna conſpicitur, cum ipſa à Sole ſexaginta partibus diſtat; & præter hæc alia multa commenti ſunt Aſtrologi plus licentia Poetica. quam ratione verè Philoſophica.

ANIMADVERSIO L. ASTROLOGICA

In Diuinationem ex Planetarum exaltationibus.

99 QVI de ſiderum exaltationibus, gradibus, ſeù altitudinibus pertractarunt, eo alia altiora poſuere, alia verò inferiora, quod vnumquodque à ſuo centro abſidas altiſſimas habeat in illis ſignis, nimirum, Saturnus in Libræ parte vigeſima, Iupiter Cancri decimaquinta, Mars Capricorni vigeſimaoctaua, Sol Arietis decimanona, Venus Piſcium vigeſimaſexta, Mercurius Virginis decimaquinta, Luna Tauri quarta; putarunt enim ferè omnes ſiderali ſcientiæ vacantes poſita ſidera in partibus memoratis altiſſimè à centro ſuarum abſidum ſummoueri, & inde gradus illos, ſiue partes, altitudines, & exaltationes Planetarum dixere; quo poſtea Genethliacis data eſt occaſio, vt eiuſmodi Planetarum exaltationes, & altitudines in ſuis diuinationibus obſeruarent, non quod eſſent tantum loci altitudines, & dignitates, ſed quaſi eſſent alicuius dignioris naturæ, & poteſtatis characteres; neque enim alio modo docuerunt Aſtrologi exaltari Planetas præſertim ex vetere Aſtronomia, niſi eo, quo putarẽtur Planetæ ipſi à ſuis cẽtris altiſſimè diſtare. At cum etiam quoad partes eiuſmodi exaltationum in ſignis ſit maxima opinionũ varietas inter Aſtrologos, nullam certam nobis poſſunt afferre doctrinam circa eorũ diuinationes ex ſiderum gradibus acceptas; Alij namq. aliã à ſupranumeratis aſſignant ſupremã partem Veneri, Alij Saturno, Alij Lunæ, Alij alijs etiã Planetis; quo fit, vt nulla certitudo de his exaltationibus habeatur apud Aſtrologos.

Atq. ſi ex his non intelligat quis,
quam vana ſit obſeruatio Aſtrologo- 100
rum de ſiderum exaltationibus, ex eo ſaltem intelligere debet, quod in naturam, & poteſtatem Aſtrorum illud translatum eſt, quod proprium dicitur loci, & ſitus Planetarum; atq. cum ſæpe iam dictum fuerit locum, & ſitum nihil omnino conferre intrinſecum ad Planetarum vires, ſequitur eos omnes fuiſſe deceptos, qui in ferendis diuinationibus vires aſtrorum ex locorum altitudine dimenſi ſunt; niſi id egerit ſpectata tantum extrinſeca loci conditione, ex qua ratione maioris, vel minoris diſtantiæ poſſunt etiam maiores, vel minores vires in aſtris conſiderari; Quod notauit etiam Mirandulan. lib. 6. cap. 14. contra Ptolemæum, qui docuit Solem in Ariete exaltari, quoniam ad eum cum peruenit, incipit eius vis magis apparere; id namque efficere non poteſt ſigni qualitas, & natura, vt etiam de domibus Planetarũ dictum

eſt,

eſt, quæ ad aſtra merè extrinſecè ſe habent, ſed ad ſummum ſitus conditio, non enim Sol fortior eſſe incipit, quia peragrat Arietem ſimpliciter, ſed quoniam propinquare nobis incipit; idque animaduertendum eſt in reliquis Planetis, & eorum exaltationibus.

ANIMADVERSIO LI. ASTROLOGICA

In Diuinationem ex Imaginibus Planetarum.

101 PRÆTER ſigna Planetarum, de quibus iam dictum eſt ſatis inuenerunt Aſtrologi in cælo etiam imagines quaſdam, in quibus totius aſtrologicæ diuinationis cardinẽ verſari voluerunt; quæ imagines, licet fortaſſis, & numero, & nomine eum ſignis conueniant, diuerſæ tamen omnino ab illis cenſendæ ſunt, nam ſigna immota ſemper, & fixa conſtituuntur æquinoctijs intercepta, atq. Solſtitijs; imagines verò mobiles etiam, & vagantes ab Aſtrologis ſupponũtur. At quidquid ſit de ſignorum, & imaginũ diſtinctione à nobis de vtriſque eodem modo differendum eſt quoad diuinationes; quemadmodum enim in præhabitis ſtatutum eſt, nullas eſſe in ſignis phyſicas vires, & poteſtates, ex quibus phyſicum aliquid cauſari, aut prænoſci poſſit, ita de imaginibus ſtatuendum eſt, quæ pro libito Aſtrologorum inuentæ ſunt; Idq. ex eo manifeſtiùs conſtat, quod licet Chaldæi ſolas imagines aſtrorum in ſuis prædictionibus conſiderarent, relictis ſignis; Alij tamen ſola ſigna inſpectabant abſq. imaginibus. Addo quod imaginum inſpectores in Cælo alias viſibiles fecere, alias verò inuiſibiles, ex quibus etiam valdè diuerſa ominarentur, cum tamen certò liqueat inuiſibiles imagines ipſis quoque inuiſas fuere, ac ſolo ipſorum ingenio fictas, quod etiam de viſibilibus affirmare licet; nam quamuis ſtellæ ex quibus imagines illæ efformantur verè reales ſint, & corpora quædam hauſquaquam ficta, varia tamen illarum ſtellarum diſpoſitio, ſeù conſtitutio, ex qua formantur imagines, fuit ab initio Aſtrologis ipſis arbitraria; hacque ratione arbitrariæ quoque ſunt diuinationes ex illis latæ; quare videntur omnino corruere vaticina ex aſtrorum imaginibus decerpta.

Ratio verò, cur nihil ad ſublu- 102
nares euentus pertíneat varia aſtrorum conſtitutio, quam ponunt Aſtrologi in cælo, ea eſt, quia virtus vniuſcuiuſque ſtellæ ex ſe ſola non eſt ſatis ad eos progignendos

effectus, quos ſupponunt ex imagine, ſeù ex conſtitutione multarum ſtellarum in vnum coeuntium profecturos, igitur neque erunt ſatis virtutes plurium ſtellarum, licet vt tranſeant in illas imagines; nam illa commixtio ſtellarum non conſtituit vnum corpus ſtelliferum, aquirens ex mixtione aliquam nouam virtutem, vt contingit in conſtitutione mixtorum elementarium, manent enim ſtellæ illæ immenſa quadam ſpacij cæleſtis vaſtitate diſtantes, ac propterea in tanta diſtantia nihil poſſunt ſibi inuicem conferre virtutis, quod magis poſſit, quam virtus vniuſcuiuſque ab altera ſeiuncta; præſertim cum vnum ſidus non agat in aliud, ſed ad ſummum in ſublunaria. Adde, quod ſicuti plura fuere Aſtrologorum deliramenta in notis imaginibus conſtituendis, ita alia plura potuiſſent eſſe figmenta in alijs cõfingendis, quæ adhuc Aſtrologis ipſis ignotæ, atque incompertæ ſunt; neq. eſt maior ratio, cur diuinentur futura ex imaginibus iam cõfictis, & non ex confingendis, cum vtrobique libitum Aſtrologorum partem habere poſſit; præſertim quia in conſtructione harum imaginum ſemper diſſenſere, ſicut fortaſſe etiam in vſu, Chaldęi, Arabes, Indi, & Ægyptij, apud quos nunquam fuit vnanimis ſuper hac re conſenſus; atque ex hoc maximè laborat aſtrologica diuinatio ex imaginibus Planetarum.

ANIMADVERSIO LII.
ASTROLOGICA
In Diuinationem ex Iconiſmis ſignorum Zodiaci.

103 LICET Aſtrologi omnes ſigna quędam conſtituant in Zodiaco, non omnes tamen eodem modo ſignorum imagines, & Iconiſmos definiũt, ex quibus ſuas eruunt prædictiones. Supponunt autem omnes ſigna duodecim in ipſo Zodiaco vulgatiſſima, ſcilicet Arietem, Taurum, Geminos, Cancrum, Leonem, Virginem, Librã, Scorpium, Sagittariũ, Capricornum, Aquarium, Piſces; hæcque ſigna hoc ordine diſponunt ob temporum viciſſitudines, & ſucceſſiones eam diſpoſitionem expoſcẽtes, quare etiam Manilius in Aſtronomicis ea ſigna ſic ennumerat lib. 1.

Vt ſit idem mundi primum, quod continet arcem
Aurato Princeps Aries in vellere fulgẽs
Reſpicit admirans aduerſum ſurgere Taurum
Submiſſo vultu Geminos, & fronte vocantem
Quos ſequitur Cancer; Cancrum Leo; Virgo Leonem

Aequata

Digitized by Google

Æquato tùm Libra die, cùm tempore noctis
Attrahit ardenti fulgentem Scorpion aſtro
In cuius caudam contentum dirigit arcum
Miſtus equo, volucrem miſſurus iamque ſagittam.
Tum venit anguſto Capricornus ſidere flexus
Poſt hunc inflexam defundit Aquarius vrnam
Piſcibus aſſuetas auidè ſubeuntibus vndas
Quos Aries tangit claudentes vltima ſigna.

auſpicantur autem Aſtrologi ordinem ſignorum ab Ariete, quia, vt animaduertit Scaliger ex Alcabitio ex eo pręcipuæ cauſæ ortus, & interitus rerum defluunt, atq. ab eodem ducitur omnium fatorum ordo; & licèt horum duodecim ſignorum characteres, quibus vtitur vulgus Aſtronomorum ſint deprauati, tamen antiquiſſimæ ſunt originis, vt idem Scaliger teſtatur; Atque eiuſmodi ſignorum characteribus varios etiam iconiſmos Aſtrologi veteres affixere, ex quibus multas, & varias diuinationes proferebant; vt præſertim videre eſt in Mathematica Hieroglyphica Ægyptiorum, de qua eruditiſſimè diſſerit Athanaſius Kircherius.

Præcipuè verò deridendæ occur- 104
runt in hac re Ægyptiorum diuinationes, quas ex quadraginta, & octo ſignorum cæleſtium Iconiſmis ducere ſolebant, adhibentes etiam Phyſicas quaſdam eorum interpretationes cum tamen omni Phyſico fundamento deſtituerentur; ex illis enim Iconiſmis, in quibus vniuſcuiuſque Genium collocabant, de cuiuſcunque nati fortuna, vel Fato infallibilem ſe coniecturam habere poſſe credebant; & ſi Genius illos aduerſos inſpectaſſent, eos ſtatim ſacrificijs, ac quibuſdam alijs cæremonijs placare contendebant; Si verò Genios propitios animaduertiſſent, eos beneuolos alijs precibus, ac cultibus retinebant; eos autem Genios pro libito effingebant, & ſignis illis arbitrariè deſtinabant, ſeruata tamen aliqua analogia cum rebus, quibus vellent Genios illos, & Iconiſmos præſidere; quæ omnia, quam vana ſint, ſe ipſis ſe produnt, & vanum eſset in his longiùs immorari.

Digitized by Google

ANIMADVERSIO LIII. ASTROLOGICA

In Diuinationem ex ſignorum, & domorum diſtinctione in cælo.

105 EO etiam peccant ſiderũ Idololatræ, vt quaſdam cõſtituant in Cælo domos velut templa, vnde omnium futurorum fundantur oracula, quas tamen domos, & ſigna ſiderea ità partiuntur, vt quod vni adſcribitur ex ijs, quæ eueniunt in ſublunaribus, alteri nequaquam poſſit adiudicari; ſic partitionem realem effectuum efficientes, vbi nulla poteſt eſſe realis ſignorum, ac domorum diſtinctio; non enim apparent in Cælo hæ diſtinctiones ſignorum reales in Zodiaco, neque domorum, cum ſint ibi domus illæ per intellectum concipientium exædificatæ, quemadmodum etiam cętera ſigna, animantia, & id genus alia; ex quibus non videtur quomodo poſſint reales effectus dimanare, cum ipſa tantum imaginaria ſunt, atque à Mathematicis inuenta per puncta, ſuperficies, circulos ad libitum ipſorum diſpoſitos; & licet neothericus quidam Aſtrologus contendat ſignorum, & domorum diſtinctionem in Cælo eſſe realem aſtrorum effectum, qui habetur per varios ipſorum aſtrorum motus, & influxus, qui verè reales ſunt, nõ tamen proinde aſſignat rationem, quæ ſit efficax ad demonſtrandã eiuſmodi realitatem, cum omnia illa, ex quibus arguit illos effectus reales, ſint tantum Mathematicè apprehenſa, vt conſtat accuratè conſideranti. At dato etiam quod eſſent reales diſtinctiones illæ domorum, non tamen arguitur poſſe ex illis Aſtrologos futura præuidere, quæ intra illas domos, & ſigna nequeunt contineri.

Addendum eſt, quod tam varia eſt 106
in Cælo domorum diſtributio, vt nihil omnino certi poſſit cauſare; quidam enim diuidũt ſigniferum in duodecim partes æquales circulis per polos eiuſdem ductis, quorum primus per punctum exorientis partis Eclipticæ tranſit; Alij ſimiliter diuidunt parallelum Æquatori, qui parallelus tranſit per gradum Eclipticæ Orientem ductis circulis per polos mundi; Alij diuidunt per partes æquales portionem ſigniferi interceptam ab vno ad alium cardinem; Alij conſtituunt domorum cuſpides per bonas temporales horas in ſignifero; itaut quæ pars Ecclipticæ diſtet ab ortu duabus temporalibus horis, dicatur eſſe in duodecima domo; quæ quatuor in vndecima, &c. Deinde per hæc puncta ducunt circulos poſitionum tranſeuntes per commiſſuras Finitoris, & meridiani; cuius autem

rei

Digitized by Google

rei gratia ducunt hos poſitionum circulos adhuc ignotum eſt. Alij diuidunt Æquatorem circulis per eaſdem Finitoris,& Meridiani commiſſuras; Alij diuidunt Circulum Verticalem qui per pūcta ortus,& occaſus Æquatoris tranſit, ductis circulis per commiſſuras Finitoris,& Meridiani. Tandem diuidunt alij Angulorum intercapedines per binas temporales horas,prout videtur tradere Ptolemęus; quæ ſententiæ, cum ſint tam variæ,ac diſcrepantes,ſummam ipſius artis diuinatricis incertitudinē pariunt;Quid quid ſit, an domorum diſtributio, vt naturalis ſit, fieri debeat in partes ad inuicem proportionales,nec ne;quod ſufficiat, vel non ſufficiat Domos eſſe æquales inter ſe in vno tantum circulo, puta in Æquatore,in ſignifero, aut Verticali. Quod Domorum diſtributio debeat ſemper, vel non debeat eodem modo permanere in vnoquoque horizonte; Quod ipſa Domorum diuiſio fieri debeat diuiſione influxus Aſtrorum, non ſpacij Cæli, vel aeris. Quod puncta in Finitore, & meridiano, à quibus lineæ ducendæ ſunt, & in Cæleſtes manſiones diuidendæ, ſint puncta, in quibus ſidera oriuntur,& mediant Cælum,vel alia. Quod Domorum partitio, vt naturalis ſit; fieri debeat per binas temporales horas locorum, & ſiderum, vel aliorum; quæ omnia hic ſi eſſent dirimenda,negotium nimis graue,ac moleſtum forent, nec ſpectans ad inſtitutum. Poſſunt tamen videri apud Ptolomæi commentatores.

ANIMADVERSIO LIV.

ASTROLOGICA

In Diuinationem ex Aſtrorum ſexu.

107 PRÆ cæteris figmētis in Cælo poſitis ab Aſtrologis illud maximè videtur inane, quod per ſexus diſcretionē maſculini ſcilicet, & fæminini conſtituitur, finguntur enim ab ipſis ſigna quędam cæleſtia hac ſexus diuerſitate conſtantia, ex quibus varios ſolent euentus prænunciare, vel virili robori conſociatos, vel fæmineæ imbecillitatis conſortes; cuius fictitiæ doctrinæ inanitas ex eo arguēda eſt, quod omnis ſexus diuerſitas videtur tantum à natura in animalibus conſtituta ad prolis generationem, atque adeò nimis ſtultum eſse, quædam in Cælo conſtruere ſigna ad prædicendum, quæ ſexu virili, vel fæmineo diſsentiant; non enim natura aliquid ſuperuacaneum in ſuis operibus molitur; neque eſt excogitabilis finis,cur ſit in Cælo ponendum ſexus diſcrimen, niſi ponendum eſset in ordine ad ſublunaria animantium generationes, quæ tamen ſine ſexus diſcretione etiā

ab

Digitized by Google

ab aſtris fieri poſsent per alias qualitates aſtris inditas ſine ſexu, quemadmodum per eaſdem videmus in alia agere, & etiam in animalia ipſa. Cum igitur nulla appareat huius diuerſitatis in ſexu ratio vel neceſſitas fruſtra hæc erit in aſtris ponenda, & fruſtra etiam ex ipſa erunt eliciẽdæ ab Aſtrologis futurorum prædictiones, præſertim quoad ea, quæ ſpectant in hoc orbe ad maſculos, & fæminas, ad coniugia, & matrimonia, ad prolem ſuſcipiendam, & educandam, & ad id genus alia, quæ ex maſculina, vel fæminina aliqua proprietate in aſtris ſolent ab Aſtrologis diuinari.

108 Si tamen aliqua eſſe in Aſtris, vel in ſignis ſidereis admittenda ſexus diſparitas ea ſolummodo poſſet admitti, quæ deſumitur ex qualitatibus, quæ poſſunt eſſe magis propriæ vnius ſexus, quã alterius; cum enim in aſtris, atque in quibuſdam ſignis poſſit eſſe virtus quædam continens tantũ qualitates actiuas, in alijs verò virtus continens qualitates tantum paſſiuas, ex hac virtutis diſſimilitudine poſsunt ſigna ipſa appellari, alia maſculina, alia fæmina, cum actiua virtus videatur ſpectare ad ſexum virilem, paſſiua verò ad fœmineum; & quo magis erit intenſior agẽdi virtus in aſtris, vel ſignis, eò magis dicentur aſtra illa vel ſigna maſculina, ſicut è contra dicendum de virtute paſſiua. Verum tamen eſt quod licet ex hac qualitatum diſcrepantia poſſint aſtra ſaltem metaphoricè dici maſculina, & fœminina, propriè tamen loquendo non eſt ſexus diſparitas in ipſis admittenda, & ex eo quod metaphoricè admittatur, non propterea id ſatis eſt, vt in maſculis, & fæminis effectus aſtrorum ſexu differentium conijectemus, cum ſint eiuſmodi qualitates etiam in alijs, & reſpectu aliorum ſublunarium exerceantur, quæ tamen ſexus non patiuntur diſcrimen; Quo fit, vt ſi benè diuinationes Aſtrologicas perpendamus, facilè diſpiciamus omnia in aſtris pro libito Aſtrologorum inuenta eſse, atque vſurpata, idque ad facilius diuinationes in quacunque materia proferendas.

ANIMADVERSIO LV. ASTROLOGICA

In Diuinationem ex ſiderum familiaritatibus.

109 FACILE inſtituũt Aſtrologi ſuas diuinationes etiã ex ſiderum Familiaritatibus, at fortaſse nihil difficiliùs eſt in tota Aſtrologia comprẽdere, quam eiuſmodi familiaritates aſtrorum, earumque effectus, cum nõ eodem modo ab omnibus intelligantur, aut explicentur, & inde fit, quod etiam ex hac ſententiarum varietate inſur-

inſurgat prædictionum incertitudo; Supponitur autem ab Aſtrologis nihil aliud eſſe familiaritates aſtrorum, quã ipſorum applicationes vel immediatas, vel mediante virtute ad ſubiecta, in quæ aſtra ipſa dicuntur influere; quemadmodum enim docent Philoſophi familiaritatem cauſæ efficientis ad paſſum nihil aliud eſse, quam manſionem ſubiecti intra ſphæram virtutis actiuæ cauſæ efficientis; ſic dicent aſtra rebus ſublunaribus familiaria, cũ applicatam habebunt ſuam virtutem ad elementarem plagam, in quam agunt præſertim per lumen, quamque perpetuis circulationibus illuminant; certum namque eſt, quod ſicut nulla cauſa efficiens poteſt agere in ſubiectum omnino diſtans, cum quo nullam poſſit familiaritatem cõtrahere, neque per immediationem ſuppoſiti, neque per immediationem virtutis; ita ſimiliter nec ſidera poſſunt agere, in res inferiores, neque miſcere ad inuicem ſuos influxus, niſi tam ad inuicem, quam erga ſublunaria familiaritate aliqua iunguntur; hincq. fit, quod aſtra poſita in proportionali diſtantia numquam poſſunt deſiſtere ab alterando ſublunaria, quam alterationem potiſſimùm efficiunt lumine circumducta; ad quam tamen ſublunariam alterationem quæ perennis eſt, cum etiam indefficiẽs ſit ſiderum circulatio, non ſequitur ſemper productio notabilis effectus, niſi in ipſa alteratione interueniat proportionalis intenſio qualitatum, quæ neceſſaria eſt ad naturam rei producendæ.

110 Cum itaq. ex his habeatur, duplicem eſſe ſiderum familiaritatem, vnã purè alteratiuam qualitatum, à qua nunquam abſtinent, niſi fortè Luna in totali ſua Ecclipſi, cum circumferantur perpetuò, & admirabili ordine intendant, ac remittant qualitates materiales; Alteram efficacem, qua ſidera attingunt productionem notabilis alicuius effectus, quam familiaritatem obtinent tantum in proportionatis locis, & diſtantijs, vbi nimirum proportionales quoſdam qualitatum gradus attingunt, qui qualitatum gradus apti ſint elicere notabilem effectũ; Ex iiſdem etiam emergit non poſse ex familiaritatibus ſiderum notabiles euentus prænoſci, aut prænunciari, niſi in proportionata quadam diſtantia ad ſubiecta agnoſcãtur; quę cognitio cũ difficillima ſit, difficillimas quoque facit, atq. incertiſſimas rerũ prædictiones; Atque in hac re falluntur Aſtrologi illi, qui putant Aſtrorum familiaritates eſſe admodũ noſtris obtutibus familiares, cum non adeò facilis negotij ſit, quanta qualitatis intenſio neceſſaria ſit ad eos producendos effectus, qui prædicuntur; & in qua diſtantia poſſint aſtra ſufficiẽtem illam intenſionem obtinere. Addo nõdum certum eſſe apud Aſtrologos ex quibus coaleſcãt familiaritates efficaces aſtrorũ, quomodo coire poſſint lumina in proportionalem diſtãtiam; quomodo partes, & ſpacia cæli diuidantur; quo interuallo diſtent ſublunaria ab aſtris illis familiaribus, & plura id genus alia, quibus latentibus, neceſſe eſt etiam reliqua latere, quæ ſpectant ad certitudinem prædictionum.

ANIMADVERSIO LVI ASTROLOGICA

In Diuinationem ex proprietatibus ſiderum.

101 ASTRORVM vires ſpecialiter inditas ipſis à natura vocāt Aſtrologi proprietates, ex quarum notitia effectus illi prænoſci poſsunt, qui ab ipſis per diuinationem prædicuntur; cum vero proprietates eiuſmodi ſint ſoli Deo notæ, præſertim ſi occultæ in ipſis admittantur, ad quas ſæpè confugiunt Aſtrologi ipſi, non video quomodo ex ipſis euentus rerum noſtrarū poſſint deduci. Quod ſi ex proprietatibus, & paſſionibus aſtrorū notiſſimis multa prænideri admittamus, hæc etiam ſuas præ ſe ferunt difficultates, cū toties dictū ſit, eiuſmodi aſtrorū qualitates licet notiſſimas poſse variè in agendo impediri, aut retundi; itaut neq. illi conſequantur effectus, qui alioquin conſequi deberent. Adeò ipſas notiſſimas aſtrorū qualitates, proprietates, motiones, ac circulationes nō vniformiter ab Aſtrologis explicari, quod ſatis eſt ad progignendum in prædictionibus incertitudinē; licet enim admittāt omnes v. g. Intēſionē, & extenſionē eſse potiſſimas luminis aſtrorū proprietates, nō tamen admittunt omnes ab intenſione lucis aſtrorū procedere qualitatē, quatenus actiuā; ſicut neq. admittunt omnes ab extenſione lucis aſtrorum procedere qualitatem quatenus paſſiuā; nam affirmāt pleriq. qualitatē ex ſua natura ablata qualibet extēſione, vel intēſione, eſse actiuam, vel paſſiuā. Quod verò dicitur de his, dici poteſt etiā de cæteris, quæ in quæſtionē vocari poſsūt, & data quæſtione ſtatim obſcuritas, & incertitudo inſurgit doctrinæ, cui idcirco firma fide adhærere non licet.

Nec minorem in eiuſmodi diuinationibus aſtrologicis incertitudinē parit modorum varietas, quibus volunt Aſtrologi aſtra per ſuas qualitates influere in hæc inferiora; nam quales erūt modi agendi, & influēdi in aſtris, tales etiam erūt modi eſsendi in ipſis qualitatibus; & proprietatibus aſtrorum, & ignotis illis, neceſse eſt neſciri etiam eſsēdi modos, ſine quorū notitia de multis iudicium ferri nequit, quod ſanū ſit. Quin fatētur Aſtrologi ipſi influxus aſtrorum maximè pēdere à motu, & lationibus eorumdē; quinā verò ſint effectus ſingularum lationū ſiderū, difficile admodū eſt cognoſcere; quāuis notum ſit Solē duabus lationibus influere in res inferiores, latione ſcilicet peragrationis Zodiaci, & latione horaria circa mūdū, & reliqua ſidera tribus lationibus, nimirū peragrationis Zodiaci, coniunctionis cū Sole, & horaria circa mundum; lationes 102

enim

enim ad ſummum dicuntur influendi conditiones, & non rationes, aut virtutes,quæ etiam licet cognoſcerétur, non propterea notum eſſet, quando incipiunt aſtra influere per illas virtutes,& proprietates; ſuppono namque eſſe alias qualitates, proprietates, & virtutes in aſtris præter eas,quibus dicuntur incipere ſuos influxus primarũ qualitatum,nimirum à punctis Cardinalibus mũdi,& Zodiaci; vt à Tropico hyemis humiditatem, ab Æquinoctio verno calorem, à Tropico æſtiuo ſiccitatẽ,ab Æquinoctio Autumni frigiditatem;& ſimiliter ab Imo humiditatem, ab Ortu calorẽ, à Culmine ſiccitatem, & ab Occaſu frigiditatem. Mitto hic recenſere etiã incertas coniugationes modi influendi in ipſis ſideribus; ex quibus etiam confuſio ſupradictorũ magis elucet; nam hæc ſatis erunt ad aſtruendã incertitudinem in diuinatione aſtrologica pro eo, quod ſpectat ad ſiderũ proprietates.

ANIMADVERSIO LVII. ASTROLOGICA

In Diuinationem ex Aſtrorum mutationibus.

113 VT tueantur Aſtrologi omnem rerũ inferiorum mutationem, & diuerſitatem à ſideribus proficiſci;quãdoquidem ſi illa eadem ſemper, atq. immutabili virtute eſſent neceſſariò aut ijdem, aut ſimiles ab illis ſemper effectus prouenirent; affirmant in cælo virtutem, & poteſtatem ſiderum,& ſtellarum aliam, atque aliam eſſe ſingulis horis, & momentis, dum ſcilicet ſunt, aut in alijs cæli locis, quos Neotherici vocant Domos; aut in alijs ſignis, quæ duodecim ſingunt inueniri; aut denique dum Planetæ ipſi ſpacij interuallo diſtantes inter ſe, varijs inuicem radiationibus copulantur; quos vulgo vocant ipſorum Planetarum aſpectus; & hinc aiunt, quanta eſt in effectibus rerum inferiorum varietas, tantam in cælo reperiri cauſarum diuerſitatem; neque rationem afferre poſſent, cum alijs quædam, alia alijs ſidera largirentur, niſi aliquid fingerent, vnde ſtellarum virtus, & efficientia alia, & alia ſit ſingulis temporum momentis: Sed hæc Aſtrologorum doctrina nihil abſurdius putandum eſt, nihilque magis ab omni ratione remotum, cum tantam adſtruant in natura corporum ſuperiorum inconſtantiam, & mutabilitatem, quantam vtique nec in rebus ipſis inferioribus eſt videre; eſset enim corporum cæleſtium mutabilitas, & inconſtantia longè maior, quam illa Chamæleontis, qui ad omnem motum rerum

exteriorum mutationem ſubit; cũ tamen ex oppoſito habeamus perfectiſſima illa corpora ſemper eadem eſſe, atque iiſdem ſemper dotibus ad conſtanter agendum illuſtrata.

114 Cum igitur ſideralium defluxuum proprietates, vel ab ipſa natura, & ſubſtantia ſiderum proficiſcantur, vel ex aliqua vi ipſis extrinſecùs immiſſa, nimirum, vel ex duodecim Cæli locis, vel ex ſignis, vel ex mutuis radiationibus, atque à nullo ex his poſſint illud incõſtantiæ genus haurire, quod ſupponunt Aſtrologi, ſequitur neque benè ex eorum mutationibus, quæ afferuntur poſse futurorum diuinationes inſtitui. Si enim dicerent Aſtrologi mutari proprietates aſtrorũ, quatenus ab eorũ ſubſtantia proueniunt, aliquid omnino ineptum pronunciarent, cum ipſa ſiderum ſubſtantia, vt quæcunque alia cæleſtis omnino incommutabilis ſit; Si verò dicerent fieri illas aſtrorum mutationes per extrinſecam quamdam vim aduentantem, vel ex ſignis vel ex alijs eiuſmodi rebus, iam cæleſtia corpora facerent omnium corporum ignobiliſſima, quod nec ipſi fateri auderent; tãto namque ſubſtãtiam corporea perfectior eſt, quantò magis de intimo operatur, & quanto minus ab extrinſeco mutationem patitur, omnia nãque facere ad externum aliarum rerum motum aliquid imperfectiſſimũ eſt, & quidem à Cælo excludendum.

ANIMADVERSIO LVIII.

ASTROLOGICA

In Diuinationem ex locis Aſtrorum.

115 ASTRORVM, ac Planetarum loca, ex quibus omnem malitiam, vel bonitatem quoad influxus volũt Aſtrologi eſſe deſumẽdam, ſunt duodecim illæ celebratiſſimæ in cælo domus, in quibus morari, aut per quas diſcurrere ſolent Planetæ; nihil enim Planetas ipſos bonos, vel malos efficere poſſe tradunt, quam eorumdem domos, & manſiones, cũ doceant Planetam bonum in malo loco poſitũ nocere, in bono vero malum prodeſse; ſic volunt Iouem in oriente collocatũ magna ſemper bona portendere, in duodecima verò domo, quæ attigua eſt oriẽti, magna ſemper mala decernere; Illudq. Ioui eidem maximè proprium eſſe, vt opes largiatur, atq. diuitias, ſed tamen mutatione loci frequẽter bonorũ diſſipationẽ afferre; deniq. cum Iupiter ipſe ex ſua natura nobiles faciat, & ſapientes, ſi octauũ tenuerit locũ, faciet ignobiles; & licet Iouis ſidus vocetur antonomaſticè beneficũ, & fortunatius alijs Planetis nominetur, ſi tamen fuerit in ſexto collocatus loco, omnia mala ominabitur ex ſententia quorumdam, qui tradunt ſextũ locum in cælo habere quamdam malitiæ

litiæ prerogatiuam, vt quęcumq. ſtella in ipſo ſit, ad efficientia mala ex ipſius loci vitio vires maximas mutuetur; Quod verò dicitur de Ioue, dicēdum volunt etiam de reliquis Planetis, quos tantum pro varietate domorum, vel locorum, in quibus inueniũtur, faciunt bonos, vel malos, quaſi nul la ipſis inſit malitia, vel bonitas ex eorum natura, niſi ſit à loco extrinſeco mutuata.

116 At ſi eiuſmodi Aſtrologorum doctrina eſſet admittēda, nulla nobis ex Philoſophia ſuppeteret ratio ad demonſtrãdum, loca extrinſeca nullam habere in rerum effectibus partem, niſi illam, quam dat agendi conditio, ex eo quod agens, maximè corporeũ, dum agit, ſupponatur eſſe in loco; fruſtra enim qualitates, & proprietates rerum, quæ ponuntur in loco, inueſtigaremus, ſi earum effectus pendere etiam poſſent à qualitatibus locorum; & Ariſtoteles ipſe non definijſſet locum puram ſuperficiem corporis continẽtis immobilis, ſi aliquid aliud exerceret munus in locatum. Addo adhuc ab Aſtrologis tradendũ eſſe, vnde illa loca planetarũ, vel domus illas qualitates accipiãt, quas dicunt vires ſuas in planetas exercere? Si dicant eas habere ex ſe ipſis, non eſt, cur id negent etiam aſtris; Si aliundè, ſtatim quęrendum venit, vnde illa alia corpora illas qualitates accipiant, & ſic in infinitum erit procedendum. Id verò quod maius habetur in confutatione malitię, & bonitatis à locis aſtrorum deſumpta, illud eſt, quod loca illa ſupponuntur Aſtrologorũ figmenta, ac propterea fictitias tantũ habere influendi vires; vbi contra ipſa aſtra corpora quędam realia ſupponuntur, de quorum ratione eſt, veras, & legitimas qualitates habere, iiſq. medijs cæleſtes influxus demittere in hæc corpora inferiora; videtur igitur diuerſitas in locis planetarum virtutes cogitare omnino fictitium eſſe, imo ab ipſa ratione valdè alienum.

ANIMADVERSIO LIX.
ASTROLOGICA
In Diuinationem ex apparitionibus Cometarum.

117 OMNIVM ferè Aſtrologorum conſenſu in triſtiſſimam de Cometis opinionẽ itum eſt; ita vt, quæ ex eorum apparitionibus miranda portenderẽtur peruerſa quadam triſtitiæ halucinatione timenda putarentur; iſque error non ſolũ apud Aſtrologos, & Philoſophos inualuit, ſed etiam apud Poetas, & omnium penè gentiũ vulgus, quod Cometarum apparitiones tamquam malorũ prodigia omni æuo recepit; ante omnia monente, ac minante Manilio 1. Aſtron.

Saeui

Digitized by Google

Sæui bella canunt ignes, ſubitoſque tumultus
Et clandeſtinis ſurgentia fraudibus arma

quaſi id potiſſimum indicarent Cometarum apparitiones, vt ipſis affulgentibus lethales cædium, & ſanguinis tenebræ denunciarentur; id fortaſſe colligentes, aut ex ſanguinis colore, quod crinita horrent ſidera, aut ex ferali crine, quo rubent, cũ tamen potiùs ab ambitione, ab auaritia, atque ab indita quadam hominibus naturæ feritate bella ipſa proficiſcantur; bella namque, atque bellorum ærumnas ſiue canant, ſiue non canãt Cometarum apparitiones, bella tamen ſemper, & vbique locorum ingruere compertum eſt, ſine quibus genus humanum numquam fuit, numquam erit; & licet deſinant Cometæ, non deſinunt mutuò ſæuire mortales, & mitiſſimum, quod poſſident, humanitatis nomen violare; adeò vt tã proprium ſit hominibus bello collidi, quã bellum Marti portendere, quaſi homines ipſi potiùs ad feritatem nati ſint, quam ad humanitatem; & quaſi crudelitas vertatur in gloriam, hauſiſſe ſanguinem decus ſit, ac denique per ſtragem, & cædem virtus quçcunque inclareſcat; qua etiam de cauſa voluerunt aliquæ gentes potiùs ſine patria eſse, quam ſine hoſte viuere, potius ſine Lare, quam ſine Marte.

118 Non ſunt igitur ex Cometarũ apparitionibus, tamquam ex portentis ſemper diuinanãda mala; neque quoniam fulgeant Cometæ, ſequũtur bella, peſtilẽtiæ, vel fames; cum hæc omnia, vt plurimùm habeantur ſine Cometis, & plura ſemper in omni antiquitate bella, atque alia mala datur inueniri, quam inuenti fuerint, ſeù apparuerint Cometæ; ludit enim etiam in eiuſmodi apparitionibus meticuloſa nimis mortalium ſuperſtitio, quemadmodum, & Solis defectus, & Lunæ Ecclipſis ſæpè etiam ad infelicitatem euẽtuum errore vulgi relata ſunt, quæ tamen ſuas habent in natura cauſas, nil niſi impedientes quoſdam luminis occurſus prænotantes. Cauſas habent ſuas in natura etiam Cometæ, qui vaporũ exuſtione incenduntur in aere; vel ſi putantur in Cælo præmicare, nihil eſt, quod nos eos ſuadeat fulgere ad ruinam; cum dudum etiam obſeruatum ſit poſt Cometarum apparitiones plura bona fuiſse ſubſecuta, quod eruditè ſatis demonſtrat Erycius Puteanus in ſuo libello de Cometa. Vndè meritò fallaces obſeruationes, atque diuinationes illæ cenſendæ ſunt, quæ à fortuito paucorum exemplorum conſenſu neceſſitatem ducunt; ſi quis enim cum terra Cælum componat, ſi cum Cometis mala, quæ hic contingunt, & ſine malis Cometas pleroſque inueniat, & ſine Cometis mala quamplura; quapropter cum fatalis quidam ab Amicis Veſpaſiano Imperatori Cometa denunciaretur, vaniſſimum illud oſtentum iocoſa interpretatione repellens, reſpondit, Stellas crinitas eſse regibus Parthorum metuendas, qui criniti, ac benè comati erant, non caluis Imperatoribus; vt ea reſponſione indicaret errorem vulgi illum eſse, qui metuendas facit Cometas, qui eſsent potiùs cum admiratione ſuſpiciendi.

ANI-

ANIMADVERSIO LX. ASTROLOGICA

In Diuinationem ex varijs Cometarum formis.

119 ARBITRATI ſunt Aſtrologorum nõnulli varias Cometarũ formas, quibus apparere ſolent, varias etiã fatales vires habere, atque pro varietate ſimilitudinum, ſeu effigierũ, quas præſeferunt, varia etiam portendere; ſicque ſi ſpeciem gererent humanam, hominibus mala, ſi belluinam belluis, ſi trabeam ſtirpibus, earumque germinibus ominari, & ita pariter de reliquis. Præ cæteris Plinius lib. 11. cap. 25. poſtquam Cometarũ figuras fatales eſſe docuit rebus ipſis figuratis, addidit etiam, plurimum referre, animaduertere, in quas partes ſe ſe Cometæ iaculentur, aut cuius Stellæ vires accipiãt; nam ſi Cometes qui Hippeus vocatur, quaſi crinem faciens, facemque obliquam poſt ſe trahens ab occaſu Solis in ortum venerit, mala Perſidi, & Syriæ dicitur denunciare; ſi ad meridiem videbitur vergere, Africam, & Ægyptum à malis dicitur releuare, ſolis pecoribus peſtem denuncians; ſi Septemtrionem reſpexerit, Ægyptum bellis, & miſerijs premere; ſi ad occidentem declinauerit, Italiam grauare, & quidquid ab Italia vſque ad Hiſpanias tendit; Si à meridie in Septemtrionem ierit, à bellis quidem externis ſecuritatem afferre, ſed ſeditiones domeſticas ſignificare. Si Cometes gladio ſimilis apparebit, cuius tractus ſit lõgior, & coloris ſubpallidi, neque fuſas habens Comas, & ad Orientem accedat, Regem Perſidis ſignificat eſſe dolis appetendum, denunciat & bella, & Syrios pari cõditione inuoluit, & Lybiam, atque Ægyptum fraudibus, & inſidijs nunciat poſſe laborare; Quod ſi Occidentem attenderit fœdera noua regionis illius regi ſignificat, præſertim ineunda per nuptias. Si Cometes ad formam, & normam lampadis affulſerit, & quaſi fax coruſcauerit, eam partem quam ſpectat Orientalem dicit poſſe nebulis laborare, frugeſque omnes caliginoſo aere corrũpi; ſi verò alias ſpectauerit partes, dicitur alia mala portẽdere. Si Cometes luceat in modum tympani, & Electri colorem habeat, cædes, rapinas, bella, & alia eiuſmodi mala dicitur ſignificare; Si denique ex omni parte æquè comatus appareat, qualis apparuit Auguſti tempore, dicitur omnium bonorum toti orbi felix auſpicium. Hæc animaduertunt communiter Aſtrologi circa Cometarum figuras.

Sed addunt eſſe etiam animaduer- 120
tenda ſigna, in quibus Cometæ naſcũ-
tur,

tur volunt ſiquidem Cometã ortum ab Ariete trahentem motus, & ſeditiones Orienti minitari; à Tauro Septemtrioni, & Occidenti; à Geminis impuras, inceſtaſque libidines, & religionis labefactationem; à Cancro peſtilentiam, & iuris oppreſſionem; à Leone frugibus, & arboribus perniciem; à Virgine Regum Principũque Miniſtris damnum, carcerem, & exilium; à Libra latrocinium, à Scorpio diſſidia, proditiones, rebelliones; à Sagittario artibus, & ſcientijs contemptum; à Capricorno honeſtati, & pudicitiæ maculam; ab Aquario tumultum, cædem, populationem; à Piſcibus denique diſcordiam, & lites inter amicos, & propinquos; ita tamen vt in his omnibus attendantur regiones illæ, quas occupant ſigna Cometarũ, & intelligantur illæ potiſſimum præfatis malis vrgeri. Volunt etiam Cometarum virus, & vires à crinibus in proximum quodque ſidus tráſfundi, vnde ſi in Saturni globum fax conuertatur, aiunt, Satorum interitum, & annonæ caritatem ſequi; ſi in Iouis, diadematum ſiue damna, ſiue pericula; ſi in Veneris mulierum interitũ, & præcipuè magnarum, regijque ſanguinis, ſi in Mercurij, turbas, & ſeditiones populares; Solem tamen, & Lunam ab hoc ſodalitio eximẽtes, cum vix circa iſtos Planetas Cometæ colluceãt; & ſi collucẽt, promiſcuã orbi terrarũ cladem, ſtragemque portendi. Sic quidquid de aſtris ſomniant Aſtrologi, aut fingunt Cæli interpretes, ad Cometem referunt tamquam ad aſtrorum aſtrum, ſicque ab ipſis pulcherrima mundi machina impoſturis obnoxia fit, atque accenſi in cælo ignes in exitium generis humani computantur.

Verum ſine iure, atque etiam omnino ſine ratione tot mala adſcribun- 121
tur aſtris, & Cometis, idque eo fortaſſe ab Aſtrologis fit myſterio, vt vel Cælum ab hominibus alienetur, vel homines à Cælo, dum felicitatis regio triſtiſſimis impletur fatis, & mortale genus, quidquid ad terrorem, minaſq. deductum eſt, cogitur timere; cum tamen longè ſatius eſſet à Cæleſtiũ corporum Communione horroris cauſam ſecernere, atq. innocentiã Cælo permittere, liberata ab omni ſuperſtitione ipſius naturæ ſimplicitate; poteſt nãq. ardere aer, ac Cælum ipſum illuſtrari, abſq. eo quod terrarũ quies conturbetur; & poteſt Deus ipſe alijs terrere prodigijs dimiſſo Cometarũ miniſterio. Addo, cum adhuc Aſtrologis, & Philoſophis ignotum ſit, cuius ſubſtantiæ ſint Cometæ, quommodo in Cælo, vel in aere accendantur, non poſsũt illis effectus, vel euẽtus adſcribi, quorum cauſa prorſus ignoretur; & ſiue Cometæ cauſæ dicantur, ſiue tantum ſigna, ipſorum natura nos latere non debet, vt ſcire poſſimus, quid cauſent, vel quid ſignificent. Denique cum plures omni æuo extiterint Cometæ omnino ſalutares, præſertim in ortu Mithridatis regis Ponti, in Auguſti inauguratione, & etiam ſub Neronis Imperio, non eſt, cur ab ipſis infauſta ſolummodo vaticinia ſumantur, cuiuſcunque generis ſint, aut cuiuſcunque figuræ.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
RERVM NOTABILIVM,
Quæ continentur in Animaduerſionibus Aſtrologicis.

A.

ABVSVS apud homines bonarum qualitatum, quæ inueniuntur in cælis. anim. 12. *aſtrol.n.* 23.

Admiſſis aſtris interrogatorijs tollendæ eſſent omnes rerum ſcientiæ. anim. 35. *aſtrol.n.* 70.

Affinitas rerum externarum cum rebus animi internis. animaduerſio 38. *aſtr. num.* 75.

Alexandri Aphrodienſis doctrina de ineuitabilibus. animaduerſio 32. *aſtrol. num.* 62.

Animata ſidera ex doctrina Platonis. an. 10 *aſtrol.n.* 19.

Animus ratione pollens aſtrorum dominator. animaduerſio 24. *aſtrologica num.* 47.

Animi mores potius ab inſtitutione petendi, quam à cæli climate. ibid.

Animus ex aſtris per accidens immutatus. anim. 26. *aſtr. n.* 52.

Animi motus interni non aſtris ſubiecti. anim. 37. *aſtrol. n.* 73.

Apollo præſes Muſarum. animadu. 10. *aſtr. n.* 19.

Arabum vſus circa Cabalam. anim. 40. *aſtrol.n.* 79.

Ars aſtrologica per incerta vagatur ex Ptolomæo. animaduerſio 2. *aſtrolog. num.* 3.

Aſtra coniugijs præſidentia. animad. 21. *aſtrol. n.* 41.

Aſtra fati conſcia ex Manilio. anim. 16. *aſtrol n.* 32.

Aſtra ineuitabilibus præſidentia quænam? anim. 32. *aſtrol.n.* 63.

Aſtra diuinitate donata ab Antiquis. an. 7. *aſtrol. n.* 13.

Aſtra motum, & impulſum ab aere recipientia ſecundum aliquos. anim. 10. *aſtrol. n.* 20.

Aſtra decretoria multas patiuntur difficultate. an. 34. *aſtr. n.* 68.

Aſtrorum idolatria. anim. 7. *aſtrol.n.* 13. *& an.* 26. *n.* 51.

Aſtrologicæ diuinationis vanitas. anim. 1. *aſtrol.n.* 1.

Aſtrologi nec benè aeris mutationes præuidentes. an. 5. *aſtr. n.* 10.

Digitized by Google

INDEX RERVM

Aſtrologi decepti in prædictionibus de vita, & morte. animadu. 23. aſtrolog. num. 46.

Aſtrorum diſtantia quomodo in diuinationem adhibita. animadu. 48. aſtrol. num. 95.

Aſtrorum diſtantia ineptè ad diuinandum vſurpata. ibid. n. 96.

Auaritia Philoſophorum diuinationem aſtrologicam induxit. anim. 1. aſtrolog. num. 1.

Aulicis propitia omnia ab Aſtrologis promiſſa. anim. 21. aſtrol. n. 41.

Auſpicatoria aſtra quænam. anim. 33. aſtrol. n. 65.

Auſpicia Vrbium, & regnorum malè deducta ex Planetarum dominÿs. anim. 44. aſtrol. n. 88.

B.

BElla, & ſeditiones in aſtra non referenda. anim. 38. aſtrol. n. 75.

Bellantius oppugnator diuinationis aſtronomicæ. animaduerſio 13. aſtrolog. num. 25.

Bilis excitata ab aſtris in Principibus ad bella gerenda. anim. 38. n. 75.

Boetius arcanam Dei mentem deſcribens, quam nemo penetrare poteſt. anim. 10. aſtrol. n. 19.

Bona tantum ex aſtrorum inclinatione prænunciata. animaduerſio 11. aſtrolog. num. 21.

Bona ad corpus ſpectantia. animadu. 38. aſtrol. n. 75.

Bononiæ ortus tractus è cælo ſecundum Cardanum. animaduerſio 14. aſtrol. num. 27.

C.

CAbaliſtarum opinio de ſtellis. anim. 16. aſtrol. n. 32.

Cabala aſtrologica quid. animaduer. 37. aſtrol. n. 77.

Cabaliſtarum commenta reÿcienda. ibidem.

Cauſæ futurorum quamplurimæ extra cælum. anim. 3. aſtrol. n. 6.

Certa ex aſtris coniectura de rebus internis nunquam habita. anim. 37. aſtr. num. 73.

Chaldæorum obſeruationes euentibus comprobatæ quomodo reÿciantur. anim. 15. aſtrol. n. 30.

Chaldæi Aſtrologiæ peritiſſimi nullæ admittentes Planetarum ſigna in diuinationibus. anim. 47. aſtrol. n. 93.

Chiromantia Aſtrologiæ alumna. anim. 4. aſtrol. n. 8.

Chriſti miracula aſtris adſcripta. anim. 4. aſtrol. n. 8.

Cæleſtes influxus ex prauæ ſubiectæ materiæ diſpoſitione vitiati. anim. 12. aſtrol. n. 24.

Cælorum motus ad ventura directi. anim. 10. aſtrol. n. 19.

Cæli natura adhuc incomperta Aſtrologis, & Philoſophis. animadu. 1. aſtrolog. num. 2.

Cognatio inter animam & corpus. anim. 38. n. 75.

Cognitio alicuius ſubſtantiæ non infert cognitionem omnium effectuum, quæ in illa ſubſtantia continentur. anim. 7. aſtrol. n. 14.

Commendatio Platonis apud Pierium. an. 11. aſtrol. n. 21.

Confuſio artis, & naturæ ad quoſdam patrandos

patrandos effectus. anim.6. aſtrolog. num. 11.
Coniugia malè ab Aſtrologis prænunciata. anim. 21*.aſtrol. n.*41.
*Creatoris prouidentia læſa per Aſtrologos. anim.*19*.aſtrol.n.*38.
Criticæ aſtrorum conſtitutiones quales. an. 25*. aſtrol.n.*49.
*Cultus Religionis non ſubijciendus aſtris, ſeù conſtellationibus ſiderum. anim.*4*. aſtrol. n.*7.
Cultus aſtrorum velut Numinum apud Aſtrologos. animadu. 19*. aſtrolog. num.*38.

D.

Damna diuinationis aſtrologicæ. an. 4*.aſtrol.n.*7.
Data etiam aſtrorum inclinatione nihil certi in agendis poteſt prauideri. anim. 11*.aſtrol.n.*22.
*Decretoria conſtellatio malè formatà ab Aſtrologis. animad.*34*. aſtrolog. numero* 67.
Decretoria aſtra quæ apud Aſtrologos. an. 34*.aſtrol.n.*67.
Delectio Summi Pontificis non ex aſtro Mercurij petenda. animadu. 4*. aſtr. num.* 8.
*Deus ſolus omnium futurorum cognitor. anim.*12*.aſtrol.n.* 24
*Dignitas motus ex dignitate motoris illata. anim.*10*.aſtrol.n.*19.
*Dignitates Planetarum. anim.*20*. aſtr. n.*39.
Diſcrepantia opinionum apud Aſtrologos circa momentum natiuitatis. anim. 17 *aſtrol.n.*33.
Diſpoſitio imminens ad mortem.anim. 18 *aſtrol.num.* 35.
Diuina prouidentia cælo maior, & potentior. anim. 2*.aſtrol.n.*3.
Diuinitas aſtris conceſſa à Veteribus. an. 7*.aſtrol.n.*13.
*Dominia Planetarum obſeruata ab Aſtrologis. anim.*44*.n.*87.
Dominium ſtellarum ſupra res externas. anim. 38*. n.*75.
*Domorum diſtinctio in cælo omnino ficticia. anim.*53*. aſtrol.n.*105.
*Domus Planetarum, quæ anim.*19*.aſtrol. num.*37.
*Diuinatio aſtrologica ex rerum experimẽtis. anim.*5*.aſtrol. n.*9.
Diuinationis aſtrologicæ fallacia ex ipſis experimentis. ibid.
Diuinatio aſtrologica ex artis, & naturæ concurſu. animaduerſio 6*. aſtrologica num.*11.
Diuinatio ex ſiderum ſubſtantia. anim. 7*.aſtrol. n.*13.
Diuinatio ex ſiderum qualitatibus. anim. 8*.aſtrol.n.*15.
Diuinatio ex ſiderum ortu, & occaſu. an. 9*.aſtrol. n.*17.
Diuinatio ex ſiderum motu. anim. 10*. aſtrol.n.*19.
Diuinatio ex ſiderum inclinatione. anim. 11*.aſtrol. n.*21.
*Diuinatio ex ſiderum inclinatione per homines deprauata. anim.*12*. aſtr.n.*23.
*Diuinatio ex Geneſi ſingulorum. an.*13*. aſtr.num.*25.
*Diuinatio ex Geneſi vrbium, & regnorum. anim.*14*.aſtr. n.*27.
*Diuinatio ex ſignis Genethliacis. an.*15*. aſtrol.n.*29.
*Diuinatio ex ſignis fatalitijs. anim.*16*. aſtrol. n.*31.
*Diuinatio ex momento natalitio.anim.*17*. aſtrol.n.*33.

Diuinatio ex Planeta prædominante. an. 18. aſtrol. n 35.
Diuinatio ex ſtellis felicibus, & infelicibus. anim. 19. aſtrol. n. 37.
Diuinatio ex ſignis proſperæ, vel aduerſæ fortunæ. animaduerſio 20. aſtrol. num. 39.
Diuinatio de coniugijs. anim. 21. aſtrol. num. 41.
Diuinatio de ſimilitudine liberorum cum parentibus. animaduerſio 22. aſtrol. num. 43.
Diuinatio de vita, & morte cuiuſcumq. anim. 23. aſtrol. n. 45.
Diuinatio de vitijs, & virtutibus cuiuſcunque. animaduerſio 24. aſtrol. num. 47.
Diuinatio ex Criticis aſtrorum conſtitutionibus. animaduerſio 25. aſtrolog. num. 49.
Diuinatio ex Criticis dierum obſeruationibus. anim. 26. aſtrol. n. 51.
Diuinatio ex ſignis morborum. anim. 27. aſtrol. n. 53.
Diuinatio ex aſtrorum qualitatibus. anim. 28. aſtrol. n. 55.
Diuinatio ex aſtris elementaribus. anim. 29. aſtrol. n. 57.
Diuinatio ex aſtris inopinata portendentibus. anim. 30. aſtrol. n. 59.
Diuinatio ex aſtris fortuita præſignantibus anim. 31. aſtrol. n. 61.
Diuinatio ex aſtris ineuitabilia annuentibus. animaduerſio 32. aſtrologica num. 63.
Diuinatio ex aſtris auſpicatorijs. anim. 33. aſtrol. n. 65.
Diuinatio ex aſtris decretorijs. anim. 34. aſtrol. n. 67.

E.

Eccleſiæ pax quam falsò ab Aſtrologis prædicta. animaduerſio 41. aſtr. num. 81.
Effectus fortuiti cauſa fortuita. anim. 16. aſtrol. n. 31.
Elementaria aſtra quænam apud Aſtrologos. anim. 29. aſtrol. n. 57.
Elementis varijs varia ſidera præficienda. ibid.
Elementares qualitates quomodo ab aſtris oriantur. ibidem.
Ephemeridæ ſæpe ſæpiùs ab Aſtrologis malè conſultæ. animaduerſio 3. aſtrolog. num. 5.
Errores diuinationis aſtrologicæ. anim. 3. aſtrol. n. 5.
Euentus etiam ſpondentibus aſtris incerti. anim. 2. aſtrol. n. 3.
Euentus inopinati quibuſdam aſtris adſcripti. animaduerſio 30. aſtrologica num. 59.
Exaltationes Planetarum à centro quomodo diuinationum regulæ. anim. 50. aſtrol. n. 99.
Ex aſtrorum inclinatione nulla certa de futuris ſumenda coniectura. anim. 11. aſtrol. n. 21.
Ex directionibus Planetarum quamplura malè prænunciata. anim. 46. aſtrolog. num. 92.

Falſitas

F.

Falſitas diuinationum aſtrologicarum conſtat experimentis. anim. 2. *aſtr. num.*4.

Familiaritates ſiderum captu difficillimæ. animaduerſio 55. *aſtrologica, num.*109.

Fata ſingulorum quomodo innoteſcant. an. 16.*aſtrol.n.* 31.

Fatum in aſtris repudiatum. ib.

*Feliciores ſemper, qui recta ratione vtuntur in agendis, quam qui ſuperſtitioſa diuinatione. animadu.*2. *aſtrologica, num.* 3.

Felices euentus in aſtris auſpicatorijs delineati. animaduerſio 33.*aſtrologica, num.*65.

*Felicitatis humanæ duo aſtra decretoria. anim.*34.*aſtrol.n.*68.

*Fides Aſtrologis abroganda ex varietate opinionum. animadu.*43.*aſtrologica, num.*86.

Florentiæ ortus tractus è Cælo à Cardano. animaduerſio 14. *aſtrologica, numero* 27.

*Fœtus quo tempore independens à matre. anim.*17. *aſtrol.n.*34.

*Fortuiti euentus in aſtra non referendi. anim.*31.*aſtrol.n.*62.

Fortuitorum euentuum cauſa ſola Diuina Prouidentia. animaduerſio 31. *aſtrolog. num.*62.

*Fortunæ euentus aſtris malè adſcripti ab Aſtrologis. animadu.*20. *aſtrologica, num.*39.

Franciſcus Sfortia Ludouici filius ex aſtris infelix, ſed felix ex euentibus. an. 20.*aſtrol.n.*40.

*Fundamentum ponendi in cælo aſtra interrogatoria quale. anim.*35.*aſtrolog. num.*70.

G.

Geneſis obſeruanda ab Aſtrologis non ſolum quoad totum, ſed etiam quoad partes in vrbibus, ac regnis. an. 14.*aſtrol. n.*28.

Geneſis Principum Aſtrologis incerta. an. 13.*aſtrol. n.*26.

Geneſis hominum per aſtra explorata. an. 13.*aſtrol. n.*25.

*Genius vniuſcuiuſque in Iconiſmis aſtrorum collocatus. anim.*52. *aſtrolog. num.*104.

*Gentium mores non ab aſtris repetendi. anim.*24.*aſtrol. n.*48.

*Geomantia Aſtrologiæ alumna. anim.*4. *aſtrol.num.*8.

*Germanæ poteſtates octo vno partu editæ. anim.*10. *aſtrol.n.*19.

Gradus Planetarum quid ſignificent. an. 50.*aſtrol.n.*99.

H.

Hebræi omnia demonſtrantes in ſua Cabala per nomina rerum, & numeros quoſdam. anim. 39. *aſtrolog. num.*78.

Heliodori obſeruatio de motu Planetarum. animaduerſio 45. *aſtrologica. num.*90.

*Herodes non declinatus à magis per monitum aſtrorum, ſed ſtellæ quæ apparuit anim.*36. *aſtrol.n.*72.

Hæreſes Manichæorum ex fato aſtrologico exortæ. animaduerſio 4. aſtrolog. num. 8.

Hiſtoriæ probantes euentus reuolutionum Saturniarum. animadu. 42. aſtrolog. num. 83.

Hominis libertas aſtris dominatur. anim. 6. aſtrol. n. 12.

Hominis magna omnia ab ipſo homine ſunt ex Phauorino. anim. 36. aſtrol. num. 76.

Humana libertas nullo modo aſtris ſubiecta. animaduerſio 2. aſtrologica, numero 4.

Humanæ felicitatis aſtra duo decretoria. anim. 34. aſtrol. n. 68.

Humores corporis certis diebus magis commoti, quam alijs. animad. 26. aſtrol. num. 51.

Humoris prædominantis indicia ſine aſtris anim. 27. aſtrol. n. 53.

I.

I *Amblichus reddens in cælo plures noſtrorum malorum cauſas. anim. 12. aſtrol. n. 23.*

Icari fabula Aſtrologos exprimens. anim. 5. aſtrol. n. 9.

Iconiſmi ſignorum Zodiaci non eo modo quo imagines aſtrorum definit. anim. 52. aſtrol. n. 103.

Iconiſmi aſtrorum deridendi apud Aegyptios. ib.

Idololatria ex arte aſtrologica corriuata. anim. 4. aſtrol. n. 8.

Ieſu Geneſis ab Aſtrologis quæſita. anim. 36. aſtrol. n. 72.

Ignis uirtus cælorum motrix. animad. 10. aſtrol. n. 20.

Imagines Planetarum à ſignis eorumdem diſcriminatæ. animaduerſ. 51. aſtrol. num. 101.

Imagines ſolæ aſtrorum à Chaldæis conſideratæ in diuinationibus. ibid.

Incendia orbis terrarum ab ignea aſtrorum natura ab Aſtrologis deriuata. anim. 7. aſtrol. n. 13.

Incertitudo diuinationis aſtrologicæ. anim. 2. aſtrol. n. 3.

Innocens uita ex aſtris traducenda. anim. 12. aſtrol. n. 23.

Indorum imagines aſtrologicæ. anim. 5. aſtrol. n. 9.

Ingenium quodcunq. deceptioni obnoxium ſi per aſtra diſcurrat. anim. 3. aſtrol. num. 5.

Inſtantanea actio ex Philoſophis ad temporales, & ſucceſsiuos effectus non poteſt extendi. animadu. 17. aſtrolog. num. 34.

Interrogatoria aſtra quænam apud Aſtrologos. anim. 35. aſtrol. n. 69.

Iouis ſtella ſemper benefica apud Aſtrologos. anim. 19. aſtrol. n. 37.

Ira non ſemper bellorum cauſa. anim. 36. aſtrol. n. 75.

Irridenda Aſtrologorum deliramenta in ijs, quæ ſuperant naturam. anim. 36. aſtrol. n. 71.

Iulianus Imperator aſtrologicarum ſuperſtitionum ſummus obſeruator. anim. 2. aſtrol. n. 3.

Iulius maternus reprehenſus. animad. 17. aſtrol. n. 21.

Iupiter, & Saturnus quid poſſint in magnis coniunctionibus. anim. 41. aſtr. num. 82.

Iuſtitiæ amor excitatus à Deo ſæpe bellorū cauſa. anim. 36. aſtrol. n. 75.

Kirche-

K.

Kircherius agens de Cabala Saracenica in Oedipo Ægyptiaco quid ſentiat. animaduerſio 40. aſtrologica num. 79.

L.

Lactantij argumentum ad amouendam diuinitatem ab aſtris. anim. 7. aſtrol. n. 14.
Leges aſtris non ſubijciendæ. animad. 4. aſtrol. n. 7.
Lethales vitæ directiones. animad. 23. aſtrol. n. 23.
Libertas humana aſtris non ſubiecta. an. 6. aſtrol. n. 12.
Libertas humana infelices aſtrorum influxus poteſt reddere felices. ibid.
Lignis, & lapidibus Geneſes aſſignandæ ab Aſtrologis. animad. 14. aſtrolog. num. 27.
Loca Martis, & Saturni pro malis imminentibus ab Aſtrologis obſeruati. anim. 20. aſtrol. n. 40.
Lucis ſimplicitas impotens ad varios progignendos effectus. anim. 8. aſtrolog. num. 16.
Lucretius tollens diuinitatem ab aſtris. anim. 7. aſtrol. n. 14.
Ludificatio imperitorum per aſtra interrogatoria. animaduerſio 35. aſtrolog. num. 69.
Luna Criticarum conſtitutionum cauſa. anim. 25. aſtrol. n. 50.
Luna, & Planetarum poſitiones variæ nihil certi indicantes. anim. 49. aſtr. num. 98.
Lux potior ſiderum qualitas. anim. 8. num. 15.

M.

Magia Aſtrologiæ Alumna anim. 4. aſtrol. n. 8.
Mala corporis Lunæ adſcribenda. anim. 26. aſtrol. n. 51.
Martis aſtrum Principibus auſpicatorium. animaduerſio 33. aſtrologica num. 65.
Magnæ Planetarum coniunctiones quid portendant. animadu. 40. aſtrolog. num. 81.
Magni Macedonis ſumma felicitas vnde orta. animaduerſio 36. aſtrolog. num. 76.
Mahometis ſecta quomodo ex aſtris prænotata. animaduerſio 41. aſtrologica num. 81.
Medici quid nomine Criſis intelligant. an. 25. aſtrol. n. 49.
Medici melius corporis mala prædicentes, quam Aſtrologi. animadu. 27. aſtrol. num. 53.
Medicinæ genus optimum diæta. animad. 27. aſtrol. n. 53.
Mediolani ortus tractus è Cœlo à Cardano. animaduerſio 14. aſtrologica, num. 27.
Mediolaneſes ad literas aptiſſimi ex Mercurio dominatore. anim. 14. aſtrolog. num. 27.
Melancholia morborum cauſa. anim. 27 aſtrol. n. 54.
Microcoſmus independens ab aſtris quoad vitia, & virtates. animaduerſ. 24. aſtrol. n. 47.

Mira-

Miracula in aſtris non contenta, neque deſcripta. animaduerſio 3. aſtrolog. num. 6.

Mirandulanus demonſtrans nil mali à cælo poſſe den.itti. anim. 11. aſtrol. num. 21.

Motiones Cælorum poteſtates Sirenæ nuncupatæ. animaduerſio 10. aſtrolog. num. 19.

Motus in aſtris indices diuinæ voluntatis. animaduerſio 10. aſtrologica, num. 19.

Motus octaui orbis certo tempore definitus. animaduerſio 15. aſtrolog. numero 30.

Motus Planetarum æquales. anim. 45. aſtrol. n. 89.

Moyſis miraculum aſtris adſcriptum. an. 4. aſtrol. n. 7.

Multiplicitas ſignorum aſtrologicorum pro libito poſita in cælo. anim. 15. aſtrol. num. 19.

Mundi coniunctiones magnæ, quot fuerint, adhuc latet. anim. 3. aſtrologica num. 6.

Mundi ſphæra integra in vno ſidere. an. 7. aſtrol. n. 13.

Muſæ primis corporibus deſtinatæ. anim. 10. aſtrol. n. 19.

Mutationes magnæ in orbe terrarum nequaquam à reuolutionibus Saturnijs deſumendæ. animadu. 42. aſtrolog. num. 84.

N.

Natiuitatis momentum incertiſſimum. animaduerſio 17. aſtrol. num. 33.

Natorum imperitia perpetua ab Aſtrologis præuiſa quomodo poſſit reparari. anim. 6. aſtrol. n. 12.

Natorum mores ex aſtrorum inclinatione indicati. animaduerſio 11. aſtrol. num. 21.

Natorum analogia cum aſtris. anim. 37. aſtrol. n. 77.

Naturæ effectus non omnes facilè præuidentur. animaduerſio 6. aſtrolog. numero 11.

Nemo potens ſtatuere de ſe ipſo, quid in poſterum facturus ſit. anim. 2. aſtrol. num. 4.

Nihil mali ab aſtris expectandum. anim. 11. aſtrol. n. 21.

Nihil certi definiendum ex Planetarum dominijs. animaduerſio 44. aſtrolog. num. 87.

Numerus errantium ſtellarum non omnino certus. animaduerſio 1. aſtrolog. num. 2.

O.

Obſeruatio de ſiderum proprietatibus. anim. 56. aſtrolog. n. 111. & 112.

Obſeruatio de ſiderum exaltationibus omnino vana. animadu. 50. aſtrolog. num. 100.

Obſeruationes de ſiderum mutationibus. anim.

animaduerſio 57. *n.* 113. 114.

Obſeruationes dierum criticæ quales apud Aſtrologos. animaduerſio 26. *aſtrol. num.* 51.

Obſeruationes Cometarum apud Aſtrologos. animaduerſio 59 *aſtrolog. n.* 117 118. 119.

Obſeruationes Cabaliſticæ à fide & à Catholica Religione alienæ. animad. 40. *aſtrol. n.* 80.

Occultæ qualitates ab aſtris reiectæ. anim. 30. *aſtrol. n.* 60.

Opinionum varietas maxima inter Aſtrologos. animaduerſio 3. *aſtrologica numero* 5.

Opinationes diuerſæ de motibus aſtrorum. anim. 10. *aſtrol. n.* 20.

Orbis motus non certo tempore definitus. anim. 1. *aſtrol. n.* 2.

Ortus, & Occaſus ſiderum non ſemper eodem modo deprehenſi. animadu. 9. *aſtrol. n.* 18.

P.

Partitio ſignorum in Zodiaco omnino ficititia. animaduerſio 47. *aſtrol. num.* 93.

Petri Alliacenſis obſeruatio contra diuinationes aſtrologicas. anim. 41. *aſtrol. num.* 81.

Phauorini Philoſophi ſententia de homine. animaduerſio 36. *aſtrologica numero* 76.

Philoſophia improbabilem facit Aſtrologiam. animaduerſio 2. *aſtrologica numero* 4.

Planetarum ſucceſſiones vanæ. anim. 43. *aſtrol. n.* 85.

Planetæ ſupremi non eodem modo Orientes, & Occidentes velut infimi. anim. 9. *aſtrol. n.* 18.

Potentia logica quænam in Deo. anim. 32. *aſtrol. n.* 64.

Prædictiones Aſtrologicæ de fide, de gratia, & bonis moribus omnino ineptæ. anim. 6. *aſtrol. n.* 12.

Præſides ſphærarum intelligentiæ. anim. 37. *aſtrol. n.* 77.

Primus Aſtrologorum error. animadu. 6. *aſtrol. n.* 12.

Primus inuentor reuolutionum Saturniarum. anim. 42. *aſtrol. n.* 83.

Principum euentus aſtris non ſubiecti ex Cardano. animaduerſio 13. *aſtrolog. num.* 25.

Principum imperitia fidem Aſtrologis concilians. animaduerſio 1. *aſtrolog. num.* 1.

Proles dubia per ſimilitudinem ad maritum decernenda per Iuriſconſultos. an. 22. *aſtr. n.* 43.

Prolis ſimilitudo non ab aſtris deſumenda. ibid.

Prophetæ non loquentes ex aſtris, ſed ex Dei afflatu. animaduerſio 3. *aſtrolog. num.* 6.

Prouidentia diuina nihil habens fortuitum. animaduerſio 31. *aſtrolog. numero* 61.

Ptolemæi doctrina ad cognoſcendum natiuitatis momentum. animaduerſ. 18. *aſtrol. n.* 35.

Punctum conceptionis, & natiuitatibus ab Aſtrologis examinatum ad inueniendam ſimilitudinem liberorum cum parentibus. animaduerſio 22. *aſtrolog. num.* 44.

Qua-

Q.

QValitates aſtris inſitæ à natura.an. 28.Aſtrol.n.55.
Qualitates in aſtris futurorum euentuum molitrices. animaduerſio 8. aſtrolog. num. 15.
Quam difficilè Summos Pontifices in aſtris agnoſcere. animad. 23. aſtrolog. num.46.
Quanam indicia motus ſiderei. anim. 10. aſtrol.n.20.
Quæſtiones rerum humanarum ad aſtra interrogatoria relatæ. anim.35. aſtr. num. 69.

R.

RAdiorum commixtio vires aſtrorum non auget. anim.8. aſtrol. num.16.
Radij Planetarum omnia agentes per qualitates naturales. anim. 28. aſtrolog. num.56.
Ratio demonſtrans vanitatem diuinationis aſtrologicæ. animadu. 1. aſtrolog. num. 2.
Ratio potiſſima vindicans actus inter nos ab aſtrorum dominio. animaduerſ.37. aſtrol.n. 74.
Rationes aſpectuum variæ in Planetis. anim.49. aſtrol.n. 97.
Regnorum Geneſes in aſtra relata. anim. 14.aſtrol. n. 27.
Regimina Planetarum ſtato tempore inducta. anim. 43.n. 85.
Religio Chriſtiana à Iouis conſtellatione falsò deſumpta. anim. 4. aſtrologica num.8.
Robur cæleſtium qualitatum quando maius. anim.25.aſtr.n.50.
Romæ ortus in aſtris præuiſus. anim. 14. aſtr.n.27.
Reſpõdentia ſigillorum Cabalicorum cum planetis. anim. 40. aſtrol. num. 79.
Res ineuitabiles quomodo admittendæ. anim. 32. aſtrol. num. 64.
Res exteriores potius à libera voluntate, quam ab aſtris pendentes. anim. 36. aſtrol. num. 76.
Retrogreſſiones, & progreſſiones Planetarum quid ſignificent. animaduer. 45. aſtrol.n.89.
Reuolutiones Saturni quid afferant. anim. 42.aſtr.n.83.

S.

SAlutares ſiderum aſpectus etiam in ſolitudines Africæ, Arabiæ, & Ægypti. anim.14.aſtrol. n. 28.
Sapientes deridentes vanitatem diuinationis aſtrologicæ. anim. 1. aſtrolog. num. 1.
Saturnus atræ bilis præſes. animadu.29. aſtr. n. 58.
Saturni ſtella rebus agendis parum commoda. animaduerſio 4. aſtrolog. numero 8.
Series cauſarum in natura qualis. anim. 32.aſtrol. n.63.
Sexus aſtrorum impugnatus. anim.54. aſtrol. n. 107.
Sfortia Mediolanenſis Dux ex aſtris felix, ſed ex euentibus infelix. anim. 20. aſtrol.n.40.
Sidera ex igneis atomis nequaquam conflata.

ſlata. anim.7. aſtr. n. 13.

Sigilla Planetarum adhibita ad diuinandum. anim.40.aſtr.n.79.

Singulares rerum pœnuneiationes ex Geneſi reiectæ. an.13.aſtr.n.25.

Signa Genethliaca vera, & commenticia quæ. anim.15.aſtr.n.29.

Sphæra mundi integra in vno ſidere. an. 7.aſtr.n. 13.

Stellæ Aſtrologis ignotæ ex Phauorino. an. 16.aſtr. n.32.

Stellæ felices, & maleficæ apud Aſtrologos. an.19.aſtr.n.37.

Subſtantia ſiderum varia apud Antiquos. anim.7.aſtr.n.13.

Subſtantia ſeparata cauſa motus in aſtris. anim.10. aſtrol.n.19.

Sublunaria à cælo perficiuntur, non deſtruuntur. an.29. aſtr. n.58.

Succeſſiones Planetarum quid præ ſe ferat. an.43.n.85.

Summi Pontifices difficillimè in aſtris cogniti. anim.23. aſtrol. n.46.

Supernaturalia non cognoſcibilia in aſtris, aut ex aſtris. animadu. 36. aſtrolog. num.71.

Superſtitiones ex arte aſtrologica prodeuntes. anim.4.aſtrol. n.8.

aſtrolog. num.52.

Temporanea Magorum ſtella. anim. 36. aſtrol.n.72.

Terra ad inſtar puncti cælum reſpiciens. an.16.aſtr.n.32.

Terræ pars maior inhabitabilis. ib.

Terrarum ac regionum diſtributio ſub planetis dominatoribus. animaduerſ 44. num.88.

Teſtamenti veteris, & noui miracula ab aſtris non ſignificata. animadu. 36. aſtrol. n.71.

Thebanus apud Herodotum conſulens ſapientem de aſtrologia quid habeat reſponſi. an.32. aſtr.63.

Theologi quomodo loquantur de rerum ineuitabilitate. animaduerſio 32. aſtrol. num.64.

Theſauri, qui à fodiente inueniuntur, non vna, ſed plures aſſignandæ cauſæ. an. 31. aſtr.n.61.

Tritæus mars malorum comminator. an. 27.aſtr.n. 53.

Tyrannides temporales elementorum in aſtra relatæ. animaduerſio 29. aſtrol. num.58.

T.

TEmporum computatio in reuolutionibus Saturnijs. anim. 42. aſtr. num.83.

Temporum conſtitutiones criticæ. an.25. aſtrol. n.49.

Tempora critica Aſtrologis ignota quoad omnes effectus futuros. ibid.

Tempora critica etiam animaſticis operationibus deſignata. animaduerſio 26.

V.

VAletudo ex aſtris tuenda. an.27. aſtr. n. 53.

Varia Planetarum ſigilla apud Veteres. an.40. aſtr.n.79.

Vaticinia Aſtrologorum ex veterum deliramentis reprobata. animadu.7.aſtr. num.14.

Venetiarum ortus è cælo aduocatus à Cardano. animaduerſio 14. aſtrologica, num.27.

Venus etiam Marti copulata quomodo ad adul-

Digitized by Google

adulteria non prouocet, animad. 11. *aſtrol.n.* 21.

Veriſimilius natiuitatis momentum quale accipiendum ab Aſtrologis. an. 17. *aſtrol.n.* 34.

Vires aſtrorum quomodo infringantur, ac roborentur. animaduerſio 15. *aſtrolog. num.* 29.

Vires ſignorum in Zodiaco imaginaria tantum. an. 47. *aſtr. n.* 94.

Virtus cælorum motrix ignis, & nonnullorum ſententia. anim. 10. *aſtrolog. num.* 20.

Vitæ ſignificatores tres Sol, Luna, & Horoſcopus. animaduerſio 23. *aſtrologica num.* 45.

Vitæ adminiſtratio quomodo conceſſa ſideribus ex Firmico. animaduerſio 43. *aſtrol n.* 86.

Vrbium Geneſis aſtris adſcripta. an. 74. *aſtrol.n.* 27.

X.

Xyſti ab Hemminga triginta geniturarum exemplum. Anim. 15. *aſtrol.n.* 29.

Z.

Zodiaci ſtellæ ortui, & occaſui Heliaco obnoxiæ. anim. 9. *aſtrolog. num.* 18.

Zodiaci directiones adhibitæ ab Aſtrologis anim. 46. *aſtr.n.* 91.

Zoroaſter potens armis, & magia. an. 2. *aſtrol.n.* 3.

FINIS.

ANIMADVERSIONES
THEOLOGICÆ
IN TRACTATVM DE FIDE
DIVINATIONIBVS
ADHIBENDA.

Digitized by Google

Digitized by Google

ANIMADVERSIO I.

THEOLOGICA

In nomen, & Definitionem Diuinationis.

1 TAMETSI diuinationis nomine apud pleroſq. Doctores, præſertim apud Diuus Th. 2. 2. q. 95. Suarez 1. de relig. lib. 2. cap. 7. Baldell. tom. 2. lib. 4. diſput. 3. intelligenda veniat quædam Idololatriæ ſpecies, quæ tacita, ſeù implicitas vocitatur, ego tamen eiuſmodi doctrinæ non poſſum adhærere; licet enim diuinationis nomen genus quoddã ſuperſtitionis importet, qua ſæpè coli videtur creatura ad futura, & occulta dignoſcenda, cum tamen ſpectata nominis vi in ipſa diuinatione nil aliud habeatur, quam rerum ignotarum inquiſitio, hæc nulla ratione ad idololatriam ſpectare videtur, quamuis in eiuſmodi inquiſitione Diuinatores vterentur aliquo indebito cultu erga Dæmones, aut erga aliam creaturam, in qua eo cultu non ſiſterent, tanquam in obſeruantiæ, & venerationis obiecta per quamdam diuinæ excellentiæ æſtimationem, ſed dumtaxat, tãquam in medio ad alium finem obtinendum, quod nõ eſt ſatis ad efformãdam idololatriæ ſpeciem, quæ ex ſua ratione formali in indebito cultu obuerſatur Idolis, vel creaturis exhibẽdo, ita vt euadant obiectum latriæ, quæ exhibetur per indebitam diuinæ excellentiæ æſtimationem; Quemadmodum enim non vocatur idololatria affectus ille colendi medici ad obtinendam ſanitatem, Principis ad impetrandos honores, ac dignitates; Sic non erit diuinatio idololatria vocanda, licet impenſum dæmoni, vel alteri creaturæ præſtet obſequium, eo ſolum vt ignota coniectet, ſeu occulta rimetur, abſque alia diuinitatis æſtimatione.

Nomen igitur diuinationis, ex eo 2
quod diuinã quamdam notionẽ ſignificet, ſeu participationẽ illius notitiæ, quę eſt propria diuinitatis, potius cultum ipſius Dei videtur continere, cum diuinatores verè agnoſcant Deũ om-

Digitized by Google

niū futurorū, & occultorū cognitorē, ex quo cognitionem illam per media humana, ac ſæpè illicita vellent ſibi vſurpare; eſt namque ſolius Dei propria futurorum prænotio, quæ ideo etiam actio diuina vocatur, quæ non poteſt à creatura, niſi per reuelationem participari, in quo caſu actio illa diuinatoria participata prophetia vocaretur; ſicut contra illicita vſurpatio notitiæ, vel prædictionis futurorū contingentium abſolutè diuinatio ſolet appellari, quæ etiam extenditur ad aliorum occultorū illicitum ſtudium, & inquiſitionem, quæ quis humano modo cognoſcere non poteſt; nam diuini etiam vocantur, qui occultum furem indicant, qui res perditas oſtēdunt, qui occultas mortis, vel morbi cauſas aperiunt, quæ naturaliter ſciri non poſſunt; vnde licet diuinationis nomen latiùs acceptum, & bonas, & malas diuinationes importet, nimirum & prophetias, & diabolicas artes, præſſiùs tamen ſumptum hoc diuinationis nomen ex vſu Scripturæ, & Eccleſiaſticorum Doctorum ſemper in malam partem acceptum eſt, cum hęc præſciendi, ſeu diuinandi facultas vt plurimum à Dęmone, vel per eius virtutem exquiratur; & ideo Sancti Patres cum D. Thom. vbi ſupra, docent diuinationem ſic acceptam ſemper eſſe peccatum; eiuſq. expreſſam extare prohibitionem tum in ſacris literis Micheæ 3. Deut. 18. Non ſit qui Pythones conſulat, neq. diuinos; tum etiam in ſacris canonibus, in quibus diuinatoribus ſtatuuntur pænæ, quas infrà referemus; Atque malitiæ diuinationis ratio ea eſſe poteſt, quod modus aquirendi talem notitiam, & præſenſionem ſemper à recta ratione diſſentit, cum ſit per media illicita, & mala ſiue ex ſua natura, ſiuè ex expreſſa prohibitione; ac propterea, vt ſcitè aduertit Suarez loco citato, in malitia diuinationis non tantum ſpectandus eſt finis, quem quis intendit in diuinatione, qui fortaſſis poteſt eſſe indifferens; ſed etiam ſpectanda ſunt media, quæ vt plurimum mala ſunt, nimirum ope Dæmonis adhibita.

Atque ex his ſatis conſtare poteſt, quomodo ſit definienda diuinatio, de qua hic agimus; Ex ipſa namque nominis explicatione innoteſcit, nil aliud eſſe, quā futurorum, ſeu occultorum prænotionem, vel prænunciationem indebitis modis aquiſitam contra ordinem diuinæ prouidentiæ, quæ ea latere voluit; Ex eo verò dicitur præſertim indebitus diuinationis modus, quod ad eam comparandam Dæmonis auxilium quæratur, cuius conſortium, cum ſit iuratus Dei, & hominum hoſtis, maximè indebitum eſt. vbi aduertendum, quod etſi Dæmones non poſſint certò cognoſcere futura, quæ à libero alterius pendent arbitrio, vt certum eſt apud Theologos, & apud D. Auguſt. de diuinat. Dæmon. cap. 5. & 6. & lib. 2. de Geneſ. ad lit. cap. 17. poſſe tamen longè plura de rebus futuris ab hominis arbitrio pēdentibus per coniecturas rimari, & de alijs rebus occultis cognoſcere, quam homines ipſos. primò, quia cognoſcunt exactiùs cauſas naturales, earumque vim quoad omnes effectus. ſecundò, quia poſſunt ſcire quid ipſi, & alij dęmones malorum adminiſtri Deo permittente facturi ſint. tertiò, quia perfectè 3

fectè cognoſcunt inclinationes, & complexiones hominum, ex quibus plura ſequuntur. quartò, quia vident in longinquis locis multorum effectuum cauſas iam poſitas, & applicatas. quintò, denique quia ipſi plura in natura efficere poſſunt, quæ ſint nobis inopinata; cum certa ſit Theologorum ſententia tantundē poſſe Dæmones naturali virtute, quantum poſſūt Angeli; ex quibus omnibus infertur poſſe Dæmones ad quorūdam futurorum, & occultorū diuinationem cōcurrere, licet non poſſint ad omniū.

ANIMADVERSIO II. THEOLOGICA

In ſpecies Diuinationis.

4 OMNINO ſuperuacaneū eſſet ſingulas hic denuò repetere diuinationis ſpecies, quæ in peracto tractatu fusè ſatis expoſitæ ſunt; præter enim ſingularum nomina, quæ allata ſunt, proprietates etiam varias, varioſque illarum exercendarum modos ſuo ordine protulimus; ac propterea cum omnes diuinationis ſpecies ad duplex quoddam genus reuocentur, idcircò de hoc duplici genere tātum quædam ſunt animaduertenda, atque duo iſta genera ea ſunt, quorum alterum dicitur Diuinatio facta per expreſſam Dæmonis inuocationem, vel per expreſſum cum eodem pactum, alterum verò, quod fit tantum per tacitum pactum, vel per implicitam inuocationem. Ad primum genus reuocant Doctores communiter cum Sanchez in Decal. lib. 2. cap. 38. Necromantiam, Præſtigiū, Somnium, Oraculum, Geomantiam, Hydromantiam, Pyrrhomantiam, Æromantiam, & Aruſpicium; Ad alterum genus reuocant Genethliam, Augurium, Auſpicium, Chiromantiam, Metopoſcopiam, & id genus alia; At ego, licet affirmem eſſe admittendas diuinationes ex pacto expreſſo cum Dæmone, atque ex pacto tantum implicito, non video tamen, quomodo ſpecies illæ diuinationum potius ad vnum genus redigantur, quā ad aliud, cum in ſingulis diuinationis ſpeciebus pro libito diuinationem quærentis, vel exercentis poſſit interuenire, & pactum cum dæmone expreſſum, & pactum tantum implicitum; quemadmodum etiam in ſingulis vtraque Dęmonis inuocatio tacita vel expreſſa; hoc enim pendet à libertate volentis diuinare, qui in omni diuinatione poteſt, aut ipſe pactum inire cum Dæmone, aut pacto aliorum adhærere, qui ijs diuinandi modis vſi ſunt, quibus ipſe quoque vti decernit.

Ex quo ſequitur, quod licet admit-
tantur duo illa prima diuinationum 5
genera, ſcilicet diuinatio ex pacto ex-
plici-

plicito, & diuinatio ex pacto implicito cum Dæmone, non eſſe tamen ſub illis admittendas determinatas ſpecies, eo nimirum ſenſu, quod nonnullæ numerentur addictæ vni generi, aliæ alteri, cum omnes vni tantum generi addici poſſint, ex eo quod in omnibus vel ſolum pactum expreſſum inueniri queat, vel ſolum tacitum pro libertate diuinantis. Hincque etiam ſequitur non ſolum diuinationes omnes poſſe eſſe eiuſdem generis, ſed etiam eiuſdem ſpeciei, ſi rerum materialitas excludatur, & ſolum formalitas diuinationis attendatur in genere moris; ſi enim ſpectentur omnes diuinandi modi in genere naturæ, certum eſt, materialiter ſpecie differre, cum Elementa, Aues, & Aſtra differãt ſpecie; Si verò ſpectentur tantum formaliter in genere moris, cum diuinationes omnes contrahant eamdem malitiam ab oppoſitione cum eadem virtute religionis, vel cum eadem recta ratione, ex hoc exploratum omnibus eſſe debet ſpecie non diuerſificari; ſicut enim in eadem ſpecie ſunt furta omnia, ſiue ſint auri, ſiue argenti, ſiue aliarum rerum, ſic eamdem ſpeciem obtinebunt diuinationes omnes, ſiuẽ per aerem fiant, ſiue per aquam, ſiue per ſomnia. Atque ex hoc poteſt inferri non eſſe opus exprimere in confeſſione rem, per quam facta eſt diuinatio, cum diuerſitas rei non valeat immutare iudicium confeſſarij, nec diuerſam ſpeciem conſtituat, ex eo, quod prorſus accidentarium ſit diuinationi, quod potiùs in vna re fiat, quam in altera. Huic doctrinæ videntur adhærere Azor. *tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 12. Bonacin. *tom.* 2. *diſp.* 3. *quæſt.* 5. *punct.* 3. Trullench. 1. *Decal. cap.* 10. *dub.* 3. & alij.

Cui addendum puto diuinationem omnem, ſiue factam per expreſſam Dæmonis inuocationem, ſiue factam per tacitam tantum eſſe eiuſdem ſpeciei in genere moris, ſeù malitiæ moralis propter rationem allatam; videtur namque ratio pacti expreſſi, & implicitis differre tantũ tamquam perfectum, & imperfectũ, quod non poteſt variare ſpeciem; Quidquid dicant in oppoſitum Sanch. *lib.* 2. *in Dec.* Suar. *tom.* 1. *de relig. c.* 9. Leſſius *c.* 49. Filiuc. Bonacin. & alij plures, qui licet fortaſſis hanc doctrinam non omninò reijciant, volunt tamen eſſe explicandum in confeſſione an diuinatio facta fuerit cum tacita, vel expreſſa Dęmonis inuocatione, ex eo quod expreſſa Dęmonis inuocatio ſæpe ſæpiùs adiũctam habeat hæreſim, aut adorationem Dæmonis, vel aliquid aliud ſcelus, quod in confeſſione exprimẽdum eſt, vt confeſſarius rectum iudicium ferat, & ſalutare remedium adhibeat; Suppoſita namq. illa doctrina, quod ex neceſſitate ſint tantum aperiendæ circumſtantię mutantes ſpeciem, non aggrauãtes licet in infinitum, corruit in hac re ſcrupulus ſupradictorum Doctorum, ſi verè admittant illas diuinationes eſſe eiuſdẽ ſpeciei. Quod verò diuinatio per expreſſam Dæmonis inuocationem alia habeat adiuncta ſcelera neceſſariò confitenda, hoc non obeſt doctrinæ noſtræ, ſed ad ſummum oſtendit ea crimina, vtpotè propriam ſpeciem efformantia, eſſe in confeſſione pronuncianda, quod nos ipſi fatemur.

ANI.

Digitized by Google

ANIMADVERSIO III. THEOLOGICA

In facultatem Diuinandi.

7 VT certiùs conſtet de diuinandi facultate, cum diſtinctione procedendum eſt, poteſt enim quis diuinare vel ex ſolo inſtinctu,atque inſpiratione Dei, vel etiam ex cognitione cauſarum, & ſignorum naturalium; vnde ad rem paucis expediendam, hæc duo pro certis habenda ſunt;Primum, facultatem diuinandi,& prædicendi omnia futura etiam libera, ac merè fortuita,quæ à ſolo Deo debent poni in eſse non poſse eſse naturalem,ſed verè,& propriè eſse ſupernaturalem, & ſolum haberi ex lumine Dei; cum ſit ſupra totum ordinem, & exigentiã naturæ,quod docet D. Th. 2.2. *quæſt.* 172. *artic.* 1. *& quæſt.* 12. *de Verit. art.* 3. qua etiam de cauſa in Epiſt. ad Rom. 12. & 1.Corinth. numeratur Prophetia à D. Paulo inrer dona Spiritus Sancti; Huiuſq. doctrinæ ratio eſt,quia cognitio futurorum, quę antequam ſint,nullam habent determinationem, ſed æqualiter poſsunt eſse,& non eſse, vt benè norũt Theologi, ſolum pertineat ad eum intellectum, qui illa poteſt cognoſcere in ſuis cauſis, vt futura ſunt, vel in ſe ipſis, vt præſentia, & æternitati coexiſtentia,qui intellectus diuinus eſt;non enim intellectus humanus præciſa diuina reuelatione poteſt intelligere, niſi ea, quæ ſunt, quorum ſpecies, & imagines ipſi obijciuntur. Addo plures actus liberè futuros ſuaptè natura quarenus immanentes occultos eſse, neque naturaliter cognoſci poſse, niſi à ſuprema cauſa,quę ad eos mouet, & concurrit.

8 Aliud quod pro certo habendum dicitur,illud eſt,quod facultas diuinãdi, & præcognoſcendi ea futura, quæ habẽt determinationem in cauſis naturalibus, poteſt eſse naturalis; cùm enim poſſint naturaliter, ac perfectè illæ cauſæ cognoſci; in quibus continentur illa futura, poterit etiam eſse naturalis cognitio eorum,quæ in cauſis continentur;quod etiam ſuo modo dicendum eſt de ſignis naturalibus, cum quibus euentus,vel effectus futuri naturaliter connectuntur; ac propterea plura diximus ſupra poſse de rebus futuris diuinari,eiſque etiam fidem adhiberi, dummodo ſcilicet cõnexionem effectuum cum ſuis cauſis, vel ſignis non excedant; An verò ad prophetiam naturalem ſint ſemper redigenda illa, quæ prædicuntur ex aſtrorum influxu humores in hominibus commouente; præſertim Melancholiam; illa quoque quæ proferuntur in ſomnijs, vel ex ſomnijs, vel etiã ex repentinis quibuſdam furoribus; non ita certum eſt, niſi certò conſtet, ſupradicta tamquam cauſas naturales poſse agere in illos effectus; vnde

non

non eſt ità facilè admittenda illa doctrina, quam admittunt plures cum Ariſt. *in problem.* Albert. Magn. 3. *de anim. tract.* 1. Iamblic. *lib. de Myſter.* Plut. *lib. de oracul.* alijſque Philoſophis vetuſtioribus, quod ſcilicet ex complexione, temperie, atque humorum diſpoſitione ad faciliùs recipiendas cæleſtium corporum impreſſiones poſſint aliqui, velut lymphatico inſtinctu acti diuinare futura, quemadmodum aiunt quidam Sybillis, & Baccantibus contigiſſe; licet enim aliquis alio fortiùs, ac firmiùs recipiat aſtrorum impreſſiones, propria ſpectata humorum complexione, ac diſpoſitione, non proinde hæc ſola poteſt eſse cauſa phyſica, & naturalis eorum omnium, quæ ſæpè prædicuntur, & cum deficiat ordo iſte naturalis inter cauſam, & effectum, qui prędicitur, illa prædictio numquam erit dicenda Prophetia naturalis, quod ſatis experimento innoteſcit, præſertim in Melancholicis, in quibus frequentiores eſse ſolent eiuſmodi diuinationes ſemper mala maiora augurantes, quæ tamen non eueniunt; quo fit eorum vaticinia nullius roboris eſse debere, ſi ſola ſpectetur natura, quæ tantum audere, nec aſsequi poteſt.

9 Verum tamen eſt, idque præſertim contingere ſolet, in furentibus, & melancholicis, inter multa, quæ pronunciantur ab ipſis, ſæpè aliqua vera prędici poſse, quæ tamen prædictiones neque naturales dici poſsunt, cum non habeant cauſam naturalem determinatam, neque ſupernaturales, cum nõ fiant ex Dei inſpiratione; ſed erunt prædictiones quædam caſuales abſque ratione, ac fundamento latæ; non enim eſt mirum, quod quis aliquando collimet, ſi ſæpius collimatione intendat in ſcopum; ad quod prædictionum genus reuocandum eſt illud, quod naturale vocat Baldell. *tom.* 2. *lib.* 4. *de ſuperſt.* quod exercebant antiquitùs homines illi Phanatici, qui ſpecus, & antra incolẽtes reſpõſa dabant de futuris, & occultis; falsũ enim eſt ex illis antris, & ſpecubus emitti potuiſse vapores ſeù exhalationes aliquas, quæ phanaticos, & fatidicos homines faceret naturaliter, licet in ipſis agitaretur præcipuè melancholia, & atra bilis, vt vult Baldellus, cũ eiuſmodi humores naturales eò vſq. nõ pertingãt. Vndè licet admittamus plures fuiſse latas prædictiones de futuris à Phreneticis, furentibus, & melãcholicis, quas præſertim refert Petrus Apponẽſis in probl. Ariſt. has tamen admittimus potiùs tamquam fortuitas, & caſuales, quã velut naturales, licet ea humorum temperies in ſe, ac diſpoſitio fuerit naturalis. Non neganda eſt tamen aliqua facultas naturalis ſed purè coniecturalis ad præcognoſcenda etiam quædam futura libera, & contingentia, cum ex præteritis factis etiam futura quoquo modo, ſcilicet, coniecturaliter tantum argui poſſint; & hinc habetur diſcrimen inter Prophetiam ſimpliciter, quæ eſt ſupernaturalis, & Prophetiam ſecundum quid quæ eſt naturalis; hæc enim non ſe extendit, niſi ad illa futura, quę habent cauſas determinatas in natura; illa verò indifferenter ſe habet ad omnes effectus futuros, ſiue ſint neceſsarij in ſuis cauſis, ſiue liberi.

ANI-

ANIMADVERSIO II. THEOLOGICA

In malitiam Diuinationis.

10 EXTRA omnem dubitationem eſt apud Doctores, ac præſertim apud D. Th. *q.95.art.2.& 3.* quodcumque diuinationis genus, ſi fiat cum expreſſa, ſiue cum tacita dęmonis inuocatione eſſe ex natura ſua intrinſecè malum, atque ex genere ſuo ſemper peccatū mortale; dicuntur namque omnes eiuſmodi diuinandi modi prohibiti quia mali ex ſe; cuius doctrinæ rationem petit Suarez 1. *de relig. lib.2. de ſuperſtitione*, potiſſimum à medio intrinſecè malo, & prohibito, quo vtitur diuinatio, eſt namque diuinatio ſtudium prędſciendi futura, ſeu cognoſcendi occulta mediāte dæmonis ope & inuocatione, cum quo, cum ſit iuratus Dei hoſtis, numquam licet ſocietatem vel conſortium inire; Atque ex hoc plures aliæ malitiæ dicuntur in diuinationem corriuare, ſcilicet malitia ſubiectionis voluntariæ, quæ fit diabolo, cuius diſciplina quæritur; malitia tacitæ cuiuſdam idololatriæ ſaltem latè acceptæ, qua diabolo pręſtatur obſequium, quod ſoli Deo debetur, licet in eo diuina excellentia non agnoſcatur; malitia deniq. credulitatis, qua fides adhibetur diabolo, qui eſt pater mendacij. Ex grauitate autem criminis, & malitiæ, quæ reperitur in diuinatione, in qua interuenit dæmon, benè arguunt Valentia, Reginald. Sanchez, & Bonacin. apud Trullench. *in Decal. lib.1. cap.10.* non dari in hoc peccato paruitatem materiæ excuſantem à mortali; quæcumque enim dæmonis inuocatio, ſi ſeriò fiat, hoc eſt ex aduertentia rei, quæ fit, ſecluſa ignorantia, malum grauiſſimum eſt, quo multiformiter læditur Deus; licet autem valdè difficile ſit in eiuſmodi diuinationibus ignorantia inuincibili detineri quemquam; ſi tamē hoc eſſet; potens eſſet illa ignorantia à mortali excuſare, ſicut in reliquis criminibus. Vbi aduertendum, quod ſi in exercendis diuinationibus diuinātis intentio nō ſit ſuperſtitioſa, ſed ijs tantū diuinationibus vtatur ioci cauſa ad capiendum oblectamentū, cōtempto dęmone cū artibus ſuis, in hoc caſu nō dicitur diuinās peccare mortaliter; hocq. ego affirmo, nō quia ex hac parte poſſit imminui malitia diuinationis, vt volunt plures Doctores cum Sanch. *loco cit. Decal. c. 38.* aſſerentes in eo caſu fieri tantum peccatum veniale contradicentes ſibi metipſis, cū ſupra docuerint nullam dari paruitatem materiæ in diuinationibus modo explicato; ſed quia ſic vtentes diuinationibus, verè non diuinant, nec intendunt diuinare, ſed potius diuinationem derident, ex quo videntur ab omni culpa excuſari.

11 Vt verò apertiùs cognoſcatur de

B vniuſ-

vniuſcuiuſq. diuinationis malitia, ratio quædam malitiæ generica in vnaquaque diuinatione cogitanda eſt, atque ex hac vt ſcitè ſatis aduertit Sanchez 2. *Decal. cap.* 38. particulares malitiæ facilè innoteſcent; eſt namque primo animaduertenda in diuinatione propoſitio rei, quæ diuinatur cum medio, per quod diuinatur; ſecundo natura, & modus ipſius diuinationis; tertio intentio ipſius diuinantis; ſi medium per quod diuinatur, neq. ſit cauſa rei, quæ diuinatur, quomodo ſe habet, ex. gr. cauſa motus Cæli ad diuinandas Ecclypſes; neque ſit illius effectus, quomodo ſe habet fumus ad diuinãdum ignem latentem, tunc diuinatio ſemper erit ſuperſtitioſa, atque ex ſua natura sẽper mala, ac prohibita; nam eo ipſo quod medium diuinandi non habet naturalem, & neceſſariam connexionem cum re diuinata, conuincitur eam habere ex inſtitutione, & placito alicuius cauſæ intelligẽtis; & quia certum eſt, quod eam non habet ex inſtitutione, & placito Dei, ſaltẽ vniuerſaliter, & quoad omnes effectus etiam liberos, & merè contingentes; Siquidem Deus ipſe in Scripturis ſacris ſæpè prohibet diuinationes eiuſmodi, conuincitur, inquam, ſolum habere ex inſtitutione dæmonis, & hunc ſeſe immiſcere in tradenda notitia, & in ponendo euentu rei diuinatæ. Sic ſi medium ſit aptum dumtaxat fundare diuinationem coniecturalẽ, & incertam, & tamen qui illo vtitur putet ſe diuinare certò ex modo ipſo, & ex natura talis diuinationis, ſemper illa diuinatio mala cenſenda erit, ac ſuperſtitioſa; quemadmodum etiam erit ſuperſtitioſus ille diuinator, qui licet vtatur medio cognito inani, inutili, atque ridiculo, intendit tamen verè & ſeriò diuinare; ſecùs ſi ſolùm iocosè, & relaxandi animi gratia. Ratio autem malitioſæ ſuperſtitionis in quacumq. diuinatione petenda eſt ex cultu, qui dæmoni exhibetur, ac Deo detrahitur, vt ſciantur, aut quærantur illicita; qua de cauſa dicitur diuinatio habere malitiã oppoſitam virtuti religionis, vt benè notat Suarez 1. *de relig. lib.* 2. *cap.* 8. cum cognitio certa rerum per ſe occultarũ ſit propria Dei, atque illam à dæmone petere, ſit dæmoni tribuere, quod eſt propriũ Dei, ac quodammodo agnoſcere in Dæmone excellentiam quamdam diuinitatis ex hac parte, ex qua à multis diuinatio vocatur tacita quædam Idololatria. Verum tamen eſt, cum in diuinatione plures actus peccaminoſi poſſint interuenire, non omnes illos continere malitiam oppoſitã religioni ſatis notum eſſe, ſi enim quis appeteret occulta ſcire quocumq. modo per conſenſum etiam deliberatum, in hoc actu eſſet quidem malitia peccaminoſa, at non oppoſita virtuti religionis, cum nullus illicitus cultus interueniret, neque fortaſſis talis illiciti cultus affectio; poſſet namque in illo actu eſſe quædam illius deteſtatio explicita; & quod affirmatur de hoc actu poteſt de alijs etiam qui poſsũt in diuinatione interuenire affirmari; qui tamen formaliter non eſſent appellandi actus diuinationis, ſed actus in alijs criminũ ſpeciebus; nam diuinatio quatenus talis formaliter ſemper dicitur oppoſita religioni, quatenus creaturis obſequium tribuit, quod eſſet ſoli Deo tribuendum.

ANI-

Digitized by Google

ANIMADVERSIO V. THEOLOGICA

In Prohibitionem Diuinationis.

12 DOCET Caiet. ex D. Th. 2.2. *q.95.art.2.* diuinationẽ ſuperſtitioſam eſſe ex illis malis, quæ ideò prohibētur, quia ſunt intrinſecè mala; rationemque huius doctrinæ petit ipſe à medijs intrinſecè malis, & illicitis, quibus vtuntur diuinatores ad ſciēda, quæ naturaliter ſciri non poſſunt, inter quæ media idem Caiet. commemorat ſecretam quamdam virtutem demoniacam, quæ in illis omnibus continetur, licet à pluribus ignoretur, vel ſaltem non animaduertatur; vnde colligit eiuſmodi ſuperſtitioſę diuinationis genus eſſe omni iure prohibitũ, tum iure naturæ, tum iure diuino in vtroq. teſtamēto veteri, & nouo, tùm etiã ipſo iure Eccleſiaſtico, quod patet ex ſacris Concilijs, Bullis Pontificijs, & ſacris etiam Canonibus, apud Doctores, præſertim apud Simanc. *de Catholic. Inſtitut. tit. de diuinat. & titul. de ſortileg. & de ſuperſtit.* An vero vna, & eadem ſit ratio prohibitionis intrinſecæ, & naturalis, vt ita dicam, & prohibitionis extrinſecæ, ſcilicet poſitiuæ & Eccleſiaſticę, non ſatis adhuc compertum eſt apud ipſos Doctores, qui licet in hoc conſentiant quamcumq. prohibitionem indicare malitiã in re prohibita, cum tamen in rebus intrinſecè malis eiuſmodi malitia nòn oriatur à prohibitione, quemadmodũ oritur in rebus tãtum malis extrinſecè, & ex prohibitione, ex hoc fit quod ſit etiam diuerſa prohibitionis ratio; quare quæ extrinſecè tantum prohibita ſunt, quandoq. non prohiberi, & non eſſe mala; ſecus verò quæ intrinſecè prohibentur ex interna, atq. immutabili malitia; quo etiam fit vt lõgè maior ſit malitia, grauiùſq. peccatum in rebus intrinſecè prohibitis, quam in extrinſeca tãtum lege vetitis, ac propterea etiam grauiùs delinquere eos, qui contra præcepta negatiua delinquunt, quam qui contra poſitiua, cum in negatiuis duplicata quodammodo inueniatur prohibitio, quæ nòn inuenitur in poſitiuis; Quidquid hic reclament aliqui Doctores aſſerentes per multiplicem impoſitã legem rem aliquam vetantem non augeri malitiam trangreſſionis, cum vni prohibitioni, quæ rem iam facit malam, nihil mali addat altera adueniens prohibitio, nã quælibet prohibitio lata ab habente poteſtatem prohibēdi ſuam peculiarẽ malitiam inducit, cum non ſit maior ratio cur vna prohibitio inducat, & nõ altera; hæc ſunt valdè obſeruãda pro quamcumque re vetita, atque in quacumq. materia legis, & prohibitionis.

Si verò diuinatio etiam rerum occultarũ, & futurarum fieret tantũ me- 13
dijs vanis non illicitis, ac per ſe malis ad quãdam ſciētiæ comparationẽ, vel

ad aliquem alium honeſtum finē, nimirum ad obſiſtendum malo, quod occultè, ſeù ex cauſis occultis poſset alicui imminere, tunc talis diuinatio nullo iure cēſenda eſt prohibita, cum nequeat eſſe mala neq. ratione finis, neque ratione mediorum; hoc genus diuinationis nunquam ſuperſtitioſum habendum eſſet, licet, vt ſcitè aduertit Caiet. ſuprà, poſſit eſſe vanum. Cęterùm in dignoſcenda diuinationum malitia, vel prohibitione animaduertēdum eſt ex eodem Caiet. & ex Suarez *cap.* 11. eas eſse diuinationes prohibitas, & ſuperſtitioſas, quæ nec diuinæ authoritati, nec naturali connexioni effectuum cum ſuis cauſis, nec cauſarū cum ſuis effectibus cohærent; atque ad huius rei notitiam ampliorem comparandam erit diſcurrēdum ſuis locis per ſingula diuinationum genera, in quibus peculiares cuiuſcunq. malitiæ, & prohibitiones proferentur; & hæc in vniuerſum hic tetigiſſe ſat eſt.

14 Duo inſuper circa prohibitionem diuinationum animaduertenda ſunt; primum non eſſe prohibitum præſagire ſibi ex aliquo euentu malo, aliquem alium euentum malum poſteriorem, itaut ex illo præſagio homo ſibi in poſterum prudentiùs caueat; poteſt ſiquidem homo, vt docet Caiet. *q.* 96. 2.2. & ex ipſo Baldellus *tom.* 2. *Theol. Moral. lib.* 4. *diſput.* 3. accipere vnum euentum tanquam ſignum deterioris euentus, præſertim ſi criminibus, & ſceleribus ſit onuſtus, vel irretitus, poteſt enim cogitare Deum ſcelerum punitorem velle per malū deterius illatas iniurias vlciſci, primumque malum fuiſſe poſterioris nūcium, & monitorem; quapropter homo iſte non eſset damnandus ſuperſtitionis, ſed laudandus prudentiæ, cum rationabiliter præſagiat, ac ſibi mala diuinet, dummodo tamen animum vanis timoribus, ac certa omnimodè credulitate impleat, non enim vt optimè inquit D. Aug. *lib.* 2. *de Doct. Chriſt.* poteſt certò ſcire, quid agere velit Deus. Alterum eſt non eſſe prohibitum dęmonum interrogare ad aliquem honeſtum finem, vt nobis aliquid prænunciet, quod vel nobis ipſis vtile ſit, vel alijs; idque docet D. Thom. 2.2. *q.* 95. *in reſp. ad* 1. nam etiam 5. Marc. Euangeliſt. habet, quod Chriſtus dæmonē interrogauit de nomine, quod haberet; quod tamen cum duplici cōditione intelligendū eſt ex Reginald. *lib.* 17. *num.* 167. nimirum, vt ſolum in nomine Dei dæmonem adiuremus, & ſic compellamus diuina virtute, vt vera dicat, & nos non decipiat; & prætereà vt ſolum id faciamus ex iuſta cauſa ſcilicet vel vtilitatis propriæ, vel aliorum; ex quo tamen non ſequitur aliquando poſſe eſſe licitum dæmonem inuocare ad aquirendam occultorum cognitionem, vt optimè concludit D. Th. loco cit.

ANI-

ANIMADVERSIO VI. THEOLOGICA

In Pœnas Diuinationis.

15 IN omni Iure, tum diuino, tũ humano legimus plures latas eſſe pœnas ad punienda diuinationum crimina, quæ non modo ipſos diuinatores dicuntur afficere, ſed etiam ipſos conſulentes ad futurorum, vel occultorum reuelationem; Sic ex lege veteri *Leuit.* 20. ſtatutum eſt, vt diuinatores pœna mortis punirentur, atque lapidibus obruerentur, vt ſanguis eorum eſſet ſuper illos; & etiã ex *Deut.* 18. tam diuinantes, quam alij, qui eos conſulerent, dicuntur eſse delendi de numero viuentium. Ex Iure quoque ciuili L. Etſi C. de Malef. qui artem diuinandi exercent, dicuntur eſſe ſubijciendi tormentis, etiamſi ſint in dignitate conſtituti; & L. Nemo eodem Titulo dicuntur eſse gladio puniendi, & L. Nullus C. eodem dicuntur eſse concremandi. Denique in Iure Canonico ſæpiſſimè vt teſtatur Azor. *p.* 1. *lib.* 9. *cap.* 26. *q.* 3. dicuntur eſse excomunicandi; & ſi eorum diuinatio manifeſtè contineat, aut ſapiat hæreſim, etiam de facto dicuntur excomunicati tamquam Hæretici, ſaltem in foro externo, vt ſubdit ibidem Azor. quamquam in foro interno, ſi verò non ſint hæretici, non ſint de facto excomunicati, ſed ſolum ſint excomunicãdi, vt etiam ex communi ſententia probat Bonacin. 1. *Decal. diſp.* 3. *q.* 5. *puncto* 3. contra Reginald. *lib.* 17. *num.* 167. Quo autem modo ſint ſpecialiter de facto excomunicati ex Bulla Vrbani VIII. qui futura, vel occulta ſpecialiter diuinant ex aſtris, dicemus infra, quãdo agemus de hoc diuinationis modo.

In qua re eſt animaduertendum, 16
quod licet afferatur in cõtrarium traditæ doctrinæ quædam Conſtitutio Ioannis XXII. quæ habetur in Directorio *Inquiſit. p.* 2. *q.* 43. *num.* 8. & apud Tabienã Verbo Excomunicatio, in qua ipſo facto excomunicantur omnes, qui Dæmonibus immolant, eoſque adorant, qui fabricant, aut fabricari procurant imagines, annulos, ſpecula, phialas, vel aliam quamcunq. rem magicè ad Dæmones ibi alligãdos, ab illis petentes, & accipiẽtes reſpõſa, & auxilia poſtulantes; & etiam qui habuerint, vel tenuerint libellos, vel Scripturas quaſcunque de præfatis erroribus aliquid continentes &c. dicta tamen cõſtitutio ſaltem quoad hanc pœnam excomunicationis latæ ſententiæ non fuit vſu recepta, vt notat Suarez *de ſuperſtit. cap.* 19. *num.* 6. & Sanchez 2. *Decal. cap.* 38. *num.* 91. Quin dicitur expreſsè reuocata per Bullam Sixti V. in qua Diuinatores, & Incantatores ſolum dicuntur eſse puniendi ab Inquiſitoribus; neque vlla pœna ijs infertur de facto;

Quem-

Digitized by Google

Quemadmodum etiam de Excommunicatione latæ ſententiæ contra eos, qui habuerint libros de eiuſmodi incantationibus expreſsè dicitur illa cōſtitutio reuocata per Bullam Pij IV. ad Indicem lib. prohib. & quamuis in huiuſmodi Bullis Sixti V. & Pij IV. non fiat mētio dictæ Conſt. Io. XXII. adhuc tamen cenſeri poteſt eſse per illas reuocata, cum Princeps non cenſeatur ignorare Iura ad ſuum regimen ſpectantia, & ideo eo ipſo, quod aliquid ſtatuit contra illud Ius, cenſeatur illud reuocare, etiamſi de illo mētionem non faciat, quemadmodum dicitur in Legum abrogatione; Neque in hac re magnifaciendus eſt Tabiena, qui dictam conſtitutionem admittit, vt vſu receptam, & per omnes illius caſus ait incurri excommunicationem latæ ſententiæ; cum in contrarium ſint alij Doctores communiter apud Suarez *cap.* 19. *n.* 3. Atq. eodem modo non multum videtur vrgere ex Iure communi *cap. Si quis* 26. *q.* 5. vbi Arioli, & Incantatores excomunicātur, neque enim talis loquendi modus ſemper importat latam ſententiam, ſed aliquando tantum præcipitur, vt feratur, quemadmodum benè notat Nauar. *Manual. cap.* 27. *num.* 12. & idem valet, atque excommunicetur, vel fiat excomunicatus, vt notat Gloſs. *in Cap. Si quis ex Clericis*, & in *Cap. Nullus iudicium*, & in *Cap. Si quis eorum*; colligitur namque ex alijs textibus illum eſſe ſic explicandum.

Ex quibus cōſtat diuinatores quoſcunque ſiue alligantes, ſiue inuocantes dæmones ad vaticinia fundenda non eſſe ipſo facto excomunicatos, præcisè qua diuinatores ſunt, cum non inueniatur in Iure communi lata ipſo facto hæc excomunicatio; vt tenent Azor. Leſſius, Suarez, Sanchez, Souſa, & alij plures, qui volunt hoc idem eſſe intelligendum etiam de Clericis vtentibus ſortibus diuinatorijs, quod & nos fuſiùs ſuo loco tractabimus. Intelliguntur tamen ipſo facto excommunicati, ſi cum diuinationibus admiſceatur error cōtra fidem, ſicque sūt excommunicati tamquam hæretici, non tamquam diuinatores; qua ſola ratione Inquiſitores poſsunt de diuinatoribus cognoſcere eoſque punire; cenſentur autem vt plurimum hæretici diuinatores abutentes Sacramentis, alijſque rebus ſacris, & etiam Dæmoni tribuentes, quod proprium eſt ſolius Dei; de qua re videndus eſt Simanc. *in Cath. Iuſtit. de diuinat. Tit.* 21. De eo verò quod refert Barboſa *in Collect. Bullarij V.* Aſtrologia eſse nimirū quamdam Vrbani VIII. Conſtitutionem quæ incipit Inſcrutabilis excomunicantem ipſo facto omnes Aſtrologos Iudiciarios videndus eſt Trullench. 1. *Decalog. dub.* 3. 17

ANI-

ANIMADVERSIO VII. THEOLOGICA

In credibilitatem Diuinationis.

18 NONNVLLÆ ſunt diuinationes, quæ dicuntur à Theologis ex ſui natura credibiles, eo quod ipſis inſit credibilitatis ratio fundata in rei veritate, quod res ità ſit, aut ſaltem eſſe poſſit; cuius generis diximus eſſe diuinationes omnes, quæ haberi poſſunt ſpectata naturæ vi in ordine ad ſuos effectus, cum quibus aliquam connexionem retinet. At præter diuinationes eiuſmodi in quibus nullam habet partem ſuperſtitio, aut virtus dæmoniaca, cæteræ omnes dicuntur prorſus incredibiles, cum ab authore mendaciſſimo proficiſcantur, & nullam cohærentiam habeant cum ratione, aut cum veritate; & licet ſæpe ſæpius in diuinationibus eiuſmodi ſuperſtitioſis, aliquid quæratur à Dæmone, vel per inuocationem, vel per pactum, vel per conſultationem, quod ab ipſo Dæmone ſciri poteſt, vtpotè ipſius intelligentiam non excedens, non propterea cenſendum eſt illud fieri ex natura ſua credibile, cum eo ipſo quod à Patre mendacij proficiſcatur ſuſpecta fiat omnis rei credibilitas; quare cenſere aliquid credibile, vt ore Dæmonis prolatum, etiamſi aliunde poſſit eſſe credibile, ſemper peccatum eſt, cum ſemper homo per illam falſam exiſtimationem ſe periculo exponat diabolicæ deceptionis, quæ vitabile damnum inferre poteſt: Non peccaret tamen hoc crimine, qui rem crederet etiam à Dæmone prolatam, dummodo res illa haberet aliũde credibilitatem, ratione cuius præciſè homo moueretur ad credendum, præciſa Dæmonis prolatione.

19 Animaduertẽdum tamen, quod ſi Dæmon virtute diuina cogeretur ad aliquid reuelandum, vt ſæpè contingit in miniſtris Eccleſiæ, tunc illa reuelatio etiamſi facta à Dæmone, credibilis euaderet, non ipſius reuelantis authoritate, ſed Dei cogentis poteſtate; Tunc enim cenſeretur Dæmon vera proferre, cum non poſſit aliter agere, ſic imperante virtute diuina. Poteſt tamen Dæmon etiam in his caſibus tot falſa admiſcere veris, vt veritatem ipſam ſuſpectam faciat, quod ſæpè obſeruatum eſt in arreptijs, & obſeſſis, in quibus ab exorciſtis interrogatus Dæmon ex Dei authoritate multa quidem vera protulit, multis tamen falſitatibus admixtis; in qua re valdè cauendum eſt, præſertim cum agitur de fide dæmoni adhibenda in caſibus grauioribus, qui poſſunt accidere, quamplures enim in hoc deceptos eſſe refert Martin. Delrio *in diſquiſit. Magic.*

20 Reliquæ etiam futurorum prædictiones, vel occultorum reuelationes

non

non ità facilè credibiles cēſendę ſunt, licet ferantur à perſonis, quæ Sanctiſſimæ reputentur; quamuis enim per ſanctos multa Deus reuelauerit, ac poſſit reuelare, niſi tamen conſtet per probatiſſima ſigna de ſanctitate eiuſmodi reuelantium, ſuſpectæ reuelationes cenſendæ ſunt, cum in his ſæpe ſæpius Angelus tenebrarum transfiguret ſe in Angelum lucis; Idque animaduertit expreſsè etiam Simanc. *in Cath. Inſtit. Titul.* 21. vbi agit de improbis reuelatoribus, qui Dæmonum ope, & illuſione ventura prædicunt, afferens exemplum multis ſæculis memorandum cuiuſdam puellæ Cordubenſis, quæ à teneris vnguiculis in Cœnobio arctiſſimo, ac religioſiſſimo incluſa tanta ſanctitatis ſpecie fulgebat, vt ab omnibus putaretur eſſe Sanctiſſima, quæ multa in dies vera prædicebat, & multa paſsim ſigna faciebat, & continuis penè reuelationibus affluebat, eò vſque, vt ciues Cordubēſes, viros alioqui ſagaces, & cautos per triginta, & eo amplius annos mirè ſuſpenſos ſui admiratione teneret; nec eos dumtaxat feſellit, ſed omnes ferè Chriſtiani Orbis Principes eadem ſimulatione decepit, donec tandem grauiſsimo morbo affecta, dæmonem illum, cuius execranda ſocietate omnia illa peragebat, Omnipotentis Dei gratia reuelauit, ne populo Chriſtiano diutiùs illuderet; ipſaque ab Inquiſitoribus comprehenſa, & ad ſinum Eccleſiæ reſtituta, in aliud Cœnobium detruſa, vitam piè, ac religiosè tranſegit: In eiuſmodi verò deceptorias reuelationes ſolent, vt plurimum incidere mulieres fatuæ, vel improbæ, & ideo qui illas facilè credibiles exiſtimant, peccant crimine leuitatis, & imprudentiæ, pluribus ſæpe malis per vanã credulitatem cooperantes; quapropter optimè docet Richard. de Sanct. Vict. ſuſpectas habendas eſſe omnes futurorum, vel occultorum reuelationes, quæ vel teſtimonio Dei, vel Sacra Scriptura, vel ratione manifeſta nō probentur præſertim cum ſupernaturalia, vel occultiſsima reuelantur. Addo incredibiles eſſe putandas omnes illas reuelationes, quæ vel omnino inutiles ſunt, vel de rebus leuioribus feruntur, vel ad ſalutem animarum nullo modo ſpectare dicuntur.

ANI-

ANIMADVERSIO VIII. THEOLOGICA

In credulitatem, quæ adhibetur in Diuinatione.

21 EX damnata in diuinatione ſuperſtitioſa credibilitate ſatis argui poteſt, quomodo etiam ſit damnanda fides, & credulitas, quæ eidem diuinationi ſuperſtitioſæ ſolet adhiberi, & qua etiam culpa ſit afficienda; licet enim, vt optimè docet Leſſius *lib. 2. de ſuperſtit. dubit. 7.* licitum ſit adhibere fidem illis omnibus diuinationibus, quæ aliquod fundamentum habent in natura, nec ſunt vllo modo ſuperſtitioſæ, illicitum tamen ſemper erit, vt doctiſſimè aduertit Suarez *lib. 2. de ſuperſtit.* tum ex parte modi credendi, tum ex parte rei creditæ credulitatem præſtare ijs diuinationibus, ſeù vaticinijs, quibus ex ſuperſtitione dicitur ſe dæmon immiſcere. Vbi notandum eſt aliud eſse credere, quod dæmon poſſit quædam ſcire, & reuelare, aliud verò credere ipſi reuelanti, & prædicti medijs ſuperſtitionibus; primum omni culpa vacare poteſt, præſertim in ijs, qui benè norunt virtutem dæmonis, & quouſque illa virtus, eiuſq. intelligentia ſe poteſt extendere; eſt enim fides illa fundata in cognitione, & notitia quadam proportionata, quę omne crimen excludit; ſecundum nũquam extra ſcelus eſse poteſt, cum dæmon nulla ſit fide dignus, vt reuelans; quin imo ſi crederetur quod reuelat dæmon tamquam res infallibilis, atque adeo in eius obſequium captiuaretur intellectus, docet Suarez hoc ſcelus vel ad Idololatriam, vel ad Infidelitatem, vel ad hæreſim pertinere, nam crederetur Dæmoni tanquam Deo, eſsètque error in intellectu omnem fidem diuinam obliterãs, ex qua habemus ſoli Deo credendum fide diuina, ac dæmonem eſse fallaciſſimum, & eſse creaturam æterno ſupplicio damnatam.

Citrà verò plenam fidem, atq. indubitatam credulitatem, quæ diuinationibus ſuperſtitioſis abſq. graui culpa adhiberi non poteſt ex conſenſu omnium Doctorum, non erit ſemper mortale peccatum quamdam imperfectam fidem ijſdem diuinationibus præſtare, quæ tamen fides imperfecta potius dicitur quidã conceptus timor de futuris euentibus ortus ex obſeruatione præteritorum, quam vera fides, Sic videntur docere Suarez, Caietan. Leſſius, Sanchez, Delrius, Layman, & alij apud Baldell. *lib. 4. de ſuperſtit.* qui tamen etiam addunt eſſe rem valdè periculoſam etiam cum leui credulitate dare operam eiuſmodi diuinationibus; ſi quidem dæmoni datur occaſio in peiora ſemper pertrahendi, atq. 22

C pau-

paulatim inducendi habitum creduli-tatis firmiorem. Quod præſertim no-tauit S.Th.2.2.*q*.95.*artic*.4. Similiter veniale tantum peccatum erit obſer-uare ſomnia, auguria, ſortes, auium cantus, ac volatus, & reliqua eiuſmo-di, ex quibus diuinatio haberi poteſt, non habẽdo illis fidem tamquam cer-tis, neq. definitum aſſenſum præben-do de futuro euentu malè ominato; cenſetur enim id tantum fieri ex quo-dam timore præconcepto, cuius vi etiam ſine graui culpa ceſſare poſſu-mus ab aliqua actione inchoata, vel aliquod negotium nõ ſuſcipere; quod tamen intelligendũ eſt, niſi adſit ſcan-dalum, & niſi inducantur alij hoc exẽ-plo ad aliquam firmam credulitatem prædictis rebus adhibendam; Quem-admodum è contra definitè credere aliquem triſtem euentum ſecuturum propter vanam horũ obſeruationem, à graui culpa non poteſt excuſari, niſi maxima ſit ignorantia, & ruditas per-ſonæ; videtur namq. non leue malum ex huiuſmodi vanis obſeruationibus pendere, atque ad earum quaſi nor-mam actiones noſtras dirigere, quod tradunt plures Doctores præter ſupra citatos apud Fagundez *lib*. 1. *in* 1. *præcept. Decal. cap*. 36.

23 Hinc etiam colligendum, quod li-cet fortaſſe licitum ſit vti certis ora-tionibus, quæ vulgo circumferuntur, & in ſepulcro Hieroſolymitano re-pertæ finguntur, aut in alijs locis ſan-ctis in quibus promittitur recitãti ad-uentura felicitas vel in bello, vel in aqua, vel in igne, vel in morbis, ex eo quod orationes illæ poſſint eſse vnde-quaque bonæ, nulla ſcilicet continen-tes verba inania, vel de ſe apta ad in-uocãdum dæmonem, facta prius pro-teſtatione de non concurrendo cum pacto dæmonis poſito quod in illis ver bis lateret, quod præſertim docet Ca-iet. *in Sum. V*. Incantatio, dummodo orationes illæ ex ſola animi deuotio-ne recitentur, atque ex ſola bona ſpe in Deo conſtituta, reiecto firmo quo-dam aſsenſu, ac certa credulitate de-poſita ea recipiendi, quæ ſperantur; tamen ijs vti ſemper periculoſum cẽ-ſendum eſt, cum ſemper in rebus ſa-cris ſe immiſceat diabolus ad homi-nes decipiendos; vnde qui illis vtun-tur orationibus ſperatos euentus ex illis certò expectantes, putandi ſunt ſuperſtitioſè agentes, atq. à Confeſ-ſarijs corrigẽdi, quemadmodum mo-nent Sanchez, Suarez, Leſſis, Sylue-ſter, Armolla, Nauar. Philiarch. Fa-gundez, & alij quamplures, vbi agunt de ſuperſtitionibus; Quin imo addit Ciruelo *de ſuperſtit*. 2.*p.cap*. 11. Super-ſtitioſas, & vanas eſse omnes illas ora-tiones, in quarum titulis determina-tur numerus dierum, & vices, in qui-bus dicendæ ſunt ab obtinẽdas à Deo gratias inibi contentas; non enim po-teſt homo terminum Deo præſcribe-re vbi agitur de gratijs conferendis.

ANI.

ANIMADVERSIO IX. THEOLOGICA

In Diuinationem pacto, & inuocatione Dæmonis.

24 NON ſunt hæc duo inuicem permiſcenda, aut cōfundenda in diuinatione, vt plerique faciunt, nimitum pactum, & dæmonis inuocatio; licet enim ſæpè ſæpiùs vtrumque in ipſa diuinatione interueniat, & pactum, & inuocatio vel expreſsè, vel tacitè, fieri tamen poteſt, vt quandoque vnum ſine alio habeatur, quod doctè ſatis notauit etiam Suarez locis ſæpiùs allatis 5. *de rel.* poteſt namq. ad poſtulandam rerum occultarū cognitionē ſimpliciter dæmon inuocari ſine vlla promiſſione, vel pacto ex parte petentis, vel etiam cum pacto, & promiſſione, qua petens ſe obliget vel tacitè, vel expreſsè ad obſequiū dæmoni pręſtandum, ad perpetuam ſocietatem, vel ſubiectionem cū dęmone ſeruandam, vel ad aliquid aliud peragēdum: & quod dicitur ex parte petētis, poteſt etiā affirmari ex parte dęmonis reſpondentis, qui quandoq. pactū acceptat alienum abſq. vlla ſui obligatione, quandoq. etiam reſpondet, & agit quæ poſtulātur abſq. pacti, & promiſſionis acceptatione. Ego tamen exiſtimarē valdè difficile eſse dæmonem inuocare abſq. eo quod interueniat aliqua tacita obligatio ex parte petentis incundi, aut contrahendi ſocietatē cum dæmone, eamq. quoquo modo profitendi, cum per ipſam dæmonis inuocationem nō ſolum tacitè, ac virtualiter, ſed expreſsè ineat ſocietatem, quæ ex ſua natura quādam præſefert obligationem, non ſolum actualis ſubiectionis, ſed etiā aliquid aliud agendi iuxta leges initæ ſocietatis. Animaduertēdum tamen eſt aliud eſſe dæmonem inuocare, & cū illo paciſci, aliud ipſum dæmonem de aliqua re occulta ſimpliciter interrogare; nā dæmonis inuocatio ex ſua natura ſēper eſt mala, & nullo caſu poteſt eſſe licita, interrogatio autem aliquando poteſt eſſe bona, & etiam licita, præſertim ſi fiat ex inſtituto Eccleſiæ, atque ex eiuſdem authoritate, qua ſolent Exorciſtæ ſæpè dæmones interrogare, eoſq. compellere vi exorciſmorum ad quædam proferenda, quæ ad ſalutem arreptiorum, & obſeſsorum poſsunt conducere.

Cum igitur omnis futurorum euentuum, earumque rerum prænunciatio, quæ humano modo ſciri non poſſunt, cenſeatur ab hominibus fieri vi pacti expreſſi, vel taciti cum dæmone, addita inuocatione explicita, vel implicita, animaduertere neceſse eſt, quando detur expreſſum pactum Dæmonis, & quando tacitum, 25

& quando expreſsè, aut implcitè inuocetur; Solet autem illud pactum expreſſum à Theologis communiter nominari, cum illa duo expreſſis verbis ex vna, vel vtraque parte interueniunt, faciam, vt facias, vel facies, vt faciam, nimirum, inuocabis me, & dabis cultũ, & ego auxiliabor tibi; item pones talia, vel talia ſigna, aut hoc, vel illud facies, & ego ad poſitionem illorum, aut cum hoc, vel illud feceris, fauebo tibi, & hoc vel illud pro te efficiam. Sic dicitur expreſsè Dæmon inuocari virtute pacti expliciti, nõ ſolum quando expreſsis verbis ab illo auxilium requiritur, ipſeuè interpellatur; aut quando ipſa ſigna ponũtur, ipſouè facto ea fiunt, quæ quis pactus eſt; ſed etiam, quando ille, qui ſciens dæmonem per aliqua ſigna inuocari, & occulta docere, ea ſigna facit, vt de re aliqua ab illo edoceatur. Tacitè autem, & implicitè inuocatur, quando quis cognitionẽ, aut effectum alicuius rei ſoli Deo reſeruatum medijs vanis, & indebitis procurat; nam quãuis præter illius intentionem ſit dæmonem tunc inuocare, tamen eo ipſo, quod hæc media vana, & indebita portentat, quibus libẽtiſsimè Dæmon ſe permiſcet, vult à dæmone vanorum inuentore edoceri, & ab illo conſequi quod ſperat. Hæc de pacto expreſso, & tacito, atque de vtraque dæmonis inuocatione tacita, & expreſſa animaduertuntur à Suarez, Sanchez, Caiet. Sayro, Valentia, alijſque pluribus apud Fagundez *lib. 1. in primum præcept. Decal. cap. 3.*

26 Ex quibus inferẽdum eſt cum dæmone paciſci, ipſumqne inuocare, ſiue expreſsè per verba, per ſigna, & quocunque alio modo; ſiue tacitè, & implicitè ſemper eſſe peccatum mortale, & grauiſsimum ratione malitiæ, & deformitatis, quam ſuprà diximus diuinationem continere, quæ malitia, cum ei ſæpè iungatur etiam Hæreſis, & apoſtaſia à fide; imo multiplex aliud crimen, accuratè eſt examinãda à confeſsarijs, vt cognoſcant, qua ratione ſit talis malitia punienda, & etiã an vlla ratione ſit excuſãda, quod ſolum contingere poteſt, vel ex ſumma ignorãtia, quæ dicitur inuincibilis, vel ex minima aduertẽtia, vel ex maxima animi leuitate, vt eſt in mulierculis; Vnde qui vtitur huiuſmodi ſignis diuinatorijs, quæcunq. ſint, nõ eſt excuſãdus à malitia ſuperſtitionis per hoc quod proteſtetur ſe nullã cũ Diabolo habere velle ſocietatem, neque aliud velle ſcire magiſtro Diabolo, ſed illis ſignis velle vti tantummodo, vt faciat experientiã cognoſcendi occulta, quã priùs fecerũt alij plures, nam hæc proteſtatio eſt contraria facto, & qui ſic proteſtatur interpretatiuè, & verè vult ſcire occulta ab ipſo Diabolo, quod declarat facto ipſo vſurpationis taliũ ſignorũ; Secus verò ſi proteſtetur, quod nolit vti illis ſignis tamquã inſtitutis ad cognoſcẽda occulta, ſed ſolum ad aliquem alium finem; quia talis proteſtatio non eſt contraria facto, dum factum ipſum directè excluditur, ſed dicitur proteſtatio contraria pacto ſaltem tacito cum dæmone deponẽdo effectu, quando ponuntur illa ſigna; quæ doctrina eſt Caiet. *in Sum. V. Incantatio*, vbi affert exemplum cuiuſdam experimenti à ſe facti.

ANIMADVERSIO X. THEOLOGICA

In obſeruanda in pacto, & iuuocatione Dæmonis.

27 IN ſuperſtitione diuinandi futura, & occulta cognoſcendi per auxilium Dæmonis, quæ modo fit, vt dictum eſt, per expreſſam illius inuocationem, modo vero per tacitam ſolum, animaduertendum eſt, quod licet aliquãdo interueniat ex parte hominum promiſſio explicita faciendi hoc vel illud in obſequium dæmonis, ſi doceat, & reuelet occulta, aliquando etiam ante promiſſionem ipſa obſequij exhibitio per ſacrificia, ſuffitus, & id genus alias oblationes, quandoque nihil omnino horum omnium interuenire, ſed ipſum dæmonẽ ex propriæ voluntatis peruerſitate, & ſtudio nocendi hominibus, præſertim ijs, quos aduertit eiuſmodi inquiſitionibus occultorum nimis addictos, ſe illis ingerere, atque immiſcere, homines ipſos ad vanas illas curioſitates ſpontè excitando, atq. extimulando; quibus excitationibus, & impulſibus dæmonis, ſi homines conſenſu tãtum reſpondeãt, nullo opere adhibito ad diuinationem ordinato, peccant quidem grauiter, at non peccato ſuperſtitionis, in qua ſemper ſunt adhibenda media vana, & inutilia ad diuinandum; vnde homines eiuſmodi, licet conſentiant dæmoni interiùs ſuadenti, ac quodammodo per conſenſum acceptent, quod dæmon promittit, cum tamen nullum verum pactum de aliqua re agenda interueniat, ac nulla prorſus dæmonis inuocatio, nulla quoque hic erit diuinatoria ſuperſtitio; quæ doctrina licet à quibuſdam Doctoribus non admittatur, tamen vera eſt, ſi vera ratio ſuperſtitionis in quocumque genere examinetur, maximè diuinatoriæ.

Sic, qui à dæmone peteret eam notitiam futurorum, quæ reuera non eſt 28
propria Dei, ſed poteſt haberi etiam à dæmone, vt, verbi gratia, certam notitiam Eclipſium, coniunctionum, vel oppoſitionum, quæ fiunt in aſtris, aut ſimilium effectuum, qui habent cauſas neceſſarias, & infallibiles, vel etiam eorum, qui habent cauſas naturales quidem, ſed per accidens impedibiles, vt ſunt pluuiæ, ſiccitates, vel ægritudines; vel denique etiam eorum, qui ſolum ex coniecturis poſſunt probabiliter colligi à dæmone, vt ſũt actus liberi, quos dæmon ex cognitione noſtrarum inclinationum, atq. ex obſeruatione, & experientia præteritorum poteſt coniectare, probabile eſt, quod propriè loquendo non committeret peccatum ſuperſtitionis diuinatoriæ, ſed ſolum aliud peccatum

contra

contra aliam virtutem,habendo ſcilicet commercium, & ſocietatem cum dęmone, quod numquam eſt licitum, quod benè notarunt etiam Valent. Leſſius, & alij apud Suarez *cap.* 8. & Baldellum *lib.* 4. *diſp.* 3. *de ſuperſt.* non enim per eiuſmodi diuinationē agnoſceretur in Dæmone, aut illi aliquod tribueretur, quod eſſet propriū Dei, ſolum agnoſceretur in illo quædam excellentia naturæ, ſeù naturalis cognitionis, quæ ſit perfectior humana, quod cognoſcere in dæmone, illique tribuere nullum crimen eſt, cum tribuatur quod ipſi propriū eſt, eiuſque perfectioni naturæ conſentaneum; præſertim ſi homo profiteatur in hoc genere diuinationis ſe velle tantum à dæmone ſcire, quod ipſe aſſequi poteſt proprio ingenio; in qua re, ſi præſcindamus ab actibus liberis,atque ab actibus externis adorationis, & obſequij erga dæmonem, nihil perpetratur ſceleris contra Dei cultum; ſicut nihil mali committeretur ab eo, qui peteret aliquam notitiam rerum ſibi occultarum ab alio homine peccatore,& Dei inimico,qui illas ſciret,dum modo id formaliter non agatur in contemptum Dei, adhibendo ipſius hoſtem ad aliquid ſciendum, quatenus reduplicatiuè eſset Dei hoſtis, & inimicus. Et licet ex D. Th. 2. 2. *q.* 95. & ex Caiet. *ibidem* doceant Nauar. Suarez,Sanchez, & Layman. vbi agunt de ſuperſtitione quodcunque confugium ad dęmonem,vt reueletur occulta inuoluere obſequium, & cultum Dæmonis,ac propterea ad ſuperſtitionem pertinere, probabilius tamen eſt verè non cōmitti ſuperſtitionem, cum dæmoni non tribuatur cultus, vel obſequium, quod eſt propriū Dei, ſed illum tantum, quod ipſi Dæmoni conuenire poteſt;vnde talis homo ad Dæmonem ita confugiēs peccaret quidem crimine Leſæ Maieſtatis diuinæ, quia cōfugeret ad hoſtem Dei iuratum, ac perduellionis crimine irretitum; peccaret etiam contra charitatem, & contra ſe ipſum, qui ex commercio,& ſocietate cum Dæmone grauiorem ſibi parat ruinā, peccaret contra fidelitatem Deo debitam, & in Baptiſmo promiſſam de renunciando Diabolo, & operibus eius, cuius violatio poteſt dici pertinere ad quamdam proditionem, & apoſtaſiam.

In hoc tamen crimine diuinationis 29
prohibitæ,atque intrinſecè malę,licet non adſit malitia ſuperſtitionis propriè,& rigoroſè, eſt tamen vera malitia diuinationis, quæ præſertim ſumitur à medio illicito,quod ad diuinandum adhibetur, & etiam à pacto cum ipſo dæmone, qui enim petit à Diabolo notitiam futurorum euentuum licet naturaliū,facit in hac petitione quoddam pactum cum Dæmone ſaltem virtuale, quo obligatur ad ſubiectionem, quam debet profiteri diſcipulus cum Magiſtro, vel ſaltem ad ſocietatem, & amicitiam, quæ ſubiectio, ſocietas, & amicitia non poteſt non eſse peccatum, illudque grauiſſimum in alia ſpecie, licet fortaſſis non ſit in ſpecie idololatriæ, aut veræ ſuperſtitionis; ac tanta eſt diuinationis culpa, quocumque modo fiat Dæmone interueniente, ex Caiet. 2. 2. *quæſt.* 95. vt inferat certiſſimum ſignum damnationis æternę, quemadmodum enim conſuetudo cū

Ange-

Digitized by Google

Angelis in hac vita eſt inchoatio quędam æternæ beatitudinis, ſic ex oppoſito conſuetudo cum dæmone initium damnationis æternæ.

ANIMADVERSIO XI. THEOLOGICA

In Diuinationem ex præſtigioſis apparitionibus.

30 AD damnatum ſuperſtitioſæ diuinationis genus redigendum eſt illud, quod fit per præſtigioſas quaſdàm apparitiones, & locutiones, quibus dęmones ſępè futura prænũciant, aut manifeſtant occulta; dicuntur autem huiuſmodi apparitiones, & locutiones dæmonum præſtigia, quia hominum aſpectum, atque auditum illudentes, ſolent eorum ſenſus ita præſtingere, vt propriam illuſionem, & deceptionem ſemper ignorent, inducta etiam quandoque ipſi menti caligine; Quomodocunque igitur fiant præſtigioſæ apparitiones, & locutiones, ad diuinandum opera dęmonum ſemper habenda ſunt; neque illis vti vlla ratione licet ad diuinãdum, cum eamdem habeant malitiam, quam habent cæteræ diuinationes, quæ fiunt per dæmonum inuocationem, vnde in hac re nihil vlterius addendum eſt. Neque dæmones diuinantes medijs præſtigioſis apparitionibus, & locutionibus aliquid eo amplius diuinare poſſunt, quod ipſi ſciunt; quapropter etiã in hac re adhibenda eſt doctrina ſupra tradita circa ea, quæ pręſcire poſſunt dæmones, atque prædicere, vt apertiùs innoteſcat, quid huiuſmodi medijs illuſorijs poſſit diuinari; ſemper autem peccatum erit illis vti, etiã ſi obiecta ſciẽtiæ dæmonum proportionata, ſcilicet eorum intelligentiam, & cognitionem nequaquam excedentia quærerentur, quod ſcitè animaduertunt D. Auguſt. 3. *de Trinit.* D. Thom. 2. 2. *q.* 95. Caiet. *ibidem*, & Sanchez *in* 2. *Decalog.*

31 Solent autem fieri diuinationes ex præſtigioſis apparitionibus omnibus illis modis, quibus præſtigia ipſa ſolent hominibus apparere ope Dæmonis ad illudendum, qui modi tres recenſeri ſolent apud Doctores ex parte ſenſuum exteriorum, & ex parte ſenſuum interiorum. Ex parte ſenſuum exteriorum fiunt præſtigia diuinatoria, cum ipſis apparent quædam vera corpora non ſolum eoſdem ſenſus internos præſtringẽtes, & illudentes, ſed etiam ea prædicentes, quæ ſcire præſtigijs optamus; poſſunt namque dæmones eiuſmodi vera corpora efformare applicando actiua paſſiuis, eiſque motum tribuere, ac loquelam; fiunt etiam præſtigia diuinatoria per

ſolas

ſolas apparentes imagines nobis obloquentes, quæ diuinatione inueſtigamus; fiunt denique per ſolam commotionem imaginationis, qua putamus ea nobis reuelari, quæ verè non reuelantur; his omnibus diuinationes quærere, iiſque fidem adhibere ſuperſtitioſum eſt, & grauiſſimum peccatum; dummodo tamen adſit aduertentia malitiæ, & ſuperſtitionis, vt optimè aduertit Sanchez *loco citato*; Si enim præſtigia fierent à ſolo Dæmone à nobis per præſtigia non interpellato, neque illius fraudem in præſtigijs deprehenderemus, nulla nobis inureretur criminis nota.

32 Vna tamen pro præſtigijs doctrina excipienda nobis eſt à Philoſophis, & etiam à Theologis, & hæc eſt, non poſſe dæmones per ſe ipſos producere ſpecies rerũ ſenſibilium, quæ dicuntur ſpecies impreſsæ, & intentionales, ſicut nec poſſunt alijs mutationibus tranſmutare materiam, niſi per motum localem; ſed ſolum poſſe ex aere, & vaporibus corpora formare, quæ ſpeciem referant huius, vel illius rei, quod ſatis eſt ad conficiendas præſtigioſas apparitiones; quibus dæmones ipſi vti ſolent ad loquendum; & ſic explicat etiam Caiet. 2.2. *q.* 95. *art.* 2. apparitiones illarum imaginũ, quæ aliquando cernuntur opera dæmonis factæ per Hydromantiam in Phialis aqua plenis, vel in alijs Elementis; ac rebus inanimatis; ſat enim eſt in præſtigijs, quod aliquid appareat, quod ſenſus præſtringat, licet illud non ſemper ſit verum, reale, ac ſolidum corpus, ſed tantum fictitium, ſeu fictitia corporis imago.

ANI

Digitized by Google

ANIMADVERSIO XII. THEOLOGICA

In Diuinationem ex prǽſtigioſa ſanguinis apparitione in occiſi cadauere.

33 OPINANTVR pleriq. ſanguinis effuſionem, ſeù apparitionem, quæ ſæpe in cadauere occiſi pręſente occiſore contingit, non eſſe rē præſtigioſam, aut ſuperſtitioſam, ſed eam prouenire vel ex cauſa naturali, licet nobis ignota, vel ex cauſa ſupernaturali, ſcilicet ex diuina Iuſtitia, ad quam ſpectat eō miraculo tāti criminis reos detegere, vt magiſtratibus innoteſcāt, & puniātur; ac propterea aſſerunt iſti hoc modo velle de reis occiſionis, & homicidij diuinare non eſſe malum, neq. ſuperſtitioſum; quin hoc modo ſine culpa poſſe Iudices vti, vt torqueāt reos tortura, eaq. media in cognitionem criminis deducantur. At longè melius alij quamplurimi apud Vericellum noſtrum ſingularis doctrinæ virum *in quæſt. moralib. tract. 1. ſect. 2. 3. 4.* putant eſſe omnino ſuperſtitioſum, atq. præſtigioſum hunc diuinationis modum exercere, cum omnino pręſtigioſa ſit illa ſanguinis effuſio, ſeù apparitio in occiſi cadauere, ſcilicet ſemper dæmonis opera ad hominum perniciem concinnata; quam doctrinam ipſe libenter amplexatus omnes Iuriſperitorū experientias reijcio, quibus cnnanrur oſtendere eam ſanguinis effuſionem eſſe à cauſa naturali ex eo, quod ſēper illa ſuccedat præſente occiſore, eaq. ſit cauſa verè naturalis, qua poſita ſemper ponatur effectus; dico namq. in illis experimētis ſemper dæmonis præſtigia interuenire, cum nulla naturalis ratio ſuadeat in his partem habere naturam, vt doctè ſatis demonſtrat Vericellus *ſect. 2.* Addo, quod licet ſuaderent experimenta, & rationes illam effuſionē eſſe à cauſa naturali, cum tamen eiuſmodi cauſa ſit ſemper ignota, ſiue ſit qualitas quędam occulta impreſſa ab occiſore in cadauer occiſi, ſiue ſit antipathiæ vis, ſiue aliquid aliud, ſequitur incerta omnino eſſe illa experimēta, incertas etiā rationes, ac propterea ipſis non licere illa effuſione ſanguinis vti tanquam naturali iudicio ad ferēdum certum tormentum, & præiudicium, quo ſæpe affici poteſt innocens vir, cū ſemper ſatius ſit mille nocentes impunitos dimittere, quam vnicum innocentem condemnare iuxta *l. Abſentem ff. de pænis*; atque eo maximè debent Iudices ab his experimētis abſtinere, quod non ſemper occiſi cadauer coram occiſore ſanguinem emittat, vt teſtantur plures apud eundē Vericell. ac propterea non ſit illa effuſio cenſendum iudicium naturale; neq. ſit ibi cenſenda cauſa naturalis.

Eò verò præſertim intento vtitur diabolus præſtigioſa ſãguinis effuſione, vel apparitione, vt vindictæ deſiderium in ipſomet occiſi cadauere oſtendat, & ſic hominem perditum declaret; vt tali prodigio propinquos occiſi ad vltionem exritet, atq. inimicitias diutiùs nutriat; vt ſimplices homines decipiat, eumq. firmet in ipſis antiquorum errorem, quo credebãt animas occiſorũ adſtare corporibus, quæ cõmoto ſanguine vindictã peterent; deniq. vt oſtendat dæmon ſitim ſuam quam habet ſanguinis occiſoris, cum ad hoc tantum ſanguinẽ ex occiſi cadauere eliciat, vt occiſorẽ ducat in interitum, & damnationem. Igitur concludẽdum eſt hoc genus diuinationis omnino ſuperſtitioſũ eſſe, atq. in Eccleſia Dei abolendũ, cũ verè talis effectus non ſit à naturali virtute, neque à virtute diuina; ſed contingat per quãdam tacitam, & virtualẽ dæmonis inuocationem; cum enim adducitur inquiſitus ad pręſentiã cadaueris occiſi, nec poſſit mortuus ſuum occiſorem indicare, tacitè ea adductione dicitur inuocari dæmon, vt ipſe indicet, ac reuelet occiſorem, ſicut etiam alijs plurimis ſuperſtitionibus ſolet tacitè inuocari, vt fures oſtendat, & aliquid aliud ſimile operetur.

ANIMADVERSIO XIII. THEOLOGICA

In Diuinationem ex Aſtris, tamquam ex cauſis in vniuerſum.

35 CVM aſtra non minus cauſæ ſint quorumdam futurorum effectuum, qui fiunt in cælo, quam illorum, qui naturaliter contingunt etiam in corporibus inferioribus Elementorum, Plantarum, Animalium, & Hominum, vt ſunt pluuiæ, venti, tempeſtates, peſtilentiæ, mortes, & id genus alia, optimè docet D. Thom. *q. 95. art. 4. & opuſcul. 26.* ex profeſsò, & etiam *lib. 3. cont. gent.* poſſe de vtroque horum effectuum genere diuinationem efformari ex aſtris tãquam ex cauſis; Quomodo verò id abſque criminis nota fieri poſſit, in hac animaduerſione ſtatuendum eſt; atq. id pro certo habendum eſt, fuiſſe ſummopere congruum diuinæ ſapiẽtiæ, eodem S. Th. teſtãte, vt corpora inferiora, per ſuperiora regerentur in naturalibus, atque conſeruarentur; quo factum eſt vt ijſdem corporibus ſuperioribus virtus quædam collata ſit, qua tãquam cauſæ agere poſſent in hæc inferiora; & hoc modo videmus, quod per acceſsum, & receſsũ ſolis fiũt in anno diſtinctiones temporũ, & augentur in Elementis, & in alij corporibus primæ qualitates; & præterea multæ dantur generationes

mix-

mixtorum, quæ non ſunt ab vniuoco agẽte, vt ſunt productiones lapidum, & metallorum,& aliæ operationes viuentium, ad quas ipſa viuentia non ſunt ſe ſolis ſufficientia. Cum itaque in aſtris tãquam in cauſis naturalibus multi contineantur effectus futuri, qui etiã naturaliter in ipſis cauſis prænoſci poſſunt, non erit ſuperſtitioſum ex ipſis diuinationes efformare, eiſq. etiam fidem adhibere, quod præter D. Th. locis cit. docent etiã Caiet. 2.2. *q.*95. *art.*5. Pet. Nau. *de reſt. lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 27. Ferrar. *lib.* 3. *cont. Gent.* Suarez *de ſuperſtit. c.* 11. Azor. *p.* 1. *lib.* 9. *c.* 13. Leſſius *lib.* 2. *c.* 43. Sanchez 2. *in Decal. cap.* 38. Layman. *lib.* 4. *tract.* 10. Bonacin. 1. *Decal. diſp.* 3. *q.* 5. *punct.* 3. Baldell. *diſp.* 4. *de ſuperſtit.* & alij plures, qui omnes in id conſentiunt effectus ex neceſſitate euenturos in cauſis inferioribus per operationes aſtrorum, & corporũ inferiorum rectè poſſe in illis præuideri, & diuinari; quamquam non eadẽ certitudine, qua diuinantur Eclipſes, & illi effectus, qui sũt futuri in ipſo cælo, vt benè aduertit Pet. Nau. n. 27. ſiquidem illi ſolum dependent à motu ipſius cæli, qui ſemper eſt conſtans; & à nulla alia cauſa poteſt impediri naturaliter; cũ tamẽ alij effectus, qui ſunt futuri in inferioribus non ſolum pendeant à motu, & virtute cæli, ſed etiã à pluribus alijs diſpoſitionibus ipſorũ corporũ inferiorũ, à quibus poteſt impediri, & variari efficacitas cæli, & aſtrorũ, & per conſequens etiã falli humanũ iudiciũ, & diuinatio de futuris.

36 Si quis tamen interdũ excedat pro certis iudicando, quæ vix probabiliter cognoſcit ex aſtris, exceſſus iſte non eſt cenſendum crimen ſuperſtitionis, neque damnandum tamquam ſcelus contra religionẽ, ſed potius erit crimen imprudentiæ, & temeritatis cõtra virtutem ſtudioſitatis, quod præ cæteris Doctoribus ſcitè ſatis notauit Suarez *lib.* 2. *de ſuperſtit. cap.* 11. vnde ad diſcernendum an diuinationes ex aſtris tamquam ex cauſis vniuersè cõſideratis licitæ ſint, vel illicitæ, conſiderare oportet, quales ſint effectus, qui prædicuntur, ſint ne naturales, ac neceſſarij, an merè contingentes, & caſuales, an verò liberi, & immanentes; nam interdum poteſt eſſe tam generalis prædictio, vt à certis perſonis, & locis abſtrahatur; aliquãdo verò poſſunt deſignari loca tãtum particularia, & non perſonæ; quandoque demũ prędici poſſunt effectus de perſonis in particulari, non pro determinato loco, & tempore; Si tãta ſit prædicendi abſtractio, & vniuerſalitas ex aſtris tãquam ex cauſis in ordine tantũ ad effectus naturales, ſeù neceſſariò ad ſuas cauſas conſequentes, certũ eſt non eſſe per ſe malũ, nec prohibitum ſic ex aſtris euẽtus in vniuerſũ coniectare, cũ nulla fiat determinatio locorum, temporum, vel perſonarũ, in qua aliquid liberi cõtingentis, vel fortuiti poteſt eſſe admixtũ, quod ex ſua natura eſt per ſe occultũ; quotieſcũq. autẽ effectus nõ ſunt per ſe occulti, poſſũt abſq. cẽſura per ſuas cauſas indicari.

Igitur de diuinationibus, quæ hoc modo ferũtur ex aſtris tãquam ex cauſis vniuersè, nulla difficultas eſt, quin pertractari poſſint abſq. criminis nota cum certum ſit apud omnes Doctores non omnem prædictionem tanquã ex obſeruationibus ſiderũ illicitã eſſe, cũ ipſa quoq. iura Eccleſiaſtica illã per- 37

mittāt, vt patet ex Cōſt. Sixti V. Cæli, & Terræ Creator Deus &c. Vbi poſtquam damnauit artes omnes ad præ-noſcendos futuros, & fortuitos euentus præſertim ex aſtris, excipit illos, qui à cauſis naturalibus neceſsariò proueniunt; neque eſt cenſenda diuinatio illa ſuperſtitioſa, & prohibita, quæ per ſolas naturę vices haberi poteſt, vt toties dictum eſt; in qua etiam licet error irrepere poſſit defectu intelligentiæ diuinatoris, vel ratione alterius impedimenti, talis error ad genus naturæ potiùs redigendus eſt, quā ad genus moris; etenim ratio ipſa docet ex cauſis naturalibus poſſe effectus naturales indicari, licet ex eo quod aſtrorum virtus à noſtris ſenſibus remotiſſima ſit, & etiam maiori ex parte occulta, ſæpè contingat in hac virture, eiuſque effectibus dignoſcendis homines hallucinari.

ANIMADVERSIO XIV. THEOLOGICA

In Diuinationem ex aſtris tamquam ex cauſis in particulari.

38 TAMETSI dictum ſit ex aſtris tamquam ex cauſis in vniuerſum perplures effectus diuinari poſſe ex ijs, qui in eorum virtute continentur, cum tamen non omnium aſtrorū virtutes proprias naturali inueſtigatione ita facilè attingere queat intellectus humanus, hinc fit, quod neq. ſit adeò facilè negotiū omnes effectus aſtrorum in particulari certò cognoſcere, eoſque cum omni certitudine prædicere, aut prænunciare; cuius rei ratio illa potiſſimum adducitur à Suarez *de ſuperſt. cap.* 11. quod effectus in particulari, qui à Stellis promanare cernuntur, pauciſſimi ſunt reſpectu tātæ multitudinis ſtellarum, ac propterea cum poſſint à varijs ſideribus prouenire, non poteſt homò certò cognoſcere an ſint à Saturno, vel ab alio planeta; & licet in quibuſdam effectibus fieri poſſit probabilis coniectura poſt multam experientiam, & obſeruationem, non tamen certum iudiciū, quod ad ſummum in paucis fieri conceditur, qui à Sole, vel Luna fiunt, cum duorum horum planetarum influentia nobis ſit notior. Additur, quod etiam illi effectus, qui in quibuſdam Planetis poſſent prædici, & præuideri, poſſunt per actiones ſtellarum fixarum ſæpe impediri, ex quo redditur incerta, ac difficilis eorum cognitio. Denique cum effectus in particulari nedum pendeant à cauſis cæleſtibus, ſed etiam ab inferioribus, nec ſolum à cauſis efficientibus, ſed etiam à materialibus, atque à ſubiectorum diſpoſitione varia; pro qua varij ſuſcita-

ſcita-

ſcitantur effectus, etiam hinc ſatis liquet quam curta ſit, & incerta effectuum cognitio ex aſtris, tamquam ex cauſis in particulari.

39 In eiuſmodi igitur effectuum diuinatione peccari poteſt, aut nimia certitudine eos prædicendo, aut nimiam fidem diuinationi adhibendo; quod tamen peccatum per ſe loquendo nō videtur ad ſuperſtitionem pertinere, quia nullum pactum cum dęmone ibi interuenit ſiue explicitum, ſiue implicitum, vt optimè notat Suarez *loco citato*, ſed ſolum quædam mentis leuitas, & inconſideratio, qua firmiter adhibetur fides indicationi vnius cauſæ, non conſiderando, nec rationem habendo impedimentorum, quæ occurrere poſſunt, vt frequēter contingit ipſa experientia teſtante; multæ namque, ac variæ prædictiones, quæ quotannis feruntur de aliquibus effectibus in particulari magna ex parte inter ſe inueniuntur contrariæ, quod eſt ſignum magnę incertitudinis; imo, quod maius eſt prædictiones eiuſmodi inueniuntur maiori ex parte deficere, quod ſæpè à viris doctiſſimis obſeruatum eſt. Si verò quæratur, quodnam genus peccati ſit eiuſmodi diuinatio, reſpondet idem Suarez eſſe quoddam genus mendacij, cum in ipſa affirmentur à diuinatoribus vel à credulis diuinationum incerta pro certis, vel futura ſub conditione pro futuris abſolutè, & idcirco ſemper mendacium adeſt; quod tamen peccatum ex ſuo genere erit tantum veniale, niſi nocumentum aliquod publicum, vel priuatum inde timeatur. Hinc ſunt reprehendendi Medici illi, qui grauitatem, aut periculum morbi, aut vulneris, ex ſolis aſtris, aut ex ſignis Zodiaci mentiuntur, ſpectando nimirum, ſub quo aſpectu ægritudo illa incæperit; etenim ad hanc rem oſtendit ſcitè Delrius *lib.4.cap.3.q.1.* non eſſe tantam vim in ſtellis, aut ſaltem non eſſe à nobis ita perfectè cognitam, vt ex illis ſumere poſſimus iudicium certum de eiuſmodi effectibus particularibus, eorumque conditionibus abſque aliarum cauſarum conſiderationes, quæ plures eſſe poſſunt, & nobis ignotæ.

Poſito tamen, quod darentur aliqui effectus ita aſtris addicti tāquam ſuis ſpecialibus cauſis, vt ab alijs non poſſent prouenire, tunc de his certò diuinare nulla ratione deforme eſſet; 40 quemadmodum enim ſingulæ rerum ſpecies, vt docet D. Th. *in 2. diſt. 1. q. 1. art. 2. ad 2. & art. 3. ad 2.* habent in Cælis reſpondentes peculiares virtutes, quibus conſeruantur, ita certi effectus debent habere virtutes peculiares in quibus contineantur, ex quibus effectus ipſi prænoſcantur, ſi illis ſolis ſint addicti; ac propterea etiam Scot. *in 2. diſt.* 14. ad finem docet ex eo quod Planetæ ſinguli metallis ſingulis dominentur, ideſt auro Solem, argento Lunam, ferro, & Chalybi Martem, Saturnum Plumbo, Stanno, & Electro Iouem, Mercurium argento viuo, Venerem æri, licet arguere ibi ampliorem horum metallorū copiam eſſe progignēdam ab aſtris, vbi magis aſtra illa dominantur; & ſic de reliquis; verum tamen eſt hāc certam talium effectuum cum talibus cauſis connexionem non ità facilè cognoſci poſſe, atque ideo ex ipſa non poſſe cognitionem ita certam duci, maximè,

mè, quia vt dictum eſt, vel ad eoſdem effectus poſsunt etiam aliæ cauſæ cõcurrere, vel ſaltem tales effectus per alias cauſas quoquo modo impediri; Vnde fit numquam omnino certas diuinationes ex aſtris tamquam ex cauſis in particulari edi poſse.

ANIMADVERSIO XV. THEOLOGICA

In Diuinationem ex Aſtris tamquam ex ſignis vniuersè.

41 ILLI, qui negant aſtra eſſe cauſas effectuum contingentium in natura, vel ſi ſunt cauſæ aliquorum, compertam omnino haberi poſse earum cognitionem, affirmãtes propterea ex illis tamquam ex cauſis non poſse certas diuinationes inſtitui, cõcedunt tamen eadem aſtra poſse eſſe ſigna quædam futurorum, vel naturalia, vel ex placito Dei in cęlo conſtituta ad diuinandum de rebus inferioribus; idque inferunt ex ſacris literis, in quibus luminaria in firmamento Cæli dicuntur poſita in ſigna, & tempora, & etiam ex Authoritate D. Damaſcen. *lib. 2. de fid.* D Aug. *lib. 5. de Ciuit. Dei*, Origen. *in Comment. ſupra Geneſ.* Albert. Magn. *in ſpeculo Aſtronomic.* & aliorum; quorum tamen authoritates facilè explicari poſſunt, etiamſi non concedatur aſtra eſſe poſita in Cælo tamquam diuinationis ſigna, cum poſſint eſse aliarum rerum ſigna extra diuinationem, vt facilè conſtat. An verò potuerit Deus de abſoluta potentia in Cælo, & in aſtris deſcribere omnes euentus futuros, & Cælum facere veluti librum totius vniuerſitatis, hoc parum facit ad præſens noſtrum inſtitutum morale, in quo tantum quod de facto factum ſit in ordine ad diuinationem inquirimus; plura namque ſtante hoc rerum ordine, & hac lege ordinaria facta non ſunt, quæ tamen ſine hoc ordine ex ſumma potentia Dei fieri potuiſſent; licet fortaſſis dubium ſit, an Deus potuerit aſtra ſigna facere omnium futurorum contingentium, nam ſi agatur de futuris ſupernaturalibus videtur impoſſibile quod poſſint ſignificari per naturam, quæ in nullo genere ea, quæ ſupra naturam ſunt poteſt attingere; ſi verò de futuris liberis, & immanentibus, etiam videtur imperceptibile quomodo poſſint cognoſci extrà ſuas cauſas liberas præciſa reuelatione; ſi tandem de effectibus omnibus purè naturalibus, cum eiuſmodi etiam effectuum tanta ſit varietas, ac diuerſitas tanta, videtur difficile, vt poſſint cadere ſub aliquã certam ſignificationem, itaut vna Cęli ſigni-

li ſignificatio ſit pro quocunque inſtanti, aut momento temporis, & in ordine ad quemcunque locum, & regionem particularem ipſi ſubiectam, vt benè argumentatur ad hanc rem etiam D. Auguſt. *lib. 5. de Ciuit. cap.* 7.

42 Ego tamen loquendo de potentia Dei abſoluta, nullum cēſerem abſurdum, potuiſse Deum, ſi voluiſset, facere aſtra tamquam ſigna tum naturalia, tum etiam ad placitum omnium futurorum euētuum ſiue naturalium, ſiue ſupernaturalium, ſiue liberorum, & contingentium, cum id ſolum diuinæ potentiæ negandum ſit, quod in ſe ipſo repugnat, ſeù, vt aiunt Scholaſtici, quod implicat contradictionem; non videtur autem vllo ex capite repugnare, quod Deus potuerit omnes futuros euentus reuelare per aſtra tāquam per ſigna, vel naturalia, ponendo in aſtris aliquam ſaltem analogicam conuenientiam, & connexionem cum futuris, quæ connexio diceretur naturaliter indicatiua etiam futurorū ſupernaturalium, & liberorū, vel tantum ad placitum, ſtatuendo pro arbitratu, vt aſtra eſsent indicia omnium illorum, quæ ipſe Deus cognoſceret, vel naturaliter, vel liberè, vel ſupernaturaliter eſse euentura; non enim eſt neceſse quod ſigna ſiue naturaliter indicatiua, ſiue tantum ad placitum ſint eiuſdem naturæ, vel rationis cum rebus ſignificatis, vt patet de fumo reſpectu ignis, de lumine reſpectu Solis, de ſonitu campanæ reſpectu concionibus, de ſignis Sacramentalibus ſignificantibus gratiam, & ſic de reliquis. Quò fortaſse ſpectarunt omnes illi, qui cum Albert. Magn. Origene, & Plotino docuerunt apud Euſebium *lib. 6.* & apud Pererium *cap. 4. Geneſ.* aſtra à Deo poſita eſse in Cælo, tum ad alia multa, tum verò adhoc ſpecialiter, vt ſint ſigna futurorum euentuum, tótumque Cælum feciſse veluti librum, in quo deſcriptum ſit quidquid futurum eſt per omnem ſæculorum decurſum; Quæ doctrina licet de facto, non ſit admittenda, indicat tamen aliquam poſſibilitatem, tum ex parte Dei, tum etiam ex parte ipſius rei.

De facto igitur ſtatuendum cum D. Th. 2. 2. *q. 95. art.* 5. Aſtra non eſse ſigna naturalia omnium futurorum effectuum, quod ea ratione ſuadet Doctor Angelicus, etenim vt aliquid ſit ſignum naturale alterius debet habere aliquam naturalem, & neceſsariam connexionem cum illo, vel tamquam cauſa, vel tamquam effectus; certum autem eſt ex dictis, quod Cæli, & aſtra non ſunt, vel cauſæ, vel effectus omnium futurorum euentuū, vt per ſe patet. Neque de facto poſſunt aſtra eſse ſigna ad placitum Dei omnium futurorum, nam certum eſt, quod non poſsunt eſse ſigna futurorum euentuum ſupernaturalium, nimirum, quod hic, aut ille ſit conuertendus ad Fidem Catholicam, quod ſit eliciturus actum contritionis, quod ſit perſeueraturus, &c. hæc enim ea ſunt quæ Deus poſuit in ſua poteſtate, & quæ ſolum ſcripſit in libro ſuæ æternitatis, & prædeſtinationis, quæ nemo ſcire poteſt, niſi ex ſpeciali reuelatione, vt etiam definitum eſt *in Trident. ſeſs. 6. cap.* 12. non eſsent autem hæc omnia occulta, ſi innoteſcerent per aſtra, tamquam per ſigna ad placitum. Quæ doctrina etiam ap- 43

applican-

plicanda eſt pro futuris euentibus liberis, qui ex ſua natura debent eſſe occulti, vtpotè à cauſis liberis, & indifferentibus promanantes. Ex quibus colligitur quam vanũ ſit id quod habet Albert. *in ſpeculo Aſtronomico ex libro Albumazar tract. 6. diff. 26.* quod in Cælo ſit nona domus fidei, & bonorum operum pro vita æterna; Quod Iupiter, & Venus ſint duæ fortunæ diuerſæ ratione, Venus ſcilicet fortuna huius ſæculi, Iupiter futuri ſæculi, & omne aliud eiuſmodi; cũ omnia hæc excedant omnem aſtrorum ſignificationem ſiue naturalem, ſiue ad placitam, conſiderata huius ordinis conſtitutione, vt dictum eſt.

ANIMADVERSIO XVI. THEOLOGICA

In Diuinationem ex aſtris tamquam ex ſignis in particulari.

44 EFFECTVS futuri in particulari, qui poſſunt ex aſtris ſignificari, vel naturaliter, vel ad placitum, ſunt aut quidam effectus neceſſarij in natura, aut quidam effectus fortuiti, ac merè contingentes; aut quidam effectus liberi; aut quidam alij effectus materiales circa plantas, bruta,& id genus alia, pro quibus omnibus animaduertẽdum eſt certas diuinationes omnino ex aſtris ferri non poſſe, cum ſupra dictum ſit varijs modis, vel occultari poſſe, vel confundi, vel impediri; vnde ſi quid ex illis diuinaretur, licet naturale eſſet, ex hac incertitudine nõ poſſet noſtram fidem abſque hæſitatione promereri, niſi eſſet omnino additum aliquibus aſtris tamquam ſignis nihil aliud valẽtibus indicare, quod tamen difficilè cognoſci poteſt; De effectibus verò ſupernaturalibus, ac liberis ea ſufficere poſſunt, quæ iam dicta ſunt; noluit enim Deus eiuſmodi effectus quoquomodo innoteſcere poſſe ex ſua ſumma prouidentia, atque ex optima rerum diſpoſitione; ac propterea decipiuntur illi omnes diuinatores, qui putãt ex Cælo,& aſtris ſaltem indirectè poſſe attingere actus humanos liberos,& qui crederet eiuſmodi actus diuinationibus patere, non ſolũ in ſua opinione falleretur, ſed etiam peccaret, iniuriam irrogando diuinæ prouidentiæ, vt optimè docet D. Th. & ex ipſo etiã Caiet. Neq. ex eo quod Cælum, & aſtra indirectè agant in intellectum, & volũtatem immediatè cauſando, & excitando in appetitu, & in potẽtijs ſẽſitiuis interioribus actuales inclinationes, & paſſiones, quas homines cõmuniter ſequuntur etiã per actus liberos, idcirco dici poteſt etiã

actus

actus liberos ex inclinationibus prouenientes ex aſtris indicari, nam dato quod aſtra eſſent ſigna inclinationum quæ ſunt per modum naturæ, nõ propterea eſsẽt ſigna actuum liberorum, qui ex ſua natura occulti ſunt, ac ſemper cum indifferentia procedunt ad oppoſitum. Sic denique neque aſtra poſſunt dici ſigna omnium effectuum in particulari, qui neceſſariò habentur ex ſuis cauſis, vel omnium eorum, quę ſunt euentura circa omnia viuentia, vel circa ſingulos homines, quia tanta eſt illorum diuerſitas, vt non poſſint ſingula cadere ſub vnam, & eamdem ſignificationem, quam ſolam poteſt habere pro vno puncto temporis vna aſtrorum conſtellatio; neq. Aſtrologi ipſi confidunt ſe poſſe diuinare de vnoquoque actiones ſingulas, quæ ab illo ſunt futuræ; Atque ex his apertè conuincitur vanam, & falſam eſſe illam appellationem, qua cælum dicitur liber totius vniuerſitatis, & in ſe continere, quaſi certis characteribus, & ſignis deſcripta ea omnia, quæ ſunt futura in toto decurſu temporum; idque tantum veriſſimum eſse, quod docet S.Thom. 2.2. *quæſt.95.art.5.* non poſse eſse, quod ex inſpectione ſiderum aliter accipiatur cognitio futurorum, quam ſicut ex cauſis præcognoſcuntur effectus; licet hoc potiùs pertineat ad ſignificationem naturalem, quam ad ſignificationem ad placitum: Vnde colligitur benè ex Iure communi, & ex Bullis Pontificijs damnari diuinationem omnium eorum euentuum ex aſtris, qui ex aſtris ipſis non poſsunt cauſari, & conſequenter neque præſignificari, vt ſunt effectus liberi, & merè fortuiti, & caſuales, eorumque diuinationem ſemper eſse peccatum mortale, & maximè illicitam.

Sacræ igitur Literæ, & Sancti Pa- 45
tres, dum abſolutè damnant diuinationem certorum euẽtuum per aſtra, tam illam damnant tanquam per cauſas, tam tanquam per ſigna quomodo cunq. & illi qui tribuunt aſtris vniuerſaliſſimam ſignificationem omnium euentuum futurorũ, intelligendi ſunt de quadã ſignificatione aptitudinali, nõ actuali; quatenus cælum potens eſt omnes euẽtus ſignificare, ſi Deus oppoſitum non voluiſset, cum hoc, vt dictum eſt, intra vires diuinæ potentiæ abſolutæ contineri poſset, licet de facto hoc non contingat; & in libro inſcripto (Narratio Ioſeph) admittatur Iacob legiſse in tabulis cæli quæcũq. filijs, & nepotibus eſsent euentura, nõ propterea eſt admittendũ neceſsario, quod per tabulas cęli intellexerit aſtra ipſa materialia, ſiquidẽ benè intelligere potuit librum ipſum diuinæ pręſciẽtiæ ipſi fortaſſis per ſpecialẽ reuelationem manifeſtatũ, ſeu per lumen propheticũ; Quemadmodum etiam, quando dicitur in Geneſi, quod aſtra ſint facta à Deo in ſigna, veriſſimè dicitur, ſi intelligãtur illa verba de ſignis quorundã effectuũ naturalium, qui ab aſtris causãtur, & fortaſse etiã omniũ naturalium effectuũ licet horũ omniũ propter ſupradicta difficillima ſit cognitio. Vniuerſalis itaque regula ad dignoſcendum vtrum diuinationes ex aſtris vel tamquam ex cauſis, vel tamquam ex ſignis licitæ ſint, vel illicitæ, ea eſt, qua dignoſcitur, an ea quæ prædicuntur vel diuinantur ſint aſtris ipſis proportionata vel tanquam cauſis,

vel tanquam ſignis, & an ſcilicet cum aſtris quoquo modo ſint colligata tãquam effectus ab ipſis aliqua particulari ratione pendentibus; ſi enim eiuſmodi proportio, vel certa cõnexio inueniatur, poterũt effectus illi ex aſtris prænunciari, ac diuinari ſine culpa, quemadmodum docent etiam Suarez *de ſuperſt.* Sanchez *in Decal.* Leſſius *de diuinat.* Bonac. ibidem, & alij plures.

ANIMADVERSIO XVII. THEOLOGICA

In Diuinationem Aſtrologicam de cuiuſcumque Complexione, & Inclinatione.

46 SI aliquis eſset dubitandi locus circa certitudinem diuinationis eiuſmodi, is maximè eſset, quod etiam præuiſa ab Aſtrologis Cæli virtute, quoad influentias in corpora inferiora, ea tamen virtus, quæ alioquin certum cauſaret effectum, poſset ab ipſo retrahi per impedimenta, & reſiſtentias, quæ fortè occurrere poſsunt ex parte materiæ, vel alterius cauſæ particularis, vt ſupra etiam notatum eſt; at cum eiuſmodi impedimenta, & reſiſtentię ſæpe etiam vinci queant à validiore cæli, & aſtrorum vigore, inde ſequitur, quod ſi videat Aſtrologus cæli virtutem ex hac, vel illa aſtrorum diſpoſitione eſſe potentem prædominari potentiæ cauſæ particularis; benè poſſit ex illa diuinare nõ ſolum temperamenta, complexiones, & inclinationes, ſed etiam plures effectus ex ipſis ſequentes.

47 Poſſe verò Aſtrologum ſine culpa ex aſtris præcognoſcere complexiones, & inclinationes naturales cuiuſcunque præter S. Thomam 2.2. *q.* 5. *artic.* 5. & 3. *cont. cap.* 85. *in fine* docent innumeri Doctores, eo doctrinæ innitentes fundamento, quòd omnes vires ſenſitiuæ moueãtur in nobis à corporibus cæleſtibus, in quantum ſubiacent ipſis, & in quantum earum organa mouentur, & ideò affirmant nihil prohibere, quod aliqui ex impreſſione corporum cæleſtium ſint faciles ad iraſcendum, vel concupiſcendum, vel ad aliquam aliam eiuſmodi paſſionem; dicuntur namq. corpora cæleſtia non ſolum directè operari in facultates, & operationes corporeas, ſed etiam indirectè in facultates, & operationes intellectuales, inquantum hæ non poſsunt compleri abſq. operationibus virtutum corporearũ, quæ sũt imaginatio, vis memoratiua, & cogitatiua, cum ſint virtutes organicę; & quẽadmodũ ex diſpoſitione corporis, v. g. ex mollitudine carnis, quæ maximè poteſt haberi à cælo deprehenditur ab Ariſtotele, & ab alijs bonitas ingenij, ita ex alijs diſpoſitionibus poſ-

poſſunt colligi aliæ habilitates & inclinationes: & quamuis horoſcopus, ideſt punctus natiuitatis cuiuſq. difficillimè poſſit certò haberi, ac deprehendi ab Aſtrologo, & fortaſse cæli, & aſtra fortiùs influant in puncto cõceptionis, vt doctè notat Suarez hic *lib.2. c.2.* quando nimirum viri ſemen recipitur in matricem, quod punctum adhuc difficiliùs poteſt haberi, ad hoc tamen quod dicimus poſse ex aſtris cognoſci inclinationes cuiuſcumque ſatis eſt, ſi ſupponatur, quod habeatur vndecumq. Aſtrologi illud habeant.

Animaduertendũ tamen eſt, quod
48 licet non ſit per ſe malum, nec vniuerſaliter prohibitum ex ſtellarum conſtellatione, obſeruata pueri natiuitate, conięctare temperamentum eius, & ex illo naturales inclinationes futuras, vel propenſiones ad iram, ad manſuetudinem, ad hæc vel illa ſtudia, ex eo quod temperamentum corporis ſit effectus merè naturalis à cauſa naturali procedens, nullo interueniente dæmonis pacto vel implicito, vel explicito, atque inclinationes magna ex parte fundentur in temperamento, tamen ſi quis eiuſmodi inueſtigationes inſtitueret ex aſtris tam quam omnino certas, vel ſaltem omnimodè probabiles, aliqua ratione peccaret; cum etiam in eiuſmodi diuinationem plures conueniant incertitudinis rationes, vt ſcitè probat Suarez. Addendum eſt quod licet obſeruationes huiuſmodi ſimpliciter, & abſolutè poſſint licitè fieri, & ex ſe careant ſuperſtitione, cum ſolis nitantur principijs, & cauſis naturalibus, quia tamen ſunt plenæ periculi, & ſæpe ſæpius etiam ex ipſis introducantur diuinationes ſuperſtitioſæ circa actus humanos, qui dicuntur conſequi ad illas inclinationes, ideò maximè cauendæ ſunt, & tamquam criminoſę fugiendæ, cum etiam plerumq. ſint ſcãdali, & aliorum malorum occaſiones. Quapropter iure optimo in ſacris Canonibus, & Conſtitutionibus Pontificijs damnantur, & puniuntur omnes artes diuinandi per aſtra, & ſpecialiter in Bulla Sixti V. & in Bulla Vrbani VIII. Inſcrutabilis ann. 1631. puniuntur per excommunicationem latæ ſententiæ, & per confiſcationẽ bonorum, & per ſupplicium etiam capitale, qui illas exercent ſuper ſtatum Reip. Chriſtianæ, vel Sedis Apoſtolicę, vel ſupra vitam, & mortem Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, vel eius conſanguineorum vſque ad tertium gradum incluſiuè. Ea verò ratione, qua per alias leges humanas non ea ſolum prohibentur, & puniuntur, quæ ſunt per ſe mala, & contra ius naturæ, ſed etiam illa, quæ poſſunt eſſe occaſio mali; eadem ratione poſſunt puniri, & prohiberi hæ diuinationes per aſtra, licet non ſint intrinſecè malæ, nec generaliter prohibitæ, aut quoad omnia; Quod benè notat Petrus Nauar. *de reſtit. lib.2. cap.2. n.36.* afferunt namq. prædictiones eiuſmodi inconuenientia plura præſertim cũ de Principibus, vel rebus Principum feruntur, ſemper graue ſcandalum, & malum inducentes.

ANIMADVERSIO XVIII. THEOLOGICA

In Diuinationem Aſtrologicam de cuiuſcumque ortu, & interito.

49 CVM Mors, & vita cuiuſcunque dicatur in ſacris literis in ſolius Dei manu conſtituta, non ſolum quoad diuinæ prouidentiæ decretum, & diſpoſitionem de vtraque pro libito inducēda, ſed etiam quoad notitiam, & cognitionem ſiue ex parte temporis, ſiue ex parte ſexus, ſiue ex parte aliarum qualitatum, quæ omnino naturaliter ignotæ ſunt, hinc fit non poſse pro vtraque certas prædictiones ferri, niſi aliquis interueniat culpæ reatus, ex eo præſertim contiuantis, quod præſumat Aſtrologus ea in lucem adducere, quæ ſemper voluit Deus ſuo arcano conſilio latitare, ac tenebris obuolui; Et inde etiam factum eſt, vt ſemper damnatæ fuerint diuinationes illæ, quæ ab Aſtrologis feruntur de tali vel tali maſculo naſcituro, de tali, vel tali fæmina, ad regium thronum euehēda, vel de alijs eiuſmodi, quæ puræ nugæ cēſendæ ſunt, omni certitudine vacātes; & quemadmodum ortus cuiuſcunq. ante conceptionem imperceptibilis eſt ipſius naturæ viribus, & poſt cōceptionem incertiſſimus quoque ex tot accidentibus, quæ illum poſſunt auuertere, ſic de ortu cuiuſcūque certas prædictiones ferre, ſemper temeritatis nota damnatum; & quod dicitur de ortu, etiam de interitu proferendum eſt, qui ſæpe pendet à pluribus actionibus, atque agentibus liberis, quorum notitia non ita facilè poteſt haberi; Et licet de ortu, & interitu hominum plura haberi poſſunt naturali quadam ratione deducta, in ijs maximè, quæ ad naturam ſpectant, cum tamen natura ipſa ab exterioribus cauſis aut impediri omninò poſſit, aut infirmari, aut alio quouis modo immutari, nec propterea ſic naturaliter deducta poterunt pro certis reputari, prçſertim ſi ea ex aſtris deprehendere conentur Aſtrologi, in quibus non omnia ea, quæ cauſæ extrinſecæ facturæ ſunt, maximè liberæ, relucere poſſunt.

Vnum præcęteris in hanc rem ani- 50
maduertēdum eſt Chriſti conceptionem, & natiuitatem nō fuiſſe ex aſtris deprehenſam, vt tradunt Albumazar *in magno Introductorio*, & Magnus Albert. *in ſpeculo Aſtronomico* (ſi tamen is liber eſt Alberti;) licet enim ſimile quid de Chriſti conceptione, & natiuitate ex aſtris præſignificata, & de facto ex aſtris deprehenſa per tres Magos Euāgelicos conteſtentur etiā Petrus Alliacenſ. *quæſt. 30. in Geneſ.* Chalcidius Platonicus in Timæum,

Iulius

Iulius Sirenus,& alij, id tamen eſſe lõgiſſimè à veritate alienum nobis fatendum eſt, quamuis enim habita iam notitia talis Conceptionis, & natiuitatis, qualem nos Christiani certiſſimè credimus, & prædicamus, facilè potuerint Veteres Aſtrologi aliquid obſeruare in aſtris, quod ipſis videretur aliquid tale prænotare; ea tamen prænotatio dicenda eſt fuiſse ex ſola apprehenſione, & imaginatione ipſorum Aſtrologorum, non verò ex vera ſignificatione alicuius aſtri;nam alioqui etiamDiabolus eiuſmodi Myſteria prçcognouiſſet ex aſtris,ac proinde numquam tentaſset, aut impuliſset Iudæos, vt Chriſtum occiderêt; ſiquidem ſimiliter præuidiſset ex iiſdem aſtris totalem euerſionẽ ſui imperij, quod tanto iam tempore exercebat in homines: Vnde quod aſserit Ariſtoteles *in lib. de ſomnijs cap. 2.* homines ſcilicet circa ſenſus facilè decipi cũ exiſtunt in paſſionibus,ſæpe putantes videre quæ non intuentur, ex timore,vel ex alia animi perturbatione, ita etiam vt non modo eos lateat, quod decipiantur, ſed etiam re ipſa moueantur ad ea, quæ ſic apparent; Id prorſus aſserendum eſt Aſtrologis cõtigiſse, qui volentes ex aſtris Chriſti conceptionem, & natiuitatem prçcognoſcere,ex hoc æſtuante appetitu aliquam rei apparentiam viſi ſunt ſibi videre,quam putarunt Chriſti conceptionem, & natiuitatem, nec inde aduertentes, quod fallerentur; & quod dicitur de Chriſti conceptione, & natiuitate ex Virgine, intelligendum eſt etiam de illius morte in Cruce, quam quidam alij Aſtrologi in aſtra retulere; non enim poſsunt Aſtrologi ea ex aſtris præuideri, aut polliceri, quæ pendent ex ſola Dei libera voluntate etiam operantis ſupra ordinem, & legem naturæ, vt ver. g. quod Marte in nona Cæli regione feliciter conſtituto tantum virtutis nobis præſtetur, vt Dæmones ex obſeſſis corporibus ſola præſentia expellamus, & de cuiuſcunque alterius ſecretis, & arcanis ſine errore iudicare poſſimus; & quod qui naſcuntur Saturno conſtituto in Leone non modo longæui ſuper terram futuri ſint, ſed etiam poſt mortem inter Deos collocandi; & quod Luna Ioui coniuncta in capite Draconis, hoc præſtet inter cætera, vt quidquid à Deo petitur certiſſimè impetretur etiamſi petatur ſcientia, & notitia omnium rerum,& alia plura id genus Aſtrologorum deliramẽta,quæ refert, & impugnat Pererius *diſput. contra Aſtrolog. cap. 1.*

ANI-

ANIMADVERSIO XIX. THEOLOGICA

In Diuinationem Aſtrologicam de futuris contingentibus liberis.

51 LICET ex ijs, quæ iam dicta ſunt de diuinatione per aſtra tãquam per cauſas, vel tamquam per ſigna, ſatis colligi poſſit, quid præſertim ſit dicendum de actibus liberis contingentibus, rei tamen pretiũ eſt, vt aliquid de his in particulari ediſſeramus, quo firmior in re tã graui veritatis doctrina nobis adhæreat. Neque admittenda eſt hic quorundam doctrina apud Suarez *de ſuperſt. lib.* 2. *cap.* 11. qui ex Saliſberienſi tradidere diuinationem per aſtra etiã actuum liberorum quandoque fuiſſe licitam, ac præſertim vſque ad tempus, in quo Chriſtus fuit à Magis adoratus; ſi enim hoc eſſet, ſequeretur diuinationem ex aſtris ſuperſtitioſam non eſſe intrinſecè malum, quod tamen à nobis ſuprà demonſtratum eſt, idque apertè euincitur ex eo, quod contineat errorem, & malitiam contra rationem naturalem, cuius lex, & dictamen omni tempore fuit; Addo omnes iſtius artis diuinatoriæ prohibitiones ideò latas eſſe in omni iure diuino, ciuili, & canonico, vt eiuſmodi ars ſuperſtitioſa, atque omnibus infeſtiſſima aboleretur; quod ſignum eſt in ſe, præciſis etiam prohibitionibus factis in tẽpore ſummam malitiam continere.

Cenſenda igitur eſt omnis diuinatio per aſtra de futuris cõtingentibus liberis, non ſolum omni iure grauiſſimè prohibita, vt fusè demõſtrat Suarez *loco citato*, ſed etiam intrinſecè mala vera malitia ſuperſtitionis, cuius doctrinæ ratio eſt quia prædictiones futurorum liberorũ ex aſtris, vel fundantur in conſtellationibus, & aſtris tamquam in cauſis, & ſic fundantur in hæreſi, cum hæreticum ſit aſſere liberam in hominibus agendi facultatem ab aſtris pendere tamquam à cauſis, vel fundantur in aſtris, tamquam in puris ſignis, & ſic continent diabolicã ſuperſtitionem, eo modo, quo dictum eſt de alijs augurijs, & diuinationibus, in quibus pactum dæmonis interuenit, vel explicitum, vel implicitum. Addo prædictiones eiuſmodi; vt ſint certæ, ferendas eſſe ex neceſſitate infallibili; quam ſortiantur talia futura ex ſiderum conſtellatione, hoc autem ſupponit ablatam agendi libertatem, ſupponit omnia fato euenire, vt volebant veteres gẽtiles, denique ſupponit animæ potentias corporeas eſſe, & materiales, cum in ſuis operationibus ſubijciantur corporibus cæleſtibus, quæ omnia non ſolum erronea; ſed etiam hæretica ſunt, vt benè docet Suarez. Ex quibus ſequitur diuinationes 52

tiones eiuſmodi ſemper eſse illicitas, ſuperſtitioſas, & ſemper eſſe peccatū mortale; imò vt addit Sanchez 2. *Decal. cap.* 38. non vnum, ſed plura peccata mortalia continere, vt patet ex multiplicitate malitiæ, quam cōtinet. Ratio verò à priori, cur eiuſmodi actus liberi nō poſſint certò ab Aſtrologis ex Cælo præcognoſci, ea eſt, quod ſcilicet quęcunque aſtrorum facultas, & potentia, quodcunque ſignū cæleſte dicuntur determinata ad vnū, & idcircò neq. vt cauſæ cōtinere poſſunt, neq. vt ſigna ſignificare, quę ſunt ex ſua natura indifferētia, & ideò nec poſſe Aſtrologos ex aſtris futura libera certò coniectare, aut prædicere.

53 Neq. ſolum eſt illicitum diuinare ex aſtris actus liberos, tāquam infallibiliter futuros, ſed etiam, vt futuros ſolum probabiliter, quod præſertim tradunt Suarez, & Sanchez *locis citatis* cum alijs pluribus Doctoribus; nam actus liberi cum non poſſint eſſe niſi à potentia rationali, & à cauſa ſpirituali, & libera, ſequitur quod neque poſſint præcognoſci, niſi in ſuis cauſis proportionatis, in quarū ordine non ſunt Cæli vel aſtra, quod intelligendum eſt, non ſolum certò; ſed probabiliter etiam, cum nullo modo actus liberi contineantur in aſtris tamquam in cauſis, quod facit, vt abſolutè, & nullo modo queant ex illis cognoſci. Cæterū ſi quis faceret coniecturam probabilem de futuris contingentibus liberis ex aliquibus circūſtantijs, quæ poſsent occurrere, & prudenter conſiderari, & ſimul inſpiceret etiam aſtra, vt eſset certior de temperamētis, & inclinationibus, & etiam ex illis formaret aliquod iudicium prudens, non eſset dicendus reus diuinationis ſuperſtitioſæ, neque graue peccatum committeret, quia verè nihil tribuit aſtris efficaciæ ſupra ipſos actus liberos humanos, licet fortaſſe cogitet aſtra indirectè influere in ipſos media excitatione temperamenti, vel inclinationis ad illos actus, cum temperamenta poſſint Cęleſtibus Corporibus ſubijci, vt ſupra dictum eſt. In qua re monet Petrus Nauar. *num.* 28. *de ſuperſtit.* Aſtrologos ſolum poſse de futuris liberis pronunciare aliquid in communi, non in particulari, vt nullo modo lædatur agendi libertas, neque vllo modo fiat ab aſtris dependens; Atque hùc præſertim videntur ſpectare omnes prohibitiones Aſtrologiæ Iudiciariæ, quia iudicia format de rebus in particulari, quæ neque tantum probabiliter ferri poſsunt, quidquid dicant aliqui apud Nicolaum Baldell. *lib.* 4. *de ſuperſt.*

ANI.

Digitized by Google

ANIMADVERSIO XX. THEOLOGICA

In Diuinationem Aſtrologicam de futuris contingentibus merè fortuitis.

54 QVONIAM in more Aſtrologorum eſt etiam futura contingentia merè fortuita, & caſualia ex aſtris prænotare, ac prædicere, vel certò, vel ſaltem probabiliter euentura, idcircò de his quoque animaduertendum venit, ac ſtatuendum eſt nullam certã diuinationis rationem obtinere, imo æquè ſuo crimine eiuſmodi prædictiones laborare, quemadmodum reliquas, de quibus iam dictum eſt; quæ doctrina eſt apertè S. Thomæ 2. 2. *q.* 95. *art.* 5. & 3. *cont. Gent. cap.* 95. & *Opuſc.* 26. de iudicijs aſtrorum, eamque ſequuntur Theologi ferè omnes agentes de aſtrologica diuinatione; cuius ratio haudquaquam diſſimilis eſt ab adducta pro futuris contingentibus liberis, quæ non poſſunt ex aſtris præuideri, cum in ipſis non contineantur, tãquam in cauſis, neque cum ipſis cõnectantur tamquam cum ſignis; Sic etiam cum certum ſit futura contingentia merè fortuita nõ ſubeſſe cauſalitati aſtrorum, aliorumque cæleſtium corporũ, optimè infertur, non poſſe ex illis præuideri, idque ex eo pręſertim euincitur, quod omnis cauſa naturalis ex ſe ſẽper ad vnum eſt determinata, eiuſque operatio ſemper habet certum terminum, ſicut & habet certum principium, à quo procedit; impoſſibile autem eſt, vt effectus per accidens in ſe ipſo incertus, atque indeterminatus habeat cauſam certam in qua poſſit cognoſci, ſiue illa dicatur eſſe in aſtris, & in corporibus ſuperioribus, ſiue in inferioribus, & in tota natura; maximè quia futura cõtingentia merè fortuita ſolent prouenire ex rebus inter ſe diſparatis, & minimè connexis, neque propriè ſunt ens, & vnum, ſed entia, & plura, & indeterminata, & infinitis penè modis variabilia, vt patet ex ipſo Ariſt. 2. *Phyſic. tex.* 50. qui ideo docet neque de illis poſſe eſſe ſcientiam, aut artem, aut vllam certam ſpeculationem iuxta id quod habetur etiam ex *6. Met. tex.* 4. Ideò enim terræmotus fit per accidens cadente lapide, quia nullam habet connexionem determinatã cum caſu lapidis, & fieret etiam lapide non cadente; & ſicut dicitur fieri illo cadente, & poteſt dici quod fiat ambulante Socrate, vel dormiente Platone, vel quouis alio quidlibet aliud faciente; quod etiam perhibetur de inuentione theſauri in foſſione Sepulchri, vel de alijs eiuſmodi caſibus merè fortuitis.

Ità quod dictum eſt de coniectura 55

ſolum

ſolum probabili in actibus liberis; dicendum eſt etiam in futuris contingētibus merè fortuitis, quæ multò minus ex aſtris etiā ſolum probabiliter coniectari poſſunt, cum in ipſis non ita facilè præuideantur inclinationes tot cauſarum diſparatarum, quæ ad illa concurrunt, vt tamen contingit in liberis ſaltem remotiſſimè, & indirectè ſpectata temperamenti inclinatione, atque conſtitutione. Sic etiam quoad culpam, & malitiam eiuſmodi diuinationis pariter loquēdum eſt, cum nulla ratione liceat iudicium etiam ſolummodo probabile de rebus afferre, quæ ex ſua natura ex cauſis naturalibus cognoſci non poſſunt; & etiam quoad forum externum ait Suarez *loco citat.* diuinatores eiuſmodi eſse puniendos, licet expreſsè dicant ſe illa non prædicere certò, ſed ſolum probabiliter, cum coram Eccleſia nō excuſentur, quæ ſemper præſumit eiuſmodi diuinatores ſuperſtitioſas diuinationes exercere, quod expreſsè declarat Sixt. V. in Bulla illa motu proprio edita, in qua prohibentur omnes ſuperſtitioſæ diuinationes, etiam editæ cum tali proteſtatione de ſola probabili coniectura; Bullæ verba affert Suarez *c.* 11. *n.* 30. in qua vel ſupponit Pontifex etiam illas diuinationes eſse iure Eccleſiaſtico prohibitas, vel tacitè eas prohibet, vel prohibitionē auger, aliter non iuberet eos puniri non obſtante prædicta declaratione, & proteſtatione ipſorum; & ratio eſse poteſt, vel quia etiam ille modus prænunciādi futura eſt perniciosus Reip. quia multa incommoda, ſcandala, & vanæ inueſtigationes ex illo ſequuntur; vel quia ſemper præſumitur ea verba proferri ad occultandam malitiam, & diuinationem; Vel denique quia etiam illa eſt verè diuinatio ſuperſtitioſa, & per ſe mala, quidquid dicant in contrarium Doctores aliqui admittentes ſine peccato eiuſmodi probabiles euentuum futurorum coniecturas, ex eo quod nec lædatur liberum arbitrium, neque admittatur fatum; numquam enim licitum eſſe poteſt, aut culpa vacare cognitionem ex ſolis aſtris ita probabilem comparare, vt ipſa ſufficiens ſit ad definitum iudicium ferendum de rebus occultis, quæ neque probabiliter poſsunt notificari, cum ſuaptè natura ſint occultæ; Addo talem euentuum probabilitatem fundari in regulis artis iudiciariæ, quæ ſemper prohibitæ ſunt, vt induſtria dæmonum introductæ; quarè benè concludit Suarez non ſolum leui, ſed valdè graui culpa peccare eos omnes, qui etiam ex ſolis probabilibus coniecturis diuinant, cum ſemper ſuperſtitioſè agant.

F ANI.

ANIMADVERSIO XXI. THEOLOGICA

In Diuinationem Aſtrologicam de cuiuſcumque Fortuna.

56 DICVNTVR aſtra concurrere ad bonam, aut malam fortunam alicuius, tribuendo illi aliquam inclinationem, aut diſpoſitionem, aut habilitatem ad aliquid, cui per accidens coniūctum ſit aliquod aliud bonum, vel malum; idque præſertim fit, cum aliquis ex aſtrorum impreſſione inclinatur ad aliquas rerum agendarum electiones ſibi valdè vtiles, quarum tamen vtilitatem propria ratione non cognoſcit; iſque dicitur benè fortunatus à cælo, vt docet D.Thom. 3.*cont.Gent.c.9.* & ex ipſo Ferrarienſ. quemadmodum è conuersò ille erit malè fortunatus, qui oppoſitas à cælo ipſo ſortitur inclinationes; ita tamen, vt id quod bonam, vel malam fortunā facit, ſit aliquis euētus bonus, vel malus per accidens ſequens ex illis inclinationibus, ſcilicet ſequens abſq. vllo rationis intento; ex quo ſæpè docet Ariſtot. *Magn. Moralib.* fortunam in ijs eſſe, in quibus neque mens vlla, neque ratio eſt, ibique minimum fortunę, vbi plurimum eſt rationis; licet autem defectu rationis in euentibus fortunæ definentis, dicatur res, quæ contingit, præter intentum hominis contingere; non proinde dicendum eſt contingere præter intentum Dei, omnia fortuita nobis in ſuum finem dirigentis; qua de cauſa in ordine ad Deū docent Theologi neminem dici poſſe fortunatum, vel infortunatum, cum neq. reſpectu ipſius Dei admittatur fortuna; ſic quando Deus inclinat, aut mouet alicuius voluntatem ad aliquā electionem, ad quam per accidens ſequitur bonum, vel malum, dicitur quidē cauſa bonæ, vel malæ hominis fortunæ, licet ipſi Deo nihil dicatur fortuitum, cum omne fortuitū ſit tantum reſpectu hominis, cui contingit pręter rationem, & intentionem, & reſpectu cæli, quod non poteſt illud intendere, & cauſare, quod optimè notat S. Th. *loco cit.*

57 Hæc ità explanata ſuadent nobis nihil poſse ex aſtris diuinari de cuiuſcumque fortuna vel bona, vel mala, etenim Aſtrologus ſolū ad ſummum poteſt ex aſtris præuidere aliquam inclinationem, & diſpoſitionem ad aliquid, cum quo per accidens ſit coniuncta bona, vel mala alicuius fortuna, quæ coniunctiọ cum non contineatur in illa præuiſa inclinatione tamquam in cauſa, vel tamquam in ſigno, non poteſt ab Aſtrologo præuideri; ſi quidem inclinatio à cauſis naturalibus, & neceſsarijs, quales ſunt cæli eſt ſemper determinata,

nata, & ordinata ad vnum, & quæ benè, vel malè homini accidunt ſecundum fortunam ſunt indeterminata, & infinita, & nullo modo ad vnum reducibilia, & idcirco non poteſt de illis eſſe diuinatio. Sub aliqua tamen ratione docet Petr. Nauar. *loco citato* ex D. Thom. poſſe diuinari hominem eſſe fortunatum ex cælo, accipiendo ſcilicet fortunam pro affluentia bonorum, quæ communiter dicuntur bona fortunæ, vt ſunt diuitiæ, honores, generis claritas, & id genus alia, quæ bona licet magis propriè ſpectent ad felicitatem, quam ad fortunam, vulgò tamen dicuntur homines fortunatos efficere, hæc ex cælo, & aſtris poſſunt præuideri, quia in ipſis poſsunt contineri tamquam in cauſis etiam per ſe, & directè, quod etiam dicitur de bona complexione, corporis robore, & pulchritudine, ex quibus bonis dicitur etiam bona alicuius fortuna coaleſcere; Si tamen etiam eiuſmodi fortunæ bona conſiderentur vt à libero arbitrio dependentia, cum ſæpe ſæpius ſine concurſu liberè agentium obtineri non poſſint, optimè animaduertit idem Nauar. non poſse de illis certam haberi ex aſtris notitiam, vt ſupra toties probatum eſt.

ANIMADVERSIO XXII. THEOLOGICA

In Diuinationem Aſtrologicam de Interrogationibus rerum.

58 EST ferè communis Aſtrologorum doctrina apud Petrum Nauar. *lib. 2. de reſtit. cap. 2. num.* 55. poſſe ex aſtris certò reſponderi ad interrogationes, quę fiunt de rebus in particulari, nimirum de rebus ſublatis per furtum, de adulterijs, & de id genus alijs, vt quando quæritur v.g. quis fuerit author furti, quod iam patrãtũ eſt; vtrum hæc fæmina verè ſit Virgo, an verò corrupta, & à quo corrupta, &c. At hæc quoque doctrina ex iam dictis à nobis eſt reijcienda; quemadmodum enim liberi actus, antequam actu ſint, non poſſunt in aſtris præuideri, cum in ipſis non contineantur, & ſint ex ſua natura occulti; ſic nec poterunt in ijſdem cognoſci, poſtquam fuerunt; ſiue inſpiciatur ab Aſtrologis natiuitas eius, qui interrogat de furto, vel adulterio; ſiue illius inſpiciatur natiuitas, qui furtum, vel adulterium patrauit; nam etiam ſi ſtante alicuius inclinatione ad furãdum, vel ad adulterãdum, poſſet iſtius inclinatio quoquo modo ex aſtris cognoſci, cum tamen furari, & adulterare ſint actus liberi voluntatis, non poſſunt ex illis vllo modo innoteſcere; quapropter benè ad rem affert Suarez *textum ex cap. Tuarum de Sortilegijs*, in quo grauiter reprehenditur, & punitur quidam Præsbyter, qui ad recuperandum furtum Eccleſiæ vſus eſt inſpectione Aſtrolabij, & quamuis id fecerit ex bono zelo, atque abſque intentione inuocandi dæmonem, dicitur tamen grauiſſimè deliquiſſe.

Neque Aſtrologus ex tradita ſibi hora, in qua commiſſum eſt furtum, 59
vel perpetratum adulterium, vel homicidium, & ex deprehenſo Planeta, qui illi horæ dominatur; aut ex inſpectis alijs aſtris, quæ cum illo habuerunt oppoſitionem, vel coniunctionem, vel talem, vel talem aſpectum, & ex obſeruata altitudine poli quoad minuta, & partes minutorum, ſub qua eſt domus, aut via, in qua cõmiſſum eſt furtum, aut homicidium, poteſt plus diuinare, quam actualem inclinationem huius, vel illius, qui forte huic Planetæ peculiariter erat ſubiectus per actualem excitationem paſſionis concupiſcentiæ, aut iræ, ex qua potuit ille moueri ad furtum, vel ad iram; non tamen poteſt vllo pacto diuinare, quod de facto illa mala commiſerit, cum ad hæc præter inclinationem ex paſſione fuerit neceſſaria libera electio, ſeù voluntas mirandi, quæ in aſtris non continentur, neque ideò prçuidetur; & licet diuinet Aſtrologus

logus ex aſtris aliquem paſsum eſse in tali tempore inclinationem ad furtum, & hominem talis inclinationis eſse etiam talis ſtaturæ, talium colorum, aut lineamentorum, quę poſsunt ex aſtris præuideri; adhuc tamen non poteſt ſuam diuinationem extendere ad actum liberum furandi, vel adulterandi, niſi fortè per quamdam leuem cõiecturam, & ſuſpicionem, quæ pro nihilo habenda eſt. Vnde S.Th. *2.2.q.95.art.5.* poſtquam dixit poſſe cælos diſpoſitiuè inclinare ad actus liberi arbitrij, in quantum influunt in corpus humanum, & in vires ſenſitiuas, quæ ſpectant ad organa corporalia, ſubdit ſtatim, quod ex hoc nulla agendi neceſſitas imponitur libero arbitrio, ac propterea neque ex eo poſse deprehendi, quid ab homine liberè actum, vel agendum ſit.

60 Atque ex his facilè erit iudicare de alijs interrogationibus, quæ fiunt per aſtra, nimirum, an exercitus alicuius Principis ſit victoriam laturus in prælio, & eiuſmodi; licet enim quidam dicant poſse per radicem natiuitatis cognoſci, an ſtellæ dominantes in vnum exercitum ſint robuſtæ, vt Mars, & Saturnus, & dominantes in alium ſint debiles, & infirmæ, nõ propterea cognoſci poteſt aut præuideri certò alterutrius victoria, cum totus ille exercitus non ſupponatur natus ſimul vna die, atque vno natiuitatis puncto, & ex alio capite impoſſibile ſit horam dignoſcere, in qua tot luminum millia nata ſint. An verò poſſint Aſtrologi interrogari de actibus externarum potentiarum, & etiam internarum, quæ purè corporeæ ſunt, & materiales, & certas de ipſis reſponſiones haberi, adhuc dubium eſt apud Theologos; Ego tamen dicerem neque de iſtis poſſe facilè diuinationem haberi, cum vt plurimum ſint actus imperati ab intellectu, & voluntate; & ſi non imperantur, fiũt per quemdam ipſis naturæ impulſum humoribus ipſam naturam concitantibus, qui humores à multis cauſis accidentalibus concitari poſſunt, quæ omnes nõ poſſunt cognoſci, aut præuideri. De his videri poteſt Pet. Nau. 2. *de reſtit. c.2.*

ANI.

ANIMADVERSIO XXIII. THEOLOGICA

In Diuinationem de rebus agendis per ſenſum.

61 DE ijs ſatis dictum eſt, quæ diuinantur tamquam agenda per intellectum, & voluntatem, cum enim ea omnia cadant in libertatis dominium, ſequitur tamquam res ex ſua natura occultas diuinari non poſſe, niſi ad ſummum remotiſſima aliqua coniectura, quæ incertiſſima ſit. Remanet igitur ſtatuendũ de ijs, quæ ſpectant tantum ad ſenſum, ſeiuncto ac remoto omni libertatis imperio; ſiquidem aguntur etiam ab homine perplura, quæ licet ſenſu compleantur, imperãtur tamen ab ipſa voluntate, atque ratione iſtius imperij dicuntur diuinari non poſſe antequam fiant, cum ipſum voluntatis imperium futurum extra omnem diuinationem exiſtat. Igitur de rebus purè ſenſibilibus, & nullo modo imperatis hoc loco ſtatuendum non ita facilè poſſe diuinationem inſtitui, eumque culpa ſuperſtitionis non omnino vacare, qui vel ex aſtris, vel ex alia quacunque obſeruatione vellet omnes motus appetitus ſenſitiui diuinare, hancque doctrinam amplectitur Petrus Nauar. 2. *de reſtit. cap.* 2. cuius doctrinæ ratio illa habetur, quod ſcilicet appetitus ſenſitiuus nedum regatur ab aſtris, ſed à quocũque obiecto propoſito, ſi ſit conueniens impellatur, ac quodammodo pro libito abripiatur, cum autem ſint penè infinita obiecta, quæ ſenſui propoſita, poſſunt eum impellere, & abripere, hinc ſit, vt non poſſint omnes motus appetitus ſenſitiui ſine ſuperſtitione diuinari; deficit enim hic ratio coniectandi, & prædicẽdi ex aſtris tamquam ex cauſis, & ex obiectis tamquam ex mouentibus, quæ cum ſint ſine numero, non poſſunt naturaliter cognoſci; hinc etiã dicitur appetitus ſenſitiuus quam maximè mutabilis tum à cauſis internis ſcilicet ab humoribus, & à ſpiritibus, ab imaginationibus; tum etiam à cauſis exterioribus, ſcilicet à cibo, à potu, & ab alijs propoſitionibus obiectorum externis.

Præſertim verò animaduertẽdum eſt, motus primo primos, qui dicuntur à Theologis merè naturales, & indeliberati, nulla ratione poſse præuideri naturaliter; nam cum eiuſmodi motus ſæpe ſæpius ipſam agendi inclinationem præueniant, quæ ſolet dici eorũ cauſa, non poſsunt in ipſa cauſa, vel ex cauſa præuideri; neque in aſtris eiuſmodi motus relucere poſsunt, cũ poſſint dici ex illo genere effectuum, qui ſequuntur per accidens, quos diximus non poſse ex Cælo coniectari; 62

inſur-

inſurgunt enim motus eiuſmodi, vt plurimũ homine aliquid aliud in ſuis operationibus intendente. Additur denique ſæpiſſimè etiam excitari eiuſmodi motus à cauſis liberis aliquid patrantibus, quo repente, & ſine aduertentia, vel iraſcimur, vel concupiſcimus; quæ autem à cauſis liberis agenda ſunt, non poſsunt præuideri.

ANIMADVERSIO XXIV.

THEOLOGICA

In Diuinationem de rebus agendis certis horis, & diebus.

63 ETIAM admiſſis ab Aſtrologis ſtellis in Cœlo maleficis, & fauorabilibus, non proinde ex ipſis omnia ab homine agenda coniectare decet, eaque prædicere quoad euentus fauſta, vel infauſta; Etenim ſæpiùs ex dictis deprehenſum eſt nihil aſtra poſse in ijs, quæ liberè exercentur; quapropter etiamſi mala, vel bona præuideretur ex Cælo aſtrorum conſtitutio in tali die, vel hora, non propterea, bona vel mala certò euentura liberè agenti prænotare licebit, cum ſemper agenda poſſint non fieri, aut hoc vel illo modo fieri, quod ità facilè non poteſt præuideri; vnde qui liberas operationes cũ eiuſmodi dierum, vel horarum obſeruatione inſtitueret, aut relinqueret, ſuperſtitioſè pecaret, ex eo, quod hominis libertas quoquo modo læſa appareret; hæcque doctrina videtur eſſe communis apud Theologos, eamque expreſsè tradit Mirandulan. *lib.* 2. *cap.* 2. vbi ex profeſso huiuſmodi dierum, & horarum obſeruationes euertit.

Animaduertendum tamen eſt ex Petro Nauar. 2. *de reſtit. cap.* 2. temporis obſeruationem ad aggredienda 64
negotia non ſemper criminis notã inferre, nec ſemper eſse peccatum, præſertim ſi ex ipſa in liberè agendis non certò expectetur felicitas, vel infelicitas euẽtus; poteſt enim obſeruari quo tempore ſit conuenientior aſtrorum diſpoſitio, & influẽntia, vt in eo homo operetur cogitata ſolum quadam ratione in vniuerſali ipſius Cæli tamquam cauſæ vniuerſalis, non conſideratis euentibus in particulari, qui pendent à diſpoſitionibus liberè agentium; ſic enim videtur nihil in tali obſeruatione admiſceri ſuperſtitioſum, neque intentio diuinandi, cum ſiſtatur in illa pura aſtrorum obſeruatione quæ vniuerſè cenſetur benefica, vel malefica; quam aſtrorum obſeruationem præſertim abſque ſuperſtitione habere poſſumus in quibuſdam operibus ſpectantibus ad agriculturam,

& d

& ad medicinam, optimum namque ſemper fuit agricolis tempora, dies, & annos obſeruare ad ſerẽdum, ad plantandum, ad vites amputandas, ad cædẽdas arbores, & ſic de cęteris; quemadmodum etiam adhuc impunè obſeruantur à Medicis quidam cęlorum aſpectus; quædam Planetarum coniunctiones, & oppoſitiones in Pharmacis exhibendis, vt Pharmaca ipſam feliciorem exitum ſortiantur; poſſunt namque omnium corporum inferiorum conſtitutiones à corporibus cæleſtibus, & ſuperioribus maximè pendere quoad motus, & alterationes, & ideo eiuſmodi obſeruationes non ſunt in ipſis vlla ratione damnabiles.

ANIMADVERSIO XXV. THEOLOGICA

In Diuinationem ex ſomnijs vniuersè.

65 NOMINE ſomnij nil aliud hic intelligendũ venit, niſi Phantaſma, ſeù ſimulacrum quoddã, quod fit, & apparet in ſomno; quia tamen tempore ſomni multipliciter poſſunt contingere huiuſmodi ſimulacra, quæ tamen omnia non cenſentur ſomnia, ideo docet Ariſtoteles *in libello de Somnijs cap.* 1. illud ſolum Phãtaſma communiter eſſe ſomnium, quod non modo contingit, quando animal dormit, ſed etiã quatenus dormit, poteſt enim cõtingere, vt aliquis etiam dormiens faciat quædam opera vigilantis, & tunc ea opera ex Ariſtotele non dicuntur verè, & propriè ſomnia, cum ſomnium propriè ſit, quando is, qui ſomniat exiſtimat per deceptionem eſſe vera illa, quæ ſomniat; fiunt autem ſomnia per ſpecies, & imagines rerum relictas in organis, & ſenſorijs ſenſuum interiorum per ſenſationes, & operationes ſenſuum exteriorum, quæ iterum excitatæ, & motæ per agitationem, & motum vaporum, qui efficiunt ſomnum, iterum etiam mouẽt eoſdem ſenſus interiores; ijque circa illas eodem modo operantur, ac ſi obiecta ipſa, & res ſenſibiles eſſent verè præſentes, ac mouerent denuo ſenſus externos. Ex eiuſmodi igitur ſomnijs ſeù phantaſmatibus in ſomno excitatis ars quædam diuinandi inſtituta eſt apud omnes Veteres, ac pręſertim apud Græcos, de qua hic videndum eſt, an ſit ſemper ſuperſtitioſa, & crimine deteſtanda.

Ac primo pro certo habendũ eſt, 66 nõ poſſe omnia futura ex ſomnijs diuinari, quidquid dicãt, quidam Aſtrologi apud Niphum *in Cõment. de diuin. per ſomnium*, qui volunt ſomnia eſse præſagia etiam illorum futurorum, quæ

quæ ſunt ſupra noſtram facultatem, quia immittuntur à Cęlo, & ab Aſtris, ex quibus ſecundum illos omnia diuinantur; Sæpius namque dictum eſt non poſſe aliquid ex alio diuinari, niſi vel tamquam ex cauſa, vel tamquã ex effectu, vel tamquàm ſigno naturali, vel ad placitum; multa autem futura ſunt, quæ nullo ex illis modis cõnectuntur cum ſomnijs; ſed ſe habent per accidens, vt patet, & ideò nequeunt ex ſomnijs diuinari. Quod præſertim intelligendum eſt de futuris contingentibus, quæ pendent à libertate, non enim hęc poſſunt ſine ſuperſtitione diuinari, niſi ſpecialiter illorum ſomnia immittantur à Deo, vel immediatè, vel per Angelos ſanctos, quæ tamen difficilis ſunt cognitionis. Verum tamen eſt, quod ſi quis ex aliquo ſomnio ſolum faciat cõiecturam de aliquo futuro contingente libero, ſibiq. noxio, v.g. quod aliquis contra ipſum inſidias moliatur, & ex tali ſomnio prudenter ſibi caueat, is non cenſetur peccare peccato ſuperſtitionis, cum id agat tantum ex conceptione timoris, non præciſè ex fide ſomnijs adhibita; hancq. doctrinam tuentur Bonac. hic *punc.* 3. Layman. hic *cap.* 3. Caiet. *in Sum.* Nauar. *in Manual.* Baldell. *lib.* 5. *diſp.* 8. & alij plures; licet enim videantur iſti ſibi cauere propter deprehenſa in ſomnijs, & propterea videantur fidem ſomnijs ipſis adhibere; formaliter tamen, & præciſè ſibi cauent ex timore per ſomniũ relicto, qui poteſt ſtare etiam ſine fide erga ſomnia, imo cum proteſtatione in contrarium.

67 Secundo loco pro certo habendum eſt multa futura poſse ex ſomnijs diuinari abſque ſuperſtitionis nota, neque illorum obſeruationem eſse omnino damnandam tamquam vanam; id etiam docent communiter Doctores, & Theologi contra paucos veteres, & recentiores, qui vniuerſaliter omnem diuinationem per ſomnia ſuſtulerunt; patet namque ratione ipſa naturali effectus neceſſarios à ſuis cauſis prouenientes, poſſe ex ipſis cauſis naturaliter diuinari, & etiam contingentes probabiliter; ſic medici licitè, & rationabiliter ex ſomnijs faciunt coniecturam de morbis, in quantum ſcilicet eadem cauſa, quæ facit ſomnia, facit etiam morbos, & ideo æquè ex ſomnijs poſſunt diuinari morbi, & ex morbis ſomnia; vbi enim eſt aliqua connexio naturalis vel neceſsaria, vel probabilis inter ſomnia, & effectus, ſeù euentus, ibi poteſt fieri diuinatio abſque ſuperſtitione. Non admitto tamen poſse fieri certam diuinationem ex ſomnijs tamquam ex effectibus neceſsarijs, cũ ex ipſis ſomnijs volumus diuinare cogitationes præteritas liberas, vel etiam operationes iam factas; licet enim propter ſpecies rerum actarum, vel cogitationum præteritarum relictas in ſomno poſſint excitari ſomnia earumdem rerum, cum tamen poſſint etiam aliunde excitari, vt experientia patet in illis qui ſomniant de rebus, quas numquam cogitarunt, ſequitur non eſse ſomnia ſufficiens argumẽtum diuinandi præterita, maximè libera; & hinc multo magis colligitur poſse ex ſomnijs diuinari futura liberè agẽda, tamquam ex principijs, ſeù ex cauſis; licet enim cum multis cõcedamus poſse ſomnia vim maximam habere ad mouendos

ſenſus, eoſq. etiam excitare, ac quodammodo impellere ad eadem agenda, quæ iam acta ſunt, & ſomniata, non proinde ſtante agentium libertate, poterunt ex ipſis euentus futuri liberi diuinari; atq. hic applicanda eſt doctrina, quam alibi attulimus de actibus futuris liberis.

ANIMADVERSIO XXVI. THEOLOGICA

In Diuinationem ex ſomnijs relatis in Aſtra.

68 SATIS vulgatum eſt apud omnes Cælum, & Aſtra ita ſuis influxibus poſſe humores noſtri corporis alterare, vt motis in corpore vaporibus excitentur etiam in ſomno phantaſmata, quibus ſomnia conficiuntur; atque inde aliquorum effectuum diuinationem efformari poſſe, quæ diuinatio dici ſolet de effectibus, quatenus relationem habent ad ſuas cauſas, inter quas numerantur Cælum, & Aſtra, ſenſus & phantaſmata commouentia; Cum enim cælum influere poſſit in phantaſiam, quæ corporea eſt, & organis corporeis immerſa, ſubinde etiam poteſt ſpecies imaginarias quadam interna motione excitare, quę illa nobis obijciant in ſomno, quæ experturi ſumus in vigilia; atque hac ratione ex ſomnijs relatis ad aſtra diuinare poſſumus abſque ſuperſtitione pluuias, ſiccitates, & id genus alia, quæ cum Cælorum influxibus connecti poſſunt. At non propterea intelligendum eſt poſſe cælum directè & per ſe producere in phantaſia varias imaginarias ſpecies earum rerum, quas ex ſomnijs diuinamus; fieri enim non poteſt, vt doctè ſatis notat etiam Suarez *lib. 2. de ſuperſt. c. 13. num. 11.* vt ad phantaſiam ingrediantur nouæ ſpecies imaginariæ, ſeu noua phantaſmata, niſi per ſenſus externos, cum hæc vnica ſit, & naturalis via aquirendi ſpecies ſenſibiles in ſenſibus internis; & ideò impoſſibile eſt, vt virtute Cæli imprimatur phantaſiæ ſpecies lucis, aut coloris, quando ſenſus externus nondum illas excepit; quo fit, vt ſecluſa diuina actione poſſibili, impoſſibile ſit ſomnia fieri, niſi per excitationem phantaſmatum præcedentium, quæ omnia conſtant ex philoſophia.

Ex ſomnijs igitur etiam in Cælum 69
relatis tanquam in ſomniorum cauſam non poſſunt ita facile effectus futuri diuinari; vnde qui nimia firmitate quoad eiuſmodi effectus ſomnijs adhæreret, peccaret, ſi non peccato ſuperſtitionis, ſaltem peccato temeritatis, & nimiæ credulitatis adhibitæ præter rationem; & ratio eſt, quia cę-

lum

lum ex dictis non eſt immediata cauſa ſomnij, vnde per ſe non arctat phãtaſiam ad hanc, vel illam apprehenſionem, cum ſolum medijs humoribus corporis alteret, & moueat phantaſmata, potentias ſenſitiuas, & organa; quorum alteratio, cum non ſit ſemper ab eodem ſiderum aſpectu, & variæ accommodetur diſpoſitioni materiæ, & valde varia ſit iuxta varietatem humorum, & temperamenti; inde fit, quod eiuſmodi coniectatio, vel diuinatio incertiſſima ſit, ac tenuiſſima, & vix ad probabilitatem perueniat; præſertim quia ipſa virtus ſtellarum valdè occulta nobis eſt; neque eſt ſatis, quod de vna vel altera aſtrorum virtute obſeruatum ſit flauam, vel atram generare bilem, ſanguinem, vel pituitam, cum quælibet ex his virtutibus poſſit ab alijs occurrentibus impediri; ex quo valdè incerta redditur ipſa quoque cæli influentia, etiam ſi talis influentia conſideretur tantum in ordine ad effectus naturales, quorum ideo incertiſſima redditur cognitio; licet enim daremus poſſe multa futura cognoſci ex ſolo ſomniorum iudicio, ex eo, quod ſomnium indicet cõſtellationem, & influentiam cæleſtem qualis ſit, per quã putamus poſſe cognoſci, quod futurum ſit; tamen hæc cognitio vix gradum probabilitatis attingeret, tum quia ex vi ſomnij ſolius conſtellatio cæleſtis tenuiſſimè, & obſcuriſſimè indicatur; tum quia licet aliquo modo indicetur, non tamen plenè, neque cum concurſu aliorum aſtrorum, quæ poſſunt concurrere; contingere enim poteſt, vt occurrant aliqua, quæ licet non impediant effectũ ſomnij propter materiæ qualitatem, illum tamen impediant propter alias circumſtantias; tum quia, licet tempore ſomnij fuerit talis, vel talis conſtellatio, ignoratur tamen quãtum duratura ſit; imo certum eſt ſtatim variari, & mutari aſtrorum aſpectum, & diſtantiam. Tum denique, quia etiam in præhabitis ſæpè oſtenſum eſt, quam ſit modica, fallax, & incerta aſtrorum, & cæleſtium influxuũ cognitio, vnde incertiſſima erit ſemper ſomniorum diuinatio, licet ipſa ſomnia referantur in aſtra; hocque potiſſimum intelligendum eſt, ſi fiat diuinatio per ſomnia de effectibus liberis, vel merè caſualibus, vel omnino occultis, in qua non ſolum erit incertitudo, ſed etiam vanitas, & ſuperſtitio, vt optimè docet etiã Suarez *n.* 14. qui non diſtinguit hoc ſuperſtitioſum diuinandi genus à diuinatione per aſtra, vel ab alia quacunque diuinatione ſuperſtitioſa.

ANIMADVERSIO XXVII. THEOLOGICA

In Diuinationem ex ſomnijs Diuinitùs immiſsis.

70 POSSE quàplura ex ſomnijs diuinitùs immiſſis certò diuinari extra omnem ſuperſtitionem apud omnes eſt in confeſſio; quin diuinis ſomnijs fidem adhibere nõ modo vanum non eſt, verum potiùs ſanctum, & neceſſarium, dummodo de ſomnij origine ſatis moraliter conſtet; nam Deo loquenti ſemper fides adhibenda eſt, ſiue hoc, vel illo modo loquatur, dum verè conſtat ipſum loqui; ſomnium enim à Deo immiſſum quædam Dei loquutio eſt, iuxta illud Scripturæ, per ſomniũ loquar ad illũ; in qua duo præſertim animaduertenda ſunt, vt fides adhibeatur; vnum eſt, vt ſufficienter conſtet ſomnij authorem eſſe Deum, vel Angelum bonum eius adminiſtrũ; ſicut enim non creditur prudenter, niſi quod ſufficienter proponitur, vt reuelatum à Deo, ita nec fides ſomnio prudenter datur, niſi aliquo ſufficienti modo conſtet Deum eſse ſomnij authorem; aliud requiſitum eſt, vt ſignificatio ſomnij patens, & clara ſit, vt ſolet maximè eſse in ſomnijs, quæ per expreſsam locutionem fiunt, vel ſaltem, vt ex circumſtantijs, & coniecturis ſufficienter innoteſcat; vnde ſomnijs ambiguis ſeù ænigmaticis nõ ita facilè fides adhibenda eſt, etiamſi credantur à Deo ortum habere. Quibus autem indicijs dignoſci poſſit, quod hæc, vel illa ſomnia ſint à Deo, boniſque Angelis, non autem à dæmone, pluribus explicãt Martin. Delrio *lib.* 4. *diſquiſ. c.* 1. *q.* 6. Perer. *lib.* 1. *in Daniel.* Suarez *lib.* 2. *de ſuperſtit. cap.* 13. Valent. 2. 2. *diſp.* 6. Sanchez *lib.* 2. *in Decal.* Layman. *lib.* 4. *tract.* 10. Bonacin. *in* 1. *Decal. diſp.* 3. *q.* 5. Baldell. *lib.* 4. *diſp.* 8. & alij, qui omnes in hoc conſentiunt, quod ſi ſomniũ impellat, aut moueat ad aliquod malum, vel relinquat animum turbatum, & confuſum, tunc rationabiliter credi poteſt eſse à dæmone: E contra verò ſi impellat ad bonum, & animũ relinquat alacrem, & ad bona expeditum, tunc credi poteſt eſse à Deo; licet in omni ſomniorum euentu tutius ſit Deum humiliter precibus exorare, vt lumen præſtet, atque timorem abigat, cum ſæpè etiam dæmon ſe transfiguret in Angelum lucis, & aliquid boni ſuadeat, vt poſtea in mala pertrahat facilè credulos. Quod ſi ex his indicijs nõ poſſit ſatis cognoſci, quod ſomnium ſit à Deo, tutiſſimum erit illud contemnere, & putare eſſe potiùs à dæmone, quam à Deo, cum Deus ſomnium immittens, ſimul faciat hominem certum, quod ipſe immiſerit.

Sic

Sic optimè Delrius *lib.* 4. *cap.* 3.& Sanchez *loco citato num.* 52.

71 Neque ita facilè exiſtimandum eſt Deum vti ſomnijs tamquam ſignis ad eius placitum inſtitutis ad ſignificanda futura, cum talis inſtitutio neque habeatur in Scripturis, neque proponatur, aut approbetur ab Eccleſia; licet enim conſtet in Scripturis de multis ſomnijs diuinitùs immiſſis ad aliquid ſignificandum, id tamen de omnibus vniuersè affirmari non poteſt. Præſertim quia in eiſdem Scripturis prohibitas habemus ſomniorum obſeruationes, vt patet ex *Deut. cap.* 18. ex *Leuit. cap.* 19. ex 2. *Paralip. c.* 33. & ex *Eccleſ. cap.* 5. Ad quam rem optimè facit illa Ciceronis ratio *lib.* 2. *de diuin.* quod plerique mortalium vix ſomnia intelligant, eorumque vix recordentur, imo ferè nũquam illis pateant, quod ſanè aliter eſse deberet, ſi Deus ipſe ſomnia elegiſſet, vt ſigna ad placitum futurorum euentuum, eaq. nobis immitteret, vt futura prædoceret. Præterea ſi voluiſſet Deus nos ex ſomnijs præmonendos eſſe de rebus futuris, clara, vt plurimum ſomnia immiſiſset, & nobis ipſis abſque ambiguitate notiſſima, quod tamen non fecit. Denique aptiùs dediſſet Deus ſigna vigilantibus, quam dormientibus, cum notitiæ, & ſenſationes in vigilia ſint certiores, & ſine obſcuritate, & multò melius potuiſset homines monere per viſiones in vigilia, quam per ſomnia in ſomno; Cum itaque nulla appareat neceſſitatis, vel congruitatis ratio, propter quam debuerit Deus vnicuique pro rebus futuris immittere ſomnia, non ſunt propterea ſomnia exiſtimāda tamquam ſigna futurorum ex placito Dei ad diuinandum inſtituta.

Ex his inferendum eſt cum Suarez *num.* 19. non licere nobis deſiderare, vel petere futurorum cognitionem etiam per ſomnia diuinitùs immiſsa; quod intelligitur niſi vrgens neceſſitas, vel honeſtiſsima ratio occurrat, vel niſi ex ſpeciali Spiritus Sancti inſtinctu id fiat; exponitur enim homo hoc immoderato affectu, vt decipiatur à dæmone, & vt dæmon ſe ſe immiſceat in illis diuinationibus, quod eſset maximum crimen, & ſaltem remotè poſset reduci ad peccatum ſuperſtitionis; Si tamen id ſolum fieret ex ambitioſa, ac ſuperba curioſitate ſciēdi res occultas, ad ſolam diuinam ſapientiam ſpectantes diceretur hoc peccatum potiùs pertinere ad tentationem Dei, quam ad ſuperſtitionem, de qua nunc tractamus. 72

ANI-

Digitized by Google

ANIMADVERSIO XXVIII. THEOLOGICA

In Diuinationem ex ſomnijs Dæmoniacis.

73 PLVRA etiam à dęmone immitti ſomnia ad decipiendos homines extra dubitationem eſt apud Theologos præſertim apud S. Th. 1. *p. q.* 111. & apud Caiet. 2.2. *quæſt.* 95. & in ſumma; ex quibus diuinare velle ſemper malum eſt, imo ijs fidem adhibere nō modo ſuperſtitioſum eſt, & intrinſecè malum, ſed etiam extrinſecè prohibitum per Caput Epiſcopi 26. *q.* 5. apud Suarez *num.* 20. Committitur autem hoc peccati genus, cum præcedit pactum Dæmonis promittētis reſpondere per ſomnia; vel cum recurritur ad dæmonem ipſum pro ſomniorum interpretatione; atque ad pactum cum dęmone, vel expreſſum, vel tacitum pro ſomniorum reuelatione ſpectāt peculiares quædam cæremoniæ, vel ante ſomnum, vel in modo ipſo dormiendi, eo intento vſurpātæ, vt per ſomnia reuelentur occulta. Dicitur autem ex Suarez tacitum cum dęmone pactum in ſomnijs interuenire, cum quis nihil de Deo cogitans, nec ratiōnem habens ad credendum ſomnium eſse à Deo, illi tamen fidem adhibet; Sic enim cenſetur ille fidem adhibere Diabolo ſomnium illud immittenti, cum conſtet nec eſse à Deo, neque à cauſa naturali: Quare acriter redarguendi illi ſunt, qui abſque vlla conſideratione ſomnijs credunt, non inquirendo an ſint à dęmone, vel à Deo, vel à natura; ſic enim credentes cēſentur in eo peccato eſse, vt velint credere, etiamſi periculo ſe exponant credendi Diabolo, qui eſt pater Mendacij; quod peccatum ſemper graue eſt, vt optimè aduertunt Leſſius *lib.* 2. *cap.* 43. *dub.* 8. *num.* 54. & Sanchez *vbi ſupra*; quemadmodum etiam dicitur ille grauiter peccare, qui ita eſt deditus ſomniorum obſeruationi, vt in agendis per huiuſmodi obſeruationes regatur; Secus verò ſi quis ex ſimplicitate, vel ignorantia fidem ſomnijs adhiberet; vel leuiter crederet, vel crederet ob metum rei aduerſæ, vel ob ſpem propitiæ, & ſic de reliquis.

Vt verò diſcernantur ſomnia dæmoniaca à Diuinis non eſt ſatis, quod experimento cōpertum ſit, ſępè fuiſse vera illa ſomnia, ſeù habuiſse euētum ſignificationi conformem; licet dæmon ab initio eiurauerit veritatem, ſolet tamen ſæpius vera dicere, atque euentu comprobare, vt in rebus maioris momenti fallat, & decipiat; ita ſimiliter non eſt ſatis, quod ſomnia videantur eſse de rebus vtilibus, atque ad 74

que ad

que ad humanam vitam ſpectátibus, quia etiam hoc modo ſolet ſæpè Dæmon homines attrahere, eorumq. beneuolentiã captare, vt poſtea faciliùs perdat, quod benè obſeruatum eſt à D. Th. 2. 2. *q.* 172. *art.* 6. Denique non eſt ſatis, vt ſomnia ſint de actibus bonis,& honeſtis,itaut ad eos inclinare, & inducere videantur, quia hoc etiam modo ſolet Satan in Angelum lucis ſe transformare ad fallendum; & licet admittãtur à Theologis communiter indicia quædã ad coniectandum de ſomnijs diuinis, & Dæmoniacis, cum tamen illa non ſint omnino ſufficientia,nequè à nobis omnino firma erit adhibenda fides.De hac re videri poterunt Suarez, Azorius, Valẽtia, Sanchez, Leſſius, Layman,Bonacin. Baldell. Filliuc. Trullẽch. & alij plurimi, vbi agunt de diuinatione per ſomnia; apud quos omnes id vnum certum eſt,ex ſomnijs, quæ proueniũt à dæmone nihil certò diuinari poſſe, cum ipſi tamquam mendaciſſimo nulla fides haberi poſſit; & tunc maximè cauendum à ſomnijs eſt, cum videntur euentu comprobari; ſiquidem id, vel caſu accidit, vel ex dæmonis opera, vt faciliùs fidem perſuadeat. Sic etiã quia difficillimum eſt cognoſcere an ſomnia proueniant à cauſis naturalibus, an verò à dæmone, ideò grauiter peccare dicitur, qui temerè illis credit, cum manifeſto periculo ſe exponat deceptionis à dæmone; & ſi propter fidem, quam habet ad ſomnia, faciat aliquid contra legem Dei, aut aliquid faciendum omittat, certiſſimum eſt apud Caietan. *in Summ.* & Nauar. *in Manual.* quod peccet mortaliter; quod volunt etiam Suarez, Layman. Bonacin. Leſſius, & Sanchez de illis, qui certo modo, & ſitu ſe componunt non ſolum propter ſomnia turpia, ſed etiam ex intentione, vt ſomnient euẽtura, & vt aliquid occultum ſibi reueletur.

ANI.

Digitized by Google

ANIMADVERSIO XXIX. THEOLOGICA

In Diuinationem ex ſomnijs ſpectantibus ad corporis Temperamentum.

75 EX ſomnijs, quæ pro cauſa habere poſſunt, vel corporis temperamentum, vel humorum in corpore conſtitutionem non ſolum indicari, & iudicari effectus præſentes poſſunt, vt communiter faciunt Medici circa morbos, quos actu curant, ſed etiam poſſunt diuinari euentus futuri: Sic quãdo ſomnia ijs contingunt, qui tota vita nõ fuerunt ſoliti ſomniare, poſſumus diuinare, quod grauis aliqua mutatio illis impendet; idest vel grauis morbus, vel etiã mors; referũtur enim quidam apud Niphum *lib. de Somniorum interpretat. cap.* 14. & apud Themiſtium *in lib. de diuinat. per Somnium c.* 6. qui ſæpius ſomniarunt quod à nigro Cato in pede dextero morderentur, & deinde in eodem pede dicuntur nigram puſtulam habuiſſe, ex qua etiam interierunt, vel ſomniarũt, quod per totam cutem acubus pungerentur, & deinde poſt paucos dies lepra canina laborarunt; vel quod ambularent per prunas, & ſuper lutũ, & deinde febri putrida correpti ſunt; potuerunt namque eiuſmodi ſomnia habere pro cauſa talem in corpore humorum alterationem, vt ex ipſa facilè Medici periti potuerint imminẽtes morbos diuinare, idque abſque crimine ſuperſtitionis; ſi quidem per illa ſomnia ſatis indicabantur certi humores corrupti, & vitiati, ex quibus morbi illi cauſarentur, & per Phantaſma nigri Cati dexterum mordentis pedem ſatis ſignificabatur concurſus humoris melancholici ad illam partem ſatis peruſti, qui puſtulam faceret; quemadmodum etiã per Phantaſma acuum totam cutem pungentium ſignificari poterat concurſus eiuſdem humoris ad ſummam cutem, qui lepram faceret, & ſic de reliquis. Quapropter ad hanc rem benè docet Sanchez 2. *Decal. lib.* 2. *cap.* 3. cum Cituelo, Nauar. Azorio, Suarez, Leſſio, & alij pluribus, licitum eſse, & omni culpa vacare ſomnia obſeruare, quatenus bonam, vel malam corporis affectionem indicant, cum ſomnia habeant virtutem naturalem ad indicandos humores prædominantes in corpore ex quibus fiunt morbi, & hac de cauſa ſolent Medici petitiores de ſomnijs infirmorum percontari.

Vt verò diuinatio per ſomnia ad 76
temperamentum ſpectantia, quæ ſcilicet eueniunt ex humoribus noſtri corporis, certior ſit, ſpecialiter obſeruandæ ſunt rerum ſimilitudines, ſub quibus ſomnia illa contingunt; Ariſtoteles namque totam rationem interpre-

terpretandi ſomnia reducit ad cognitionem imaginum, & ſimilitudinum, ſub quibus contingunt, vnde Iudex ſeù interpres ſomniorum debet probè noſse, quarum rerum ſomnia ſint ſimulacra, & imagines, & quid natura ipſa ſub illis inuoluat; atque ad id cognoſcendum nō eſt attendenda quæcunque ſimilitudo, & analogia, quæ fortè appareat prima facie ad rem aliquam, ſi quidem hæc poteſt eſſe ad res diuerſiſsimas, & cōtrarias; ſed optimum, ac tutiſsimum erit, vt quantum fieri poterit, inueſtigetur cauſa, à qua excitantur ſimilitudines, & ſimulacra cuiuſcunque ſomnij, quia vbi conſtiterit de huiuſmodi cauſa, neceſſariò etiam conſtabit, quod res ſignificata ſit aliquid ex ijs, quæ poſsunt ab illa effici, & inde maior, & certior patebit via, vt per analogiam, & ſimilitudinem magis determinetur ſignificatio cuiuſcunque imaginis, & ſimulacri. Quare in diuinatione ex ſomnijs naturalibus optimum erit in promptu habere eas rerum imagines, & ſimulacra, quæ reſpondent peculiariter vnicuique humori, & communiter ab illo excitantur; nam vt benè notant Medici ſecundum vnumquodque prædicamentum aliqua cōtingunt in ſomnijs, quæ referuntur ad vnumquemque humorem in corpore; tunc verò certior erit diuinatio, cum ſomnia de eadem re non tantum ſemel, aut iterum contingunt, ſed ſæpius, quia tunc eſt ſignum quod exceſsus humoris eſt multus, & permanens.

ANIMADVERSIO XXX. THEOLOGICA

In Diuinationem ex ſomnijs ſpectantibus ad Animi affectiones.

77 NEQVE ſub cenſura cadunt ſomnia illa, quæ ex affectionibus, ſeù paſſionibus animi prouenientia, dicũtur quoquo modo ipſas animi affectiones, atque propenſiones indicare, in quibus tamen ne aliquis error irrepat, obſeruanda eſt materia, circa quam illa ſomnia verſantur; qui enim ſæpiùs ſomniant aggreſſiones ab hoſtibus, & victorias, indicant ex his propenſionem ad arma, & animi robur ad pugnandum; qui etiam ſomniant ſæpe diſputationes Philoſophicas, indicant ſe aliquam Philoſophiã veritatem fore indagaturos, & ſic de reliquis; vnde eiuſmodi ſomnia obſeruare fatetur Sanchez 2. *Decal. lib.* 2. *cap.* 38. libitum eſse, neque ſuperſtitionem innoluere, etiã ſi ex ipſis aliquid agendũ, vel omittendũ inįretur, hancque doctrinam tradit ex Suarez loco ſępiùs allato, & ex Delrio. Verũ tamen eſt non eſſe magnoperè laborandum de quauis diuinatione rei futuræ, quæ poſſit ex illis fieri, cum ipſis quoque deceptio ſubeſse poſsit, maximè ſtante humorum varietate, ex quibus quodammodo etiam animus variè diſponi, atque alterari poteſt, vt notat S. Th. 2. 2. *q.* 154. *art.* 5.

Peccant tamen graui ſuperſtitionis crimine, qui ad diuinanda cordium ſecreta, atque animorum arcana quædam dormientium capiti ſupponunt, ſiuè ſint herbæ quædam, ſiue lapides, ſiue aliquid aliud præſtigioſum, aut artificioſum, putantes ea, quæ capiti ſupponuntur ad extorquenda à dormientibus ſomnia, vim etiam habere ad extrahendas ab animo cogitationes, & arcana; dato enim quod illa, vel artefacta, vel ipſa natura compacta vim habeant ad ſomnia inducenda; quod tamen non ſemper contingit; non proinde dicendum eſt, tantæ eſſe efficacitatis, vt etiam animo imperent, licet eſſent Dæmonis opera ad hoc inuenta, neq. enim Dæmon cordium arcana poteſt attingere, niſi, vt diximus aliqua tantum coniectura valdè remota. Quare Caietan. 2. 2. *quæſt.* 95. *artic.* 6. teſtatur apud Sanchez ſe numquam ſomnijs varijs variè ſibi contingentibus fidem aliquam habere auſum, quamuis interdum eorum veritas effectu ſit comprobata, nam vel caſu factum eſt, rem ſomniatam ita accidiſse, vel dæmonem illum euentum procuraſſe, vt faciliùs homines ad fidem ſomnijs adhi-

adhibendam prouocaret. Atq. in his omnibus illa ratio nos à fide ſomnijs præbēda debet auuertere, quod euētus illi, maximè ſi ſpectent ad animi affectiones, nullam habeant cum ſomnijs connexionem.

ANIMADVERSIO XXXI.
THEOLOGICA
In Diuinationem ex ſortibus.

79 NON ſpectat ad rem noſtrā agere hic de ſortibus diuiſorijs, quæ mittuntur ex vi alicuius contractus, aut cōuentionis perſonarum ad res componendas, ad ſedādas lites, vel ad aliquid aliud huiuſmodi peragendū; ſed tantum de ſortibus conſultorijs, ſeù diuinatorijs, quæ mitti ſolent ad aliquid conſulendum, vel diuinandum de futuris, ſeu ad manifeſtationem alicuius veritatis occultæ; licet autem ſortes conſultoriæ, & diuinatoriæ ſępe ſępius apud Doctores ſub eadem appellationem cadāt, aliqua tamen ratione differūt, vt aduertit Suarez *lib. 2. de ſuperſt. cap.* 12. nam ſortes Conſultoriæ illæ dicuntur, quoties per indicium ſortis à Deo poſtulatur, & expectatur cognitio rei deſideratæ; Diuinatoriæ verò, quoties à Deo non expectatur cognitio, ſed à ſortibus ipſis, quarū vi putamus euentum eſſe redigendum ad votum noſtrum; docet autem idem Suarez, quod mittere ſortes expectādo à Deo iudiciū veritatis dupliciter fieri poſſe, ſcilicet prudenter, & temerè; ſi prudenter fiat ait ipſe hoc non eſſe in vitio, cum nullum ſit malum in agendo prudenter; ſi autem fiat temerè, ait vitium eſſe; Quod verò Sortes mittere ſit interdum prudenter factum, demōſtrat ipſe ex Sanctorum Patrum exemplo in veteri teſtamento, nam ſortitio facta à Ioſue ad reuelandum malefactorem occultum dicitur culpa vacaſse, & fuiſse prudenter facta, imo dicitur facta ex expreſso Dei mādato, & fuiſse non tam ſors purè conſultoria, & diuinatoria, quam executiua diuini mandati; cenſetur autem in his caſibus, & ſimilibus Deus ipſe ſortes dirigere, & temperare, quod ſatis eſt ad abolendum in ſortium miſſione omnem malitiam; ex quo colligitur, quod ſortes conſultorias, & diuinatorias mittere non eſse intrinſecè malum, & ex ſua natura prohibitum, cum quandoque id potuerit fieri ſine crimine; & illi Doctores, qui oppoſitum affirmant; conſiderant ſortes, vt includentes ſuperſtitionem, quæ vbicūq. ſit, eſt malum intrinſecè, qua ratione videntur aſserere ſortes ſuperſtitioſas eſse quidem intrinſecè

malas non ex ratione ſortis præciſè, ſed ex ratione ſuperſtitionis contentæ.

80 Sortes igitur quæcunque conſultoriæ,& diuinatoriæ,niſi fiant ex diuina inſpiratione expectãdo à Deo manifeſtationem veritatis illicitæ ſunt, & grauem cõtinent malitiam; eſt doctrina communis Theologorum, præſertim S. Th. 2. 2. *q.* 95. *art.* 8. Suarez *de ſuperſtit. cap.* 12. Sanchez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 38. Azor. *lib.* 9. *cap.* 21. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 43. Layman. *lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 3. Bonacin. *in Decalog. diſp.* 3. Baldell. *lib.* 4. *de ſuperſtit. diſp.* 6. Trullench. *lib.* 1. *cap.* 10. *dub.* 11. & aliorum communiter. Ratio doctrinæ eſt, quia ſortes in ſe ipſis nihil continent, vnde poſſint veritatem manifeſtare, neq. Deus per illas vult inueſtigari ſua decreta; & qui intendit ſignum aliquod extraordinariũ extorquere à Deo, & per ſortes aſſequi veritates latentes, præter peccatum ſuperſtitionis, committit etiam peccatum tentandi Deum, vt optimè notat Sanchez cum alijs iam citatis; & hac de cauſa in Iure Canonico abſolutè prohibentur tamquam ſuperſtitioſæ diuinationes, & maleficia, & etiam ſub comminatione excomunicationis, vt habetur *ex Cap. Sortes* 26. *q.* 5. vbi æqualiter damnantur Sortilegi, atque alij diuinatores, & etiam *ex Cap. Non liceat* 26. *q.* 5. & denique ex Bulla Sixti V. contra Aſtrologos, vbi appellantur reliquiæ Idololatriæ, in quantum traxerunt originem ex vana obſeruatione gentilium, qui illis tribuebant aliquam rationem diuinitatis. Quod verò ex peculiari Dei inſtinctu, & inſpiratione poſſint aliquando etiam licitè adhiberi huiuſmodi ſortes patet ex multis exemplis quæ referunt Doctores in Veteri, & nouo teſtamento, quæ exempla præſertim ſunt apud Suarez, Sanchez, Azorium, & Baldell. *locis citatis.*

Rationem verò malitiæ in ſorti- 81
bus ex eo præſertim ſumendum eſſe animaduerto, quod ſortium moderatio, vel expectetur à Deo, vel à Cælo, vel à caſu, vel à dæmone, atqui non eſt expectanda à Deo, quia non eſt probabile Deum illas ad præſignanda futura, vel occulta aperienda ſemper eſſe temperaturum, cum id nuſquam promiſerit, & ſæpiſſimè euentus contrarium oſtendat, neque vlla ſit neceſſitas, ordinariè loquendo, tam peculiaris concurſus, vnde omnino vanum eſt ſine alio fundamento illum expectare; Nec à Cælo, quia hoc eſſet actiones humanas à Cælo ſuſpendere, & fato ſubijcere; non enim poſſunt ſortes euentis futuris vi Cælorum, & aſtrorum accommodari, niſi vel vtraque à Cælo neceſſariò proueniant, vel euentus ipſi Cælo ſint præcogniti, vt ſortes ijs poſſit adaptare, quo modo Deus futura præſignare, vel occulta declarare per ſortes poteſt. Neque benè à caſu ſortium moderatio expectatur, quia ſortes caſu ſic, vel ſic cadentes nihil præſignare poſſunt, igitur ſortium moderatio erit tantum expectanda à dæmone, ac propterea dæmoni erit tribuenda illa futurorum prænotio per ſortes, ipſo ſcilicet tacito quodam pacto inuocato, vt ſortes regat, & effectum præſignatum procuret. Illi verò

verò qui cum Agrippa *in lib. 2. occultæ Philoſophiæ cap.* 54. docent eſſe in anima humana ſufficientem poteſtatem ad dirigendas ſortes ſuppoſita Cæleſtis conſtellationis opportunitate erroris damnandi ſunt, ſicut cæteri, qui omnia tribuunt aſtris.

ANIMADVERSIO XXXII. THEOLOGICA

In Pænas Diuinationum ex ſortilegijs.

82 PLERIQVE Doctorum circa pænas ſortilegum diuinatorum in ea fuere ſentẽtia vt putarent excommunicationem ipſo facto latam eſſe aduerſus Clericos ſortibus diuinatorijs vtentes, idque demonſtrant ex *cap. Si quis Epiſcopus*, & ex *cap. Aliquanti* 26. *q.* 1. quibus adhærens ex parte etiam Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *de ſuperſtit. cap.* 19. *num.* 5. affirmat hanc doctrinam fuiſse ſemper probabilem, licet dicat oppoſitam fortaſſe eſſe probabiliorem; illa etenim verba in Iure Canonico, Anathema ſit, aut ſit excommunicatus, videntur excommunicationem latam exprimere, non ſolum ferendam; quæ verborum ſignificatio habetur expreſſiùs ex quadam extrauaganti Ioannis XXII. quæ incipit ſuper illius. At his non obſtantibus contra Martin. del Rio *lib.* 4. *diſquiſit. Magicar.* Sanchez *in Decal. lib.* 2. *cap.* 38. putat veriorem eſse illam ſentẽtiam, quæ aſſerit aduerſus diuinatores ſortilegos non eſse latam excommunicationis pænam, ſed tantum ferendã, cum ea verba anathema ſit, habeatur excommunicatus, & ſimilia, ſint verba futuri temporis, non præſentis; verbum enim, ſit, vel eſt abſolutè temporis futuri, vel ſaltem ambiguum eſt, an ſit futuri optatiui modi, aut præſentis ſubiunctiui, & ideo in hoc dubio Iuris eſt in mitiorem partem inclinandum; quæ ratio militat non ſolum in his verbis, anathema ſit, ſed multo magis in illis, excomunicatus ſit; licet eadem verba poſita in Decretis Conciliorum determinantibus pertinentia ad fidem importent hæreticum eſse ſentire contra illam determinationem; quod verborum diſcrimen, vt optimè animaduertit Sanchez, ſpectandum eſt iuxta materiam, de qua proferuntur; ſi enim proferantur in materia, in qua conſtet ex alijs textibus non imponi excomunicationem latam, cenſendum eſt, verè non eſse latam, ſed ferẽdam, quemadmodum è contra ſi proferantur in alia materia, oppoſitum intelligẽdum eſt. Addit Suarez *loco citato*, quod licet in rigore

rigore Iuris intelligatur lata excomunicatio, non videri tamen hanc Iuris intelligentiam eſse conſuetudine receptam, vnde conſuetudo vel quoad hanc partem derogat Iuri, vel certè cum ſit optima legum interpres, ita verba illa interpretatur, vt ſcilicet in Iure perinde accipiatur anathema ſit, ac ſi diceretur, anathematizetur; eſse autem eiuſmodi conſuetudinem conſtat ex Gloſſis apud eumdem Suar.

83 Præterea animaduertendū eſt ſortilegos diuinatores non ſolum eſse ſubiectos cenſuræ excomunicationis, ſed etiam pænæ inferendæ, vel ab ordinarijs locorum, ſi ſortilegia non inuoluant hæreſim, vel ab Inquiſitoribus, ſi hæreſim manifeſtam includant. Id docet apertè ex Iure Canonico Simanc. *Titul. de Sortileg.* qui ait poſse Inquiſitores de omnibus ſortilegijs cognoſcere, quia noxia, & ſuperſtitioſa ſunt ex peſtifera ſocietate hominum improborum, ac dęmonum, quaſi pacto infidelis, & doloſæ amicitiæ conſtituta. Dicuntur verò ea ſortilegia manifeſtā hæreſim ſapere, quæ ſine aliqua hæreſi exerceri non poſſunt; item illa ſortilegia ſapiunt hæreſim, & valde ſuſpecta ſunt, quæ prima fronte præſeferunt odorem, & ſaporem hæreſis, v. g. cum in ſortibus, atque in ſortilegijs commiſcentur aliqua dicta vel facta hæretica, vel quæ probabilem ſuſpicionem hæreſis præbent; proinde qui cadauer hominis baptizaret, vt inde ſortium reſponſā haberet, & qui alijs Sacramentis Eccleſiæ in eandem ſuperſtitionem abuteretur, & qui dæmonem ſortibus inuocaret, aut aliud quidpiam ſimile committeret, ab Inquiſitoribus non ſolum circa fidem interrogari poteſt, ſed etiam grauiter puniri; idque docent plures apud eundem Simancam *in Catholic. Inſtitut. loco cit.*

ANI

Digitized by Google

ANIMADVERSIO XXXIII. THEOLOGICA

In Diuinationem ex Augurijs.

84 QVIDAM Doctores tres illas diuinationum ſpecies quæ habentur ex animalibus ſolent confundere, quidam etiam ſolent diſtinguere, nimirum, Aruſpicium, Auſpicium, & Augurium; Ego hæc omnia admiſſa etiam diſtinctione, vnum facio quoad crimen ſuperſtitionis diuinatoriæ, & dico, quod ſiue diuinatio fiat per obſeruationem exterum, inteſtinorum, aut viſcerum animalium, vt illam faciebant Veteres Aruſpices in aris ſacrificiorum; ſiue fiat per inſpectionem auium in habitu, paſtu, vel volatu, vt illam faciebant Auſpices, ſic dicti ab aſpiciendo; ſiue denique fiat per obſeruationem cantus, garritus, aut motus, & numeri ipſarum auium, vt illam faciebant Augures, ab auigerio, ſeu ab auigario ſic appellati, quocumque ex his modis fiat ſperſtitioſa eſt, & omni iure damnata; nam quoad illa, quæ ad antiquitatem ſpectant, certum eſt illis diuinationibus ſemper dæmonem adſtitiſſe, vt gentes illas ignaras deciperet; quoad vero illa, quæ etiam nunc temporis ab aliquibus coniectoribus obſeruantur, cum nihil ex ſua natura ſignificet hæc auguria, caſu vt plurimum contingentia, neque ex illis cognitio aliqua de futuris, aut præteritis ſumi poteſt, cui poſſit fides adhiberi; niſi futura ſint aliqui naturales effectus, qui per impreſſiones cæleſtes poſſint naturaliter in animalibus indicari, vt ſupra dictum eſt.

At velle ex his, quomodocunque 85
auguria captētur, obſeruationem extendere etiam ad cognitionem futurorum contingentium, ſeù ad prænotionem liberorum effectuum à voluntate hominum, vel totaliter, vel partialiter pendentium, vana, & diabolica ſuperſtitio eſt, & omnino vtroque iure diuino, & humano prohibita; quod optimè demōſtrat S. Thom. 2.2. *quæſt.*95. *art.*7. Nec obſtar, quod in ſacris literis dicatur Ioſeph *Geneſ.* 44. in augurandi ſcientia peritus, vt inde conijciamus licitum eſſe vſum talis ſcientię ad diuinandas hominum operationes etiam liberas, & futura contingentia, cum Ioſeph ipſe vir ſanctus fateatur ſe peritum in arte augurandi, atque illa vſum fuiſse; nam docet D. Thom. ex D. Auguſtin. *lib. Quæſtionum ſuper Geneſ. cap.* 144. id Ioſephum dixiſse, non quod verè augur eſset; ſed quod vulgi opinione augur haberetur; vel ea protuliſse fratribus ſuis ex ioco, non ex veritate; Extant enim in alijs ſcripturis augu-

ria

ria quæcunque ſæpè damnata, præſertim *Deuter.* 18. vbi dicitur; Non inueniatur in te qui obſeruet auguria; quemadmodum etiam in iure Canonico eadem ſæpè damnata inueniuntur, & præſertim *in cap. Igitur q.* 3. Vbi tamen animaduertendum eſt, quod ſi quis audiens, vel videns cornicem à læua canentem, coruum crocitantem à dextera; Si columbas aduertens fugientes, domum vel vrbem deſerentes; Si Grues, vel vultures celeri volatu prætergredientes; Si ſummo mane egrediens crucis ſignum, vel obuium fumus, vel aliquod aliud inſpiciens, timeat, fugiat, atque etiam an cæptis operibus deſiſtat propter illa mala omina, cum id agat tantum ex metu, non ex fide augurijs adhibita, atque ex metu ipſo ſibi tantum infauſta præſagiat, dicitur is non peccare mortaliter; poteſt enim eiuſmodi metus concipi ab hominibus etiam ſecluſa fide augurijs adhibita, ex eo quod talis metus fuit ex multis falſis narrationibus inditus, quibus ſi tantum innitatur diuinatur ex formidine, non dicitur omnino ſuperſtitioſus, ſed potius formidoloſus huic rei adaptanda ſunt illa quæ alibi diximus in ſimili materia, nam nimis operoſum eſt, & pluries repetere.

ANE

ANIMADVERSIO XXXIV. THEOLOGICA

In Diuinationem ex Prodigijs.

86 SOLENT diuinatores etiam ex ijs, quæ præter ſolitum, & communem naturę ordinem contingunt, quaſdam prædictiones ferre de futuris euentibus, eo innixi fundamento, quod oſtenta, portenta, prodigia, atque monſtra inde nominentur, quod aliquid futurum oſtendant, portendant, prædicant, ac monſtrent; at id quam ſuperſtitiosè agant, ex eo facilè innoteſcit, quod eiuſmodi prodigia, vel contingant ex ſola virtute Dei quoſdam fines occultos intendente, vel ex virtute dæmonis homines illudente, vel ex virtute ipſius naturæ aliquod ſibi proportionatum per illa ominante. Si ex virtute Dei ordinentur prodigia ad occultos fines, nemo ſanè poterit illos diuinare, niſi Deus ipſe reuelet, & pādat arcana ſua; & ideò abſque tali reuelatione, in eiuſmodi diuinationibus ſemper ſuperſtitiosè agitur, & peccatur; Si verò fiant illa portenta ex virtute dæmonis, cum hæc fiant tantum per illuſionem, & deceptionem ſenſuum, ſcilicet per quamdam ſolummodo apparētiam, nullam poſſunt habere cum futuris euęntibus cōnexionem; ſi deniq. contingant prodigia ex intento naturæ, aliquid futurum naturale in illis moliente, cum etiam hoc naturæ intentum ex varietate cauſarum, & diſpoſitionum, quæ poſſunt interuenire, ſit maximè abditum, & rerruſum, non poterit ita facilè diuinari; vnde à primo ad vltimum erit ſemper ſuperſtitioſum hoc diuinandi genus, & non poteſt exerceri ſine peccato, vt docet optimè etiam Azor. *lib.9. cap.19.*

Verum tamen eſt, non eſse ſuperſtitioſum ex illis diuinare aliquid euētutum in vniuerſum, non deſcendendo ad particularia; cum enim potuerit longa temporum ſerie obſeruari ad eiuſmodi prodigia ſemper aliquid ſequutum eſse ex voluntate Dei, poterunt etiam prodigia ipſa obſeruari, velut indicia alicuius boni, vel mali futura iuxta præſcriptum diuinæ diſpoſitionis; nam omne quod fit in natura, ſiue ſit intra ordinem naturæ, ſiue extra ordinem eiuſdem naturæ intenditur à Deo ad aliquem finem, & ſic ex illis effectibus maximo cum fundamento diuinati poteſt Deum aliquid aliud eſse facturum, cùm in illis effectibus ſuum habent agendi finem, licet ſit nobis ignotus; hacq. ratione poſſunt diuinari etiam quædā ſpectantia ad actus liberos hominū, cum poſſit Deus etiā 87

illa velle in illis effectibus, ſed id tantum in vniuerſum, vt dictum eſt. Cæterùm quoad euentus particulares, ſi probabiliter coniectamus illa prodigia vi ipſius naturæ eſſe facta, probabiliter quoque aliquos naturales euentus conijcere, expectare, & prænunciare poſsumus; cum enim illi euentus in particulari vim naturæ non ſuperent, poterunt abſque ſuperſtitione ſolum probabiliter diuinari; idque docet etiam Azor. *loco cit.*

ANIMADVERSIO XXXV.
THEOLOGICA
In Diuinationem ex Elementis.

88 QVOD de alijs diuinationibus per aſtra, per ſomnia, per ſortes, per partes humani corporis, per voces, & motus brutorum, & per alia huiuſmodi dictum eſt, idem prorſus aſſerendum de diuinatione per elementa, præſertim quoad diuinandos euentus liberos, ac fortuitos, & merè contingentes; ſiue enim etiam hæc vis, & ratio diuinandi referatur in aſtra, & in Planetas, ſiue in aliud quodcumque, ſemper erit ſuperſtitioſa, & ſumma impietate damnanda; eò enim modo quo euentus liberi, & fortuiti non poſsunt certò diuinari ex aſtris immediatè, & per ſe conſideratis, ita neque poterunt certò diuinari ex alijs, in quibus aſtra, vel Planetæ repræſententur; atq. hac de cauſa in Sacris Canonibus *Cap. Igitur 26. quæſt. 3.* & in Bullis Pontificijs Sixti V. & Vrbani VIII. & in Indice librorum prohibitorum Regula 7. grauiſſime damnatur Geomantia, Hydromantia, Aeromantia, & Pyromantia, quæ ſunt quatuor artes diuinandi ex Elementis, tamquam vaniſſimæ, & ſuperſtitioſæ; quemadmodum etiam prohibentur omnes libri, ſcripta, & tractatus, qui per illas aliquid certò euenturum affirmant de futuris ſucceſſibus contingentibus, vel de fortuitis caſibus, vel de ijs actionibus, quæ pendent ab humana voluntate, & libertate; & ſolum permittuntur libri, aut ſcripta, quæ ex principijs naturalis Philoſophiæ iuuant artem nauticam, agriculturam, & artem medicam, diuinando ſcilicet pluuias, ſerenitates, ventos, frigora, & id genus alia, vt notat Azorius *p. 1. lib. 9. cap. 14.*

89 Dicuntur autem potiſſimum damnatæ hæ quatuor artes diuinandi per Elementa, quia Geomantia tunc fit, cum diuini hac arte vtentes, atque à dæmone edocti certa ſigna, puncta, figuras, & characteres, vel in terra, vel in puluere, vel in papyro,

vel

vel in quocumque alio corpore è terrena ſubſtantia compacto inſcribunt, & poſt illorum inſcriptionem, mutationem, vel traſpoſitionem prædiuinant id, quod animo intendunt, quod fieri non poteſt ſine manifeſto dæmonum pacto, & inuocatione; neque enim ſigna illa naturales cauſæ eſse poſſunt talis diuinationis, nec ſigna rei prænunciatæ, ſed ſigna tantum pacti diabolici; Aeromantia verò tunc fit, cum à diuinatoribus obſeruantur aeris mutationes, ſonitus arborum, flabellationes ventorum per angulos domorum, per portas, per feneſtras, & ex his futura prænunciantur; in qua vana obſeruatione idem pactum dæmonis cernitur, ſicut in ſuperiore; Pyromantia tunc fit, cum conſiderantur ignis, flammæ, & fumus, an magis vel minus conglobentur, ſplendeſcant, celeriter moueantur, quem colorem habeant, quem ſonitum edant, & his ſimilia, quę omnia ſimiliter vana ſunt, & ex diaboli arte inuenta. Hydromantia denique tunc fit, cum conſiderantur figuræ quędam, quæ in aqua fiunt, & apparent cũ prolatione quorumdam verborum, ex quibus vel futurorum extorquentur reſponſa, vel ſaltem futura ipſa prænunciãtur abſque alia interrogatione; quæ omnia vt ex ſe ipſis habetur ſuperſtitioſa sũt, & prorſus diabolica; nam pro certo habendum eſt, neque ex Elementis, neque ex mixtis poſse licitè ea futura diuinari, quæ à talibus Elementis, vel elementorum tractationibus omnino diſparata ſunt, quæ neque ſunt effectus illorum, neque cum ipſis habent aliquam cauſam communem.

ANIMADVERSIO XXXVI. THEOLOGICA

In Diuinationem ex Meteoris.

90 PLVRES naturales euentus poſſe ex Meteoris diuinari licitè, ac ſine ſuperſtitione certum eſt apud Philoſophos, & etiam apud Theologos; plura enim ſigna ſunt, quæ naturalem habent cum ſuis effectibus connexionem, & vbi adeſt connexio eiuſmodi, poteſt eſſe tuta diuinatio. Sic ſi in aere obſeruentur tonitrua, coruſcationes, virgæ, parelia, halones, Irides, nubes, & id genus alia, poſſunt ex ijs licitè futuræ pluuiæ, venti, vel alia eiuſmodi prȩnunciari; & huc pertinet etiã diuinatio, quæ fieri poteſt ex cometis, & flammis, quæ accenduntur in aere, dummodo eiuſmodi Cometæ non referantur in aſtra, ſed ſolum agnoſcantur, vt quidã effectus naturæ ex exhalationum congerie; vnde ſi res tota in hoc genere diuinationis referatur in primas qualitates, præſertim in calorem, & ſiccitatem, quas flammæ accenſæ in aere maximè præſeferunt, & illi tantum effectus diuinentur per flammas, qui poſsũt aliquo modo per eiuſmodi exhalationes, & qualitates cauſari, nihil agetur, quod ſuperſtitioſum ſit, aut prohibitum; ſi enim flammæ crebrò appareant in aere, & magnæ ſint, & multum durent, poſsũt ſecundum Philoſophos cõiectari terræmotus, & quæ ex illis conſequi poſſunt, vt ſunt abyſſationes regionum, ruinæ vrbium, nouæ inſulæ, & noui montes; ſic enim conſtat ex hiſtorijs, quod quando hæc contigerunt, ſemper Cometa aliquis, aut flamma præceſſit in aere; & ſine dubio, quando in aere eſt magna copia exhalationum, vt certè eſt, quando ſunt flammæ, & magnæ, & diù durantes, probabiliſſimum eſt, quod multum illarum etiam detineatur intra cauernas terræ, eæq. ſi rarefiant, & quȩrant exitum, terram ipſam concutient, vnde fit terræmotus; & quia per huiuſmodi concuſſionem facilè accidit, vt terra dehiſcat, & ſecundum aliquas partes fiat depreſſior, & ſecundum alias eleuatior, & ad partes depreſſiores, ſi ſint propè loca maritima, facilè defluãt aquæ; hinc eſt, vt poſſint diuinari abyſsationes regionum, nouæ inſulæ, noua flumina, & cætera eiuſmodi; vt de facto dicitur cõtigiſse Siciliæ, quæ per terræmotum diuiſa eſt ab Italia. Ita ſimiliter quemadmodum ex flammis in aere poſſunt diuinari etiam vẽti, poſſunt quoque diuinari ea quæ ſolent conſequi ex ventis, vt ruinæ edificiorum, caſus lapidum, naufragia, tempeſtates, quæ omnes diuinationes ideò licitæ,

licitæ, & minimè ſuperſtitioſæ perhibentur, quia non egrediũtur fines naturæ, vt notat Caietan. ex Magno Alberto, & Baldellus ex Caietan. *lib.* 4. *diſp.* 13.

91 Eadem ratione poſſunt per accidens eiuſmodi flammæ, & Cometæ portendere in hominibus diſcordias, rixas, bella, mutationes regnorum, proditiones cædes, rapinas, & cætera ſimilia; ſi enim ſanguis multum calefiat, & excitetur, & multum choleræ, & ſpirituum calidiorum generetur, facilè homines rapit ad impetus violentos, ex quibus deinde illa omnia conſequuntur; dicuntur autem hæc omnia ſolum per accidens portendi, ac poſſe diuinari per flammas, & Cometas accenſos in aere, quia cum dependeant à libertate, non poſsunt per illos ſignificari, aut cauſari per ſe, ſed ſolum per accidens, in quantum flammæ ad illa diſponunt homines per calorem, & ſiccitatem. Et illa ipſa, quæ flammæ magis certò, & magis per ſe ſignificant, vt ventos, ſterilitates, &c. non poſſunt diuinari, vt omnino certò, & infallibiliter euentura; ſi quidem illorum cauſæ poſſunt facilè impediri ex aliquo vehementiori impetu; & ſatis eſt ſi diuinentur, in quantum eſt ex diſpoſitione cauſarum, & cum hoc addito, niſi cauſæ aliunde impediantur, vt etiam ſupra diximus de alijs ſimilibus diuinationibus. Quod verò ex Meteoris poſsint hoc modo diuinari, & præſignificari bella, mortes Principum, mutationes regnorum, & ſimilia videri poteſt non ſolum apud Philoſophos *in* 1. *Meteororum*, ſed etiam apud S. Damaſcen. *lib.* 2. *de fide cap.* 7. apud S. Th. 3. *p. quæſt.* 36. *art.* 7. S. Bonauent. *in* 2. *ſentent. d. ſt.* 14. *q.* 3. S. Antoninum *p.* 2. *titul.* 12. *cap.* 10. Petrum Nauar. 2. *de reſtit. cap.* 2. *num.* 109. & apud alios quamplures.

ANI-

ANIMADVERSIO XXXVII. THEOLOGICA

In Diuinationem ex rebus Medicis.

92 DICITAM eſse diuinationem, quam ſæpè exercẽt Medici ex quibuſdam ſignis, & humoribus corpora afficientibus, nemo eſt qui ambigat, cũ enim eiuſmodi diuinatio petatur ex rebus naturalibus, optimè ex ipſis prædici, ac præcognoſci poſſunt à Medicis quidam effectus in ipſa natura conſecuturi; qui effectus licet quandoque ſint impedibiles per inopinatum concurſum aliarum cauſarũ, non proinde tollunt probabilitatem prædictionum medicarum, quæ fundantur in cognitione naturæ, temperamenti, complexionis, & humorum in corpore prædominantium; quæ probabilitas coniectandi adimit culpam etiã in illis diuinationibus, quas ferunt Medici de vita, & morte cuiuſcunq. ægri; licet enim dicatur Mors, & Vita eſse in Manu Domini, tamen quoad naturales diſpoſitiones optimè cognitas poteſt etiam de vita, & morte aliquid probabiliter prænunciari, quod ſatis eſt ad abolendum in Medicis diuinationibus crimen. Quapropter ſicut eiuſmodi prognoſtica medica nullo iure cenſentur prohibita, ita nullo crimine ſunt damnanda; niſi fortaſsis adeſſet crimen temeritatis in aliquo Medico imperito, qui abſque debita notitia, aut morborum cognitione vellet prognoſtica facere; idque notant communiter Doctores in hac materia.

Sic etiam extra omnem criminis 93
ſuſpicionem eſt, cum Medici rationabiliter ſumunt ex Aſtrologis ſubiectionem humorum in corpore certis aſtris, ex quibus etiam certos diuinant effectus, vt v. g. cum faciunt Marti choleram ſubiectam Saturno Melancholiam, Lunæ Phlegma, Ioui, & Soli ſanguinem, & ſic de cæteris ad humores conſequẽtibus; ex hac enim aſtrorum obſeruatione non ſolum non damnantur Medici, ſed ſummoperè laudantur, præſertim cum in exhibẽdis pharmacis ad curandos morbos congreſſiones ſpectant aſtrorum, & aſpectus; poteſt enim inter ſidera, & corpora quoad morbos, humores, & affectiones corporeas eſſe maxima connexio, & maxima ſubordinatio; atque experimento ſæpe deprehenſum eſt, quod pharmaca à Medicis exhibita ſub illis ſignis, quæ dicuntur ruminantia plura mala prouocaſſe, & tritum eſt Medicorum dogma ſignũ Capricorni ægris facilè vomitũ prouocare; quemadmodum etiam ſub Saturnum dicuntur multum retardari medicamentorum operationes, & ſub

Marte multum laxare corpora, & moueri; ex his enim omnibus poſſunt Medici rationabiliter ſuas de euentibus futuris diuinationes ferre; Quemadmodum etiam Chirurgi ſpectatis certis ſignis Cæleſtibus pro vſtionibus, inciſionibus, alijſque eiuſmodi curationibus partium, vel membrorum in corporibus; poſſunt enim etiã Chirurgi accipere ab Aſtrologis, quod ſingulis partibus humani corporis ſpecialiter dominentur certi Planetæ, & certa ſigna, vt v. g. Saturnus capiti, ori, & linguæ Mercurius, Cordi Sol, Iecori Iupiter, felli Mars; & ex ſignis Zodiaci, quod dominetur capiti Aries, Ventri Taurus, Gemini humeris, pectori Cãcer, & ſic de alijs; ex quibus poteſt prudenter diuinare, quid ſit euenturum in ſuis curationibus, & etiam mala impendentia cauere, abſtinẽdo ſcilicet ab inciſionibus, & exuſtionibus, cum Luna exiſtit in ſigno, aut aſtro habente ſignificationem, ac dominium ſupra illud membrum, quia tunc membrum illud erit valdè humoroſum, & vlteriùs plus humoris ad illud prouocabitur per operationem Chirurgi, & per ſenſum doloris in ipſo ægro; & ſic facilè cauſabitur aliquod inconueniens; quæ omnia notat, & tradit Magnus Albertus *in ſpeculo Aſtronomico cap.* 14. qui liber habetur inter parua naturalia eiuſdẽ Alberti, ſi tamen ille liber verè eſt Alberti, de qua re multi dubitant.

94 Denique poterũt etiam Medici ſine culpa diuinare, quod huic, aut illi homini in ætate futura immineat ex aſtris grauiſſimus aliquis morbus; idque ſpectato tantum exceſſu caloris, vel ſiccitatis, vel frigiditatis ab ipſis aſtris cauſando; quapropter poterit prudenter Medicus eos homines per medicamenta, vel per abſtinentiam diſponere ad oppoſitam temperiem, ne morbus ille contingat, quem aſtra cauſarent; cum enim hi omnes ſint naturales effectus, optimè poſſunt ex aſtris, & alijs cauſis naturalibus præuideri, & etiam impediri; Sed ita tamen debent à Medicis diuinari eiuſmodi effectus, vt numquam eos certò euenturos prædicant, cum poſſint ex pluribus cauſis impediri, quod doctè notauit Petrus Nauar. *lib. 2. de reſtit. cap. 2. num.* 91. nam eiuſmodi diuinationes certò latæ ſunt plenæ periculi, vt ipſe inquit, ne vel in temeritatem, vel in ſuperſtitionem delabãtur.

ANI-

ANIMADVERSIO XXXVIII. THEOLOGICA

In Diuinationem ex rebus Magicis.

95 NON ſumitur hic Magiæ nomē prout ſignificat naturalem ſcientiam, vel cognitionem, cuius vi multa naturaliter euentura diuinari poſſunt, qualia ſunt illa, quæ contingere poſſunt ex ignotarum herbarum, vel lapidum applicatione, vel ex excellenti quodam ingenij, & mentis artificio, quæ ab ipſis rerum naturalium cognitoribus, vel artificij molitoribus facilè prænoſci poſſunt; Sed accipitur hic Magia præcisè prout dicit rationem diuinandi, quæ futura ſunt, per operam dæmonis, vel in rebus naturalibus, vel in rebus artificioſis, vel in rebus ſacris, aut alijs quomodocunque exhibitam; Aliæ namque magiæ acceptiones, quæ ſunt apud Doctores communiter non faciunt ad rem noſtram, cum ſolummodo quæramus hic de illis rebus magicis, quæ ordinantur ad notitiam futurorum; Atque diuinationem ex rebus eiuſmodi dicimus eſſe omnino ſuperſtitioſam, diabolicam, & omni iure damnatam, eamque exercentes omnes illas pænas, & cenſuras ſubire, quę latæ ſunt in iure Pontificio contra eos, qui commercium habent cum dæmone, vel ratione pacti, vel ratione inuocationis; Ad quod diuinationis genus reprobandum ea omnia adaptantur, quæ dicta ſunt de alijs diuinationibus prohibitis, præſertim cum in hac potiſſimum opera dæmonis interueniat, qua in nullo caſu vti licet; & ſemper committitur peccatū mortale in magia diuinatoria, etiamſi illa vteremur ad diuinandas res leues, & nullius ponderis; niſi tamen ignorantia, aut inconſideratio excuſaret; omnis enim dęmonis inuocacio, ſi fiat ex plena aduertentia, & deliberatione peccatum mortale eſt vt optimè notat Leſſius *lib.* 2. *cap.* 44. Sanchez 2. *Decalog. cap.* 40. & Baldell. *tom.* 2. *lib.* 4. *diſp.* 16. erit autem peccatum veniale ſi non benè aduertatur dæmonem talibus rebus magicis ſe immiſcere.

Atque hinc fit, vt nūquam liceat, 96
non ſolum per ſe immediatè magiam diabolicam exercere ad diuinandum, ſed neque alios magos conſulere in ordine ad eiuſmodi notitiam futurorum; eo enim modo, quo in nullo caſu ad tollendum vnum maleficium licet vti alio maleficio, vel illud quærere ab homine malefico, vt docet S. Th. 4. *ſent. diſt.* 34. & cum ipſo communiter Theologi, & Summiſtæ quos citat Baldell. *loco citato* contra Petrum Aureolum *in* 4. *ſentent. diſt.* 24. *q.* 2.

24. q. 2. & contra Angelum *verſ. ſuperſtition.* 13. quia ſemper fieret, vel quæreretur aliquid intrinſecè malum; eodem prorſus numquam licebit vti magia, vel magos conſulere ad diuinādum, quia ſemper opera dæmonis quæreretur, etiamſi id quæreretur in ordine ad bonū finem, vt eſset etiam quærere deſtructionē maleficij cum alio maleficio. Addo in magia diuinatoria præter crimen diabolicæ ſuperſtitionis plura alia crimina ſæpè interuenire, quæ attulimus ſupra vbi egimus de diuinatione per pactum, & inuocationē dęmonis, quæ hic, licet non repetātur, mēte tamen ſunt recolēda.

ANIMADVERSIO XXXIX. THEOLOGICA

In Diuinationem ex Necromantia.

97 DIVINATIONIS genus quod vulgò dicitur Necromantia illud eſt, quo quis vmbris, vel cadaueribus mortuorum inſpectis, futuros, aut occultos rerum euentus aduerſos, vel ſecundos diuinat; & appellatur quandoque etiam Pſychomantia, quatenus per eam defunctorum animæ ex vmbris euocatæ cenſentur reſponſa, vel oracula reddere; Atque hoc vno diuinationis genere ea omnia comprehenduntur, quibus vel ex deſcriptis in mortuorum corporibus certis lineis, figuris, & ſignis futura fortuita, vel latentia nitimur intelligere; vel cum certis cadauerum contactibus futurum aliquod, & occultum prænunciamus; vel denique cum præſcripta quadam verborum forma, aut certis carminibus, certis circulis, & figuris mortuos exſuſcitare putamus, & ab eis futurorum reſponſa quęrimus, & accipimus; quæ omnia diuinandi genera non ſolum iure diuino damnata inuenimus in ſacris literis, ſed etiam ipſo Iure Canonico, & Ciuili ex *Cap. Igitur 26. & ex L. Nemo Aruſpicem cap. de Maleſic. & Mathemat.* Quare etiam omnes eiuſmodi diuinationum genera exercentes non ſolum peccant mortaliter, vt omnes Doctores docent, ſed etiam multis cenſuris irretiuntur, & ſunt ab Inquiſitoribus grauiter puniendi, vt optimè notat Simancas in *Cathol. Inſtit.* Et licet olim cæca, & vana Gentilitas infelici hoc errore detenta ad cōparandam futurorum notitiam, vt plurimum mortuos euocaret ex vmbris, nūnc tamen temporis nō ità facilè excuſādus eſſet per ignorātiam error, cum ferè omnibus notū ſit eiuſmodi diuinandi modos prorſus diabolicos eſſe, ſuperſtitioſos, & illicitos, cū ſemper ſupponant cōtractus, &

pacta cum Dæmone, quæ nulla ratione licita eſſe poſſunt, vt animaduertit Azorius *lib. 9. Inſtit. cap. 20. & 23.*

98 Neque exemplum, quod habetur in ſacris literis de Pythoniſſa Samuelis animam euocante Necromantiæ ſceleri aliqua ratione ſuffragari poteſt; cum de illa re adhuc agitetur quæſtio, an is qui apparuit, & reſponſum reddidit Sauli fuerit verè Samuel, an verò Dæmon, qui Saulis formam, & imaginem retulerit; hoc enim ſecundum potuiſse contingere docet Diuus Auguſtinus *lib. ad Simplicianum quæſt.* 3. & ex D. Auguſtin. etiam S. Thom. *prima parte quæſt.* 89. *artic.* 8. potuit namque id permittere Deus ad aliquod occultum arcanum in illa re intentum; Vel ſi Deus ipſe fecisset, non proinde crimen Necromantiæ probaretur cum Deus vſus ſit creaturis ad maiora patranda miracula. Cæterum id diuinationis genus ſemper inuenitur damnatum in ſacris literis præſertim *in Deuteron. cap.* 18. vbi dicitur, non inueniatur in te, qui Ariolos ſciſcitetur, neque qui conſulat Pythones: additque ſanctus Thomas 2. 2. *quæſt.* 95. *artic.* 4. omne cum Dæmone commercium eſse in quacumque re malum intrinſecè, & multò magis in diuinatione futurorum, in qua Dæmoni tribuitur, quod habere non poteſt, & quod eſt proprium ſolius Dei.

ANI

ANIMADVERSIO XL. THEOLOGICA

In Diuinationem ex Cabala.

99 EX arta Cabaliſtica ſolent etiam diuinationes inſtitui, quæ maximè prohibentur; adeſt enim aliquod Cabalæ genus; quod ad Magiã diuinatoriam reducitur, & ea ratione, qua omninò damnatam fecimus hãc Magiam, eadem etiam eſt damnanda Cabala diuinatoria; quidquid enim ſit an Cabala illa probanda ſit per quam apud Hebræos myſtici ſacrarum literarum ſenſus cognoſcuntur, quæ eſt doctrina quędam non ſcripto, ſed verbo accepta, & alijs tradita; ſanè non eſt illa probanda, quæ ex nominibus, punctis, apicibus, literis, numeris, & accentibus variè diſpoſitis ſatagit futura diuinare; hanc enim velut omnino vanam, ac ſuperſtitioſam reprobant Doctores omnes cum Azor. *lib. 9. cap.* 23. Cum enim certiſſimum ſit quod nomina hebraica, characteres, numeri, & accentus eiuſmodi non ſint ſigna conceptuum, & rerum niſi ad placitum hominum, ſicut omnia vocabula aliarum linguarum, non autem ſint cauſæ, aut ſigna naturalia euentuum qui per illa diuinantur, inde fit, quod nullo modo ex illis poſſint futura diuinari; & ſi quandoque diuinantur, id vel caſu accidit, vel ex dæmonis opera, vt homines in illud ſuperſtitioni crimen faciliùs pertrahat. Neq. admittendum eſt, quod dicunt aliqui Chriſtum ipſum virtute Cabalæ nedum omnia mirabilia, & miracula patraſſe, ſed etiam omnia, quæ prædixit, prophetaſſe; cum Chriſto ad prophetandum non fuerit opus artis cabaliſticæ, ex omnium rerum multiplici ſcientia quam habuit, & quæ fuit ei debita, tanquam ſuppoſito Diuino, & humano.

Hinc damnãdi ſunt illi omnes, qui ad diuinandum artem exercent al- 100
phabetariam, quam vocant reuolutionem literarum cuiuſcunque nominis, ex qua reuolutione vel numeris quibuſdam addita, vel etiam ſine numeris facta, putant ſe poſſe omnia illa diuinare, quæ ſpectant ad illam perſonam, cuius eſt nomen, quod per literas, vel per numeros reuoluunt; nulla enim eſt connexio eiuſmodi reuolutionis, & nulla in literis, vel numeris ſignificatio eorum, quæ euentura ſunt, præſertim ſi agatur de futuris liberis, & merè fortuitis; vnde apud Sapientiores ars eiuſmodi alphabetaria, vel numerica tamquam leuiſſima ſemper habita eſt, & maximè ſuperſtitioſa cum nullum poſſit habere veritatis

fundamentum in ipſa nominum, numerorum, vel characterum natura, quæ ſolum ſignificant ex hominum placito, & inſtitutione; quare exercentes eiuſmodi Cabalam diuinatoriam non poſsunt à lethali crimine ſuperſtitionis excuſari, vt cum Azorio vult Baldell. *lib.* 4. *diſputat.* 14. Quemadmodum etiam grauiter peccarent illi, qui crederent huius leuiſſimæ artis diuinatoriæ genus traditum eſse ab ipſo Deo Moyſi, & ex ipſo ad nos eſſe propagatum, nã licet admitteretur accepiſſe Moyſem à Deo cognitionem aliquã myſteriorum, mirabilium, & occultorum verbo tantum, & non ſcripto, non proinde eſset admittendum Deum ipſum fuiſse huius artis leuiſſimæ, & nugatoriæ inuentorem, cum omnia faciat Deus in pondere, & menſura; neque ſit in natura aliqua connexio literarum, characterum, aut numerorum cum euẽtibus; Dixi tamen etiam alibi, quod ſi quis Cabala numerica, vel literarum reuolutione vteretur ad exercendum tantum ingenium, numeros ſcilicet voluntarios affigendo literis alicuius nominis, de quo vellet aliquid diuinare, hunc non impingere in ſuperſtitionis crimen, neque abſolutè peccare; niſi alijs eſſet occaſio, fidei præſtandæ Cabalæ prohibitæ; ſic enim peccaret peccato Scandali, & ruinæ ſui proximi; hoc ſpecialiter eſt animaduertendum, quia plerique nunc temporis hanc Cabalam numericam, & literariam exercent ad oſtentandum ingenij acumen.

ANI.

Digitized by Google

ANIMADVERSIO XLI. THEOLOGICA

In Diuinationem ex infuſione ſcientiæ.

101 QVAMVIS Theologi plures ſuperſtitionem artis notoriæ, quæ eadem eſt, ac quædam expectatio infuſionis ſcientiæ per certa ieiunia, & orationes, & per certas figurarum inſpectiones, & probationes ignotorum vocabulorum, diſtinguant à ſuperſtitione diuinationis; eo quod diuinatio maximè fiat ad habendam notitiam ſingularium, quæ naturaliter ſunt occulta, ars verò notoria maximè ſit ad habendum notitiam vniuerſalium, quæ propriè eſt ſcientia, naturaliter etiam, ac per ſtudium acquiſibilis, vt notat Suarez *lib. 2. de ſuperſt. cap.* 15. Ego tamen non cenſeo improbabile poſse dici ſpeciem diuinationis etiam expectationem infuſionis ſcientiæ modo allato, quatenus illa ſcientia medijs illis ſuperſtitioſis adhibitis poteſt ordinari ad diuinandum ex Vniuerſalibus quędam ſingularia, quæ naturaliter attingi non poſſunt atq. in quantum eiuſmodi ſcientia quæritur, vel expectatur à dæmone medijs ſuperſtitioſis ad ſcienda, quæ ſciri nnn poſsunt, poteſt dici ſuperſtitio diuinatoria, & eſse etiam hoc modo prohibita, & illicita, quemadmodum eſset illicita ſola ſcientiæ expectatio à dæmone, quæ ſemper cenſetur talis, quando media ad impetrandum aliquid à Deo ſunt prorſus inutilia, & male adhibita; talia nãque media, neque poſſunt eſse cauſa ſcientiæ quæ expectatur, neque ſigna ex Dei inſtitutione, quaſi promiſerit Deus infuſionem ſcientiæ quãdo certæ figuræ inſpicerentur poſt ieiunia, & orationes; Vnde eiuſmodi ſuperſtitio artis notoriæ, ſeu diuinationis ex infuſione ſcientiæ ſemper erit peccatum mortale, quod docent communiter Tolet. Reginal. Bonac. Valent. Leſs. Laym. Sanchez, & alij apud Baldell. *lib.* 4. *diſp.* 13. *de ſuperſtit.* niſi excuſet ignorantia, aut quædam mentis leuitas, & curioſitas, vt notat Sanchez 2. *Decal. cap.* 4. *num.* 12. 13.

102 In qua re eſt animaduertendum, quod licet in eiuſmodi ſcientia, vel arte diuinatoria ſuperſtitioſè aquirenda interueniat peccatum mortale, poſtquã tamen eſt acquiſita etiã per operam dæmonis, ſi in conſeruari nõ amplius hæc ſcientia, vel ars pendeat à dæmone, nec dæmon circa illam ampliùs operetur, poterit homo illa vti abſque nouo peccato, cum peccatum tantum fuerit in prima acquiſitione, quæ facta eſt medijs illicitis; non autem durat in illius conſeruatione cum

ne cum ipſa ſcientia non ſit ex ſe mala, & ideò neque illius vſus erit ex ſe malus; ex qua doctrina plura alia deducuntur, quæ fieri poſſunt ſine peccato, etiãſi primò facta ſint cum peccato; hancque doctrinam tradunt ſpecialiter Suarez *lib. 2. de ſuperſt. cap. 17.* Sauchez *lib. 2. in Decal. cap. 41.* Valentia 2. 2. *diſp. 6. q. 13. puncto 2.* eſt Bonacin. *in 1. præcep. Decal.* & Baldell. *loco citato*. Si quis verò poſt huius ſcientiæ, vel artis acquiſitionem pro ea melius exercenda aliquid vani adhiberet, vt ſcilicet iuuaret memoriam, vel ingenium perficeret, vel organa interiora melius diſponeret, vel dæmonem loquentem audiret libenter, vel phantaſmata mouentem expectaret, is ſemper peccaret peccato ſuperſtitionis graui, cum omnia illa media ſupponantur illicita, quia vana, ſecus ſi eſſent ex ſe apta naturaliter, vel ad iuuandum memoriam, vel ad perficiendum ingenium, vt notat optimè Suarez *cap. 15.* allato.

ANIMADVERSIO XLII. THEOLOGICA

In Diuinationem ex applicatione rerum naturalium, & artificialium.

103 EO modo, quo ſolent pluries varios effectus in ſe ipſis, vel in alijs experiri ex quarumdem rerum applicatione, vel artis, vel naturæ virtute factarum, vt ſunt herbæ, vel lapides, vel figuræ, vel imagines, vel characteres, vel id genus alia arte efformata, eodem prorſus ſolent etiam varios effectus ex earum applicatione diuinare, qui tamen effectus cum nullã habeant connexionem cum illis rebus, quæ adhibentur ad diuinandum, non poſſunt niſi ſuperſtitioſè diuinari; ſiquidem ſi ea, quæ adhibentur non ſunt ex ſe cauſæ, vel ſigna inſtituta ad certos effectus, clarè oſtendunt, quod effectus, qui ex illis ſequuntur, non ſequuntur ex virtute illorum, ſed ex opera dæmonis; qua ratione etiam ſuperſtitionis damnantur verba quædam inania, ſigna cæremoniæ, actiones quædam verè inutiles ad morbos curandos, ad ſanguinem ſiſtendum, ad mitigãdos dolores, ad vitam tuendam contra hoſtium læſiones, vel cõtra caſus fortuitos, ad conciliandum amorem, & ſimilia, hæc enim omnia non poſſunt eſſe ex verbis, ſignis, aut cæremonijs tãquam ex cauſis, aut ex ſignis naturalibus, vnde nec naturaliter poſſunt expectari ex eorum applicatione, nec conſequenter diuinari; quapropter peccant illi omnes, qui ſanitatem, vel euitationem periculorum

rum

rum ex his omnibus certò prænunciant, vel amatoriam in aliqua perſona beneuolentiam, quamuis enim lapides illi, vel herbæ applicatæ vim haberent ad excitandam ſpirituum, vel humorum commotionem in aliquo, nulla tamen poteſt eſse vis naturalis in herbis, vel lapidibus, quæ excitet, aut inflammet ad amandum determinãtem hunc, vel illum, quidquid dicat Victoria *in relect. de Magia* reperiri in Monte Egeno herbam quãdam nomine Chariſiam, quam ſi mulier portauerit, omnes alliciat ad ſui amorem; Quod multò magis dicendum eſt de rebus arte factis, vel per figuras, & imagines, vel per ſigna, & characteres, quæ nullam eiuſmodi vim poſſunt habere.

104 Ex qua doctrina colligendum non poſſe ſaluari à ſuperſtitione imagines illas aſtronomicas, quę obſeruata certa conſtellatione, & ſub certo aſpectu alicuius Planetæ, aut aſtri inſculpuntur in auro, vel in gemmis, & figura illius aſtri obſignatur; licet enim multi doceant apud Baldell. *lib. 4. diſp. 13.* poſſe ex aſtrorũ impreſſione multos mirabiles effectus deriuari naturaliter, ac conſequenter poſſe etiam naturaliter diuinari; tamen cum id videatur ſequi tantum ex illa figuratione, ſeù configuratione artificioſa ad aſtra, quæ omnino impertinenter ſe habet ad illos euentus, ideò communiter à Doctoribus reijciuntur eiuſmodi imagines aſtronomicæ, & damnantur ſuperſtitionis, vt videre eſt apud D. Auguſt. *lib.* 10. *de Ciuit. Dei* apud D. Th. 2. 2. *q. 96. & 3. cont. Gent.* apud Ferrar. *ibidem*, Simanc. *tit. 65.* Syluest. *V. ſuperſtitio*, Valent. 2. 2. *diſp. 6.* Sayr. *lib.* 4. Leſſium *lib.* 2. Delrium *lib.* 1. Suarez *lib.* 2. *de ſuperſtit.* Sanchez 2. *Decal. cap.* 40. & alios plures. Neque vllo poſſum admittere tamquam probabilem doctrinam oppoſitam, quam plures defendũt licet enim aſtra poſſint influere in corpora inferiora etiam arte facta, ex hoc ſequitur, quod tãtum poſſint influere pro eo tempore, pro quo facta eſt illa artificioſa configuratio, nõ pro omni tempore, ex quo poſſunt expectari effectus illi mirabiles ab illis, qui geſtant illos lapides, vel illas gemmas ſignis illis aſtronomicis inſculptas; Vnde benè conſideranti videtur ridicula doctrina pace Caiet. qui videtur illam tueri 2. 2. *q. 96. art.* 2. & Victoriæ *in relect. de Mag.* qui videtur illam non reijcere. Omitto recentiores, quibus etiam doctrina ſatis probabilis videtur, atque de hac re videri poteſt Baldell. *loco citato*, qui fortaſſis ab illa non admodum recedit, licet eam impugnet.

ANI-

ANIMADVERSIO XLIII. THEOLOGICA

In Diuinationem ex vanis obſeruantijs.

105 QVÆDAM eſt diuinatio vanæ obſeruantiæ, quæ ſpectat ad fortuitos euentus, & de qua agit S. Th. 2. 2. *q.* 96. *art.* 3. hæcque tunc exercetur, cum quis ex ijs, quæ caſu, & fortuitò accidũt ſibi, vel alijs diuinat fortunia, vel infortunia euentura; de qua diuinatione, cum etiam alibi aliquid dictum ſit, pauca hic remanent dicenda; vnde hoc vnum repetendum eſt, & pro certo habendum diuinationes eiuſmodi factas ex inaniſſimis obſeruationibus eſſe omnino ſuperſtitioſas, & illicitas, eſſeque velut illas, quæ fiunt ex augurijs, & ominibus, à quibus ea tantum ratione differunt, quod omina non attendantur ex ſignis fortuitò occurrentibus, ſed de induſtria, & ſtudioſè quæſitis; hæ verò attendantur ex fortuitis, & per eas principaliter quæratur directio in humanis operationibus. Cum verò certiſſimum ſit fortuitos euentus, cuicunque accidant, non poſſe eſſe cauſas fortunij, vel infortunij ſecuturi, neque eorum effectus, aut ſigna naturalia, hinc euincitur ſolum eſſe ſigna ad placitum, & ex dæmonis inſtitutione; & ideò non poſſunt licitè obſeruari ad diuinandum; & ſi obſeruentur eſt peccatũ mortale ex ſuo genere; niſi fortè excuſet ignorantia, & bona fides, qua quis in eiuſmodi ſignis nihil mali apprehendit, ſed illis ſolummodo vtitur, tamquam regulis acceptis à Maioribus, & experientia firmatis, quæcunque tandem ſit vera cauſa effectuum conſequentium; quod notant præ cæteris Caiet. *q.* 96. 2. 2. *& in Sum. Verſ. ſuperſtitio obſeruationum.* Leſs. *lib.* 2. *cap.* 43. Valent. *diſp.* 6. 2. 2. & Bonacin. *in* 1. *Decal. diſp.* 3. *q.* 5. ex quorum doctrina etiam colligi poteſt diuinationem ex eiuſmodi obſeruationibus poſse eſse etiam peccatum veniale tantum, præſertim ſi fiat diuinatio ex metu ad cauendum prudenter alium euentum aduerſum; cum fieri poſſit, vt eadem cauſa, quæ cauſauit primum malum euentum; cuius facta eſt obſeruatio, ſit cauſatura etiam ſecundum, & tertium, ſiue illa cauſa ſit Cælum, ſiue Deus, ſiue diuina prouidentia.

Similiter damnandæ ſunt aliæ diuinationes, quę fiunt ex vana obſeruantia Scripturarum, vel breuium, quæ geſtantur ad collum; præſertim ſi ſpes futuri euẽtus habeatur ex modo ſcribendi, alligandi, aut geſtandi Scripturam ad collum, vel ex aliqua alia vanitate, v.g. quod ſit Scriptura in charta Virgine, huius, aut illius coloris, 106

hoc vel illo atramento exarata; etiamſi crederetur, quod Deus infallibiliter eſſet adfuturus ijs, qui portant ad collum talem ſcripturam, cum nuſquam appareat in ſacris literis Deum id promiſiſſe, id ſemper ſuperſtitionis damnandum erit; & ex hoc capite rectè etiam damnantur ſuperſtitionis ſcripturæ illæ, aut orationes, in quibus prænotatur, quod qui illas portauerit, aut recitauerit, hoc vel illud malum vitabit, ſcilicet non morietur in bello, aut in peccato, non lædetur ab hoſtibus &c. non enim licet ex illa geſtatione diuinare, quid Deus facturus ſit, præſertim cum futura quæ diuinantur pertineāt ad hominum arbitrium. Si quis verò fide maxima adhibita reliquijs Sanctorum, vel alijs rebus ſacris ex illis diuinaret ſibi ſanitatem, vel alijs, quibus illas reliquias, vel res ſacras ſuperimponeret, nō eſſet damnandus tamquam ſuperſtitioſus, ſed potius laudandus, tamquam maximè religioſus; omnis enim illa diuinatio in fide poſita eſſet, quæ efficaciſſima eſſe ſolet ad ſperatos euentus, vt innumeris fiduciæ in Sanctos, & Deum miraculis ſatis conſtat.

ANIMADVERSIO XLIV.
THEOLOGICA
In Diuinationem ex Amulethis.

107 VARIA erant Amulethorū genera apud antiquos, quæ ſuperſtitioſè ſatis è collo ſuſpendebantur ad varios procurādos effectus, inter quæ potiſſimum erant etiā amuletha quædam diuinatoria lapidea, quæ eo tantum geſtabantur, vt mala ventura ſua ipſorum mutatione prænunciarent, ac eo præſertim, vt occultas inimicorum inſidias detegerent; hæcq. etiam quantum fuerint ſuperſtitioſa ex eo coniectare licet, quod nullam haberent cum ijs, quæ diuinabantur proportionem, aut connexionem, cum eiuſmodi amuletha eſſent pro libito hominum fabrefacta, & ab ipſis ad futura illa præſignificanda ſponte tantum inſtituta; vnde contra hoc diuinationis genus videntur omnes rationes militare, quas ſupra attulimus de alijs diuinationibus ſuperſtitioſis omnino illicitis, ac prohibitis; cum etiam allatis addi poſſit non poſse inſidias inimicorum, quas moliūtur hoſtes per actus occultos, & immanētes vim habere ad immutanda amuletha, quæ collo geſtantur, alijs ſcilicet aut collatis coloribus, aut ſplendoribus lapidum, & gemmarum infuſcatis, & ſi id fiat, certè arte dæmonum faciendum eſt. Addo futuros euentus

L libe-

liberos nullo modo prænotari poſse à quacunq. re materiali, in cuius virtute contineri non poſsunt; & licet quædam amuletha lapidea inuenta ſint, quæ pro varijs temporum, aſtrorum, ac planetarum diſpoſitionibus varias mutationes ſubirent, non proinde arguendum eſt, mutationes illas ex aſtris deriuantes potuiſse humanos euentus prænotare; quemadmodum dictum eſt de aſtris ipſis quod eiuſmodi facultatem non habeant. Quod verò lapides, & gemmę ad mutationem aſtrorum mutari poſſint, hoc non inficiamur, cum poſſint in illis aſtra ſuas impreſſiones efficere, ex eo quod corpora inferiora ſuperioribus ſubiecta ſint quoad proportionatos influxus; & adeſt experimentum à multis hiſtoricis relatum, ac præſertim apud Bulengerum *lib.* 1. *de diuin. cap.* 5. de lapillo, quem gerebat in annulo Leo X. Pontif. Max. qui pro vario Lunæ lumine è ceruleo in candidum abibat; & de alio lapillo pretioſo, quem habuit Clemen. VII. itidem Pontif. Roman. in quo macula Sole oriente oriens, occidēte occidens ad Solis motum circumagebatur.

Cenſenda ſunt igitur ſuperſtitioſa 108
omnia illa amuletha, quæ ad diuinandos eos euentus geſtantur, qui non poſſunt in illis contineri, neque tamquam in cauſis, neque tamquam in ſignis futurorum; Si quæ tamen darentur, ex quibus effectus quodam naturales naturaliter in ipſis contenti poſſent prænotari, hæc haudquaquam dicenda eſſent ſuperſtitioſa; poſſunt enim lapides quidā mutationem aeris pati, cum dēſior aut rarior fit, cum humidior, aut ſiccior redditur, atque ex aeris mutationė ipſi quoq. naturaliter mutari poſſunt, tum quod colorē, tum etiam quoad ſplēdorem, & eiuſmodi mutationes ex lapidibus, & gē. mis arguere neq. ſuperſtitioſum eſt, neque illicitum, vt toties dictum eſt ob rationes naturales, quæ de talibus effectibus afferri ſunt.

ANI-

ANIMADVERSIO XLV. THEOLOGICA

In Diuinationem ex Duello

109 QVAMVIS hoc Duelli,ſeu Monomachię nomen translatum ſit ad ſignificanda quæcunq. duorũ certamina, quacumque ex cauſa inita, vel ineunda, magis tamen propriè omni æuo vſurpatum eſt pro illo duorum ſingulari certamine, quod ſuſcipiebatur ad eruendam alicuius rei veritatem, vel ad inducendam alicuius criminis purgationem, qua ratione Duellum ipſum vt plurimum diuinatorio quodam modo exercebatur, ſcilicet vel ad veritatis indaginem, quæ latebat obſcura, vel ad innocentiæ reuelationem, quæ non ita perſpecta habebatur; vnde à quibuſdam etiam Duellum Iudicium quoddam reuelatiuum nuncupatũ eſt; hancq. ſemper fuiſse propriorẽ duelli ſignificationem teſtatur Sanchez 2. *Decal. cap.* 39. cum Lyran. 1. *Reg. cap.* 17. Henric. *Quodlib.* 9. *q.* 23. Caietan. 2.2. *quæſt.* 95. Syluestr. *verbo Duellum.* Delrio *diſquiſit. mag. cap.* 4. *q.* 4. & alijs pluribus; in qua ſignificatione habemus etiam duellum eſſe ab Eccleſia ſpecialiter damnatum in *c. Monomachiam q.* 5. *& in c.* 1. *&* 2. *de purgat. vulgari*; quia tanquam omnino ſuperſtitioſum damnãt illud etiam D. Thom. 2.2. *q.* 95. *art.* 8. Caietan. *ibi*, & Henric. *quodlib.* 9. qui aiunt huiuſmodi duellum indicere, vel acceptare eſse ex genere ſuo malum inſtar mendacij, quia in propria ratione repugnantiam includit cum recta ratione, cum in teſtimonium, & reuelationem proprij iuris, aut innocentiæ aſſumatur id, quod non eſt medium aptum ad talem finẽ, & ideò dicitur pati diuinationis ſuperſtitionem; præſertim cum iuſtam cauſam tuentes nõ ſemper vincãt in duello, ſed plerumq etiam ſuccumbant, vt dicitur *c.* 2. *de purgat. vulgari.*

Hinc deducendum eſt numquam 110
licere vti hoc duello ad reuelandum aliquod ius proprium, vel aliquod alterius crimen, vel ad detegẽdam propriam innocentiam, ſi de ea non conſtet; cum enim ſit ex ſe ſuperſtitioſum, ſequitur etiã quod ſit intrinſecè malum, quæ doctrina multorum eſt apud Sanchez *loco citato*, licet ipſe probabiliorem putet oppoſitam cum Angel. Tolet. Nauar. Caiet. Valentia, & alijs nõ ſatis tamen coherenter ſuis principijs, quibus tradidit ſæpè omne genus ſuperſtitionis ex genere ſuo malũ eſse & nunquam licere; ibi verò neceſſariò putandum eſt eſse ſuperſtitionem, vbi nulla naturalis connexio eſt inter medium, & finem, aut nulla connexio inter cauſam, & effectum. Addo ipſum Sanchez docere *numer.* 5. non licere prouocato acceptare duellum ab illo, qui ſuſpicatur ipſum commiſiſse adulterium cum ſua vxore cauſa veritatis inda-

Digitized by Google

indagandæ, & eruendæ, idque affirmat ex eo, quod tale duellum ſit intrinſecè malum; Si igitur tale eſt in hoc caſu Duellum, tale etiam erit in quocũque caſu, cum diuinatorio modo exercetur, ac propterea in nullo euentu licitum erit; neque probabilis poterit eſſe illa doctrina, quæ illud quandoque licitum facit. De reliquis Duellis minimè ſuperſtitioſis, neque diuinatorio modo vſurpatis hic non loquor, conſtat namque plures eſſe cauſas ſuſcipiendi duelli, ex quarum animaduerſione eius honeſtas coniectanda eſt, atque de eiuſmodi cauſis agunt communiter Doctores in materia de duello, quos facilè conſulere eſt.

ANIMADVERSIO XLVI. THEOLOGICA

In Pænas Diuinantium ex Duello.

111 PÆNÆ omnes, quæ in Iure communi ſtatutæ cenſentur pro Duello, diuinatorio præſertim Duello applicandæ ſunt; tum quia hoc ſolum propriè duellum appellari ſolet, vt ſupradiximus, tum quia hoc duelli genus habet adnexã ſuperſtitionem, quæ omni iure intelligitur damnata: Et quidem Iure communi antiquo Clericus prouocans ad Duellum, illudque acceptans eſt ſuſpenſus iuxta aliquorum ſententiam, quam probant *ex cap.* 1. de Clericis pugnantibus in Duello; licet textus ſolum fortaſſe dicat hunc deponi debere, ac proinde non videatur ſuſpenſio lata, ſed ferenda, quemadmodum docent Suarez *tom.* 5. *in* 3. *p. diſp.* 31. Henriquez *lib.* 13. *de Excom.* Nauar. *in Sum. cap.* 27. & alij; in qua re aduertit Suarez non ſatis eſſe prouocationem ad Duellum, illiuſue acceptationem, vt Clericus ſit ſuſpendendus, ſed debet ſequi pugna. Sic etiam Iure nouo variæ decretæ ſunt pænæ aduerſus acceptantes Duellum, nam Tridentin. *ſeſſ.* 25. *de reformat. cap.* 19. excomunicat Imperatores, Reges, & quoſcunque temporales dominos, qui locũ ad Duellum in ſuis terris inter Chriſtianos conceſserint, additque etiam alias pænas graues, quæ ex Concilio latæ videri poſſunt aduerſus eos, qui quoquo modo vel Duella permittunt, vel ipſis cooperantur, vel illa indicunt, probant, & ſpectant; quæ etiam pænæ confirmãtur à Gregorio XIII. in quodam motu proprio anno 1582. & etiam à Clemente VIII. in motu proprio incipiente Illius vices anno 1592. vbi dictus Pontifex confirmat Trident. decretum, & etiã motus proprios Pij IV. & Greg. XIII.

At hic

Digitized by Google

112 At hic animaduertendum Decretum Tridentini, & motus proprios Pontificum relatos non ſolum intelligi de duello propriè ſumpto, ſcilicet diuinatorio, quod ad diuinandam alicuius rei veritatem ſuſcipitur, ſed etiam de quouis alio Duello inito deſignato certo loco, & tempore, ſiue ad eruendam veritatem, ſiue ad ſumendam vindictam, ſiue ad aliam quamlibet cauſam, quæ ipſum licitum non faciat; & ratio eſt, quia in quocunque duello habentur illa omnia incommoda, ob quæ Duella ipſa prohibentur; Quin imo cum duella diuinatoria nunc temporis parum ſint in vſu, & numquam, aut rariſſimè fiant ad eruendam veritatem, ex hoc fit, potiùs in alia Duellorum genera latas eſſe pænas ex iure nouo, quam in diuinatoria. Sed melius eſt opinari æquè ex Iure nouo damnari omnia Duella, cum eadem in omnibus ſint damnationis, & prohibitionis motiua. An verò cæteræ pænæ præter excomunicationem indictæ in Tridentino, & in allatis proprijs motibus contra committentes Duella, permittentes, concedentes locum, ſocios, & patrinos indigeant Iudicis ſententia, vt incurrantur, nondum decretum eſt apud Doctores, nam aliqui volunt intelligi latas ipſo facto, alij verò tantum ferendas; in qua re puto ego cum Sanchez eſſe diſtinguendum de pænis; nam quædam intelligi poſſunt ipſo facto latæ, aliæ tantum ferendæ per Iudicis ſententiam; quænam verò illæ ſint, facilè haberi poteſt ex Doctoribus in materia de Duello; ego namque hic eas omitto vt potè res minimè ſpectantes ad meum inſtitutum.

ANI

ANIMADVERSIO XLVII. THEOLOGICA

In Diuinationem ex Phyſiognomia naturali.

113 NON reuocanda hûc sũt iterum ea, quæ iam alibi dicta ſunt de diuinatione ex colore, proportione, & figura partium humani corporis, ex quibus iam ſtatutum eſt, licere nobis temperiem, valetudinem, ingenium, inclinationes, & affectiones cuiuſcunque coniectare, cum enim hæc omnia quoquo modo ſequantur ipſorum corporum diſpoſitionem, poterũt etiam ex perfecta corporum cognitione aliquo modo diuinari; dixi, aliquo modo, nam neq. hæc omnia poſſunt ità certò ſciri, vt omnino certæ poſſint diuinationes ferri, cum à varijs, ac facilè variantibus cauſis dependeant, vt optimè cum Azorio animaduertit Sanchez 2. *Decal. cap.* 38. *num.*44. Quod verò ex eiuſmodi Phyſiognomicis ſignis poſſint valde probabiles morum cõiecturæ deſumi ſæpius approbant, & confirmant etiam ſacræ literæ pluribus in locis, & præſertim Iſaiæ 3. *de peccatoribus*, Agnitio vultus eorum reſpondit eis; *& Prouerb.* 17. in facie prudentis lucet Sapientia; & eadem ratione S. Gregor. Nazianzen. *cap.*4. *aduerſ. Iulian.* ex eius vultu, & habitu corporis coniecit quis eſſet futurus; & etiam Iuriſtæ ſi plures accuſentur de aliquo crimine, illum primò quæſtioni ſubijciunt, qui malam habuerit Phyſiognomiam, quia ex illa præſumitur magis procliuis ad delicta, quod præſertim notant Bald. *l.* 2. *num.* 5. *Cap. Quorum appellationes* Carretius *in practica Criminali*, & alij plures.

At id præſertim in hac re animaduertendum eſt numquam licere ex Phyſiognomia naturali certò iudicare de actibus, ſeù de moribus actualibus alicuius, ſed ad ſummum vt dixi de propenſionibus, & inclinationibus habitualibus; Inclinationes namque, & propenſiones poſſunt eſſe à natura, & à cauſis naturalibus, quæ facilè cognoſci poſſunt; actus verò, & mores actuales ſunt à libera voluntate, cuius cognitio ad ſolum Deum ſpectat; neque ex inclinationibus, & ex propenſionibus ad actus, facilè eſt de actibus ipſis coniectare, cum inclinationes ipſæ ſummo ſtudio, ac virtute nedum temperari queant, ſed etiam paulatim radicitus extirpari, maximè ope diuina concurrente. Sic multò etiam minus licitum eſse poteſt ex habitu corporis certò futura extrinſeca, & merè contingentia diuinare, vt ſunt honores, & dignitates aquirendas, diuitias, nuptias, & id genus alia, hæc 114

enim

enim omnia non pendent à ſola corporis conſtitutione, ſed ab aliorum arbitrio, & ſæpè etiam à proprio, quod vt plurimum ignoramus, neſcientes, vt plurimum nos ipſi, quid facturi ſumus in tali, vel tali occaſione; quod præſertim animaduertunt Azorius *lib. 9. cap. 16.* Delrius *q. 4.* Sanchez *loco citato*, Baldell. *lib. 4. diſp. 9.* & alij. Ea igitur tantum ex facultate Phyſiognomica naturali diuinari poſſunt, quæ poſſunt prouenire ex complexione ex temperamento cuiuſcunque, quæ à peritis optimè poteſt agnoſci ex figura, & partium corporis diſpoſitione.

ANIMADVERSIO XLVIII.

THEOLOGICA

In Diuinationem ex Phyſiognomia Aſtrologica.

115 PHYSIOGNOMIAM Aſtrologicam omni iure damnatam faciunt Sanchez, & Baldellus *locis citatis*, affirmantes eſſe ex omni parte ſuperſtitioſam; at non videtur mihi hæc doctrina abſq. diſtinctione admittenda, cum enim etiam per ipſos admiſſum ſit corporis noſtri temperiem, & complexionem aſtris ſubiacere, cum ſingulis partibus corporis dicantur correſpondere, ac præeſſe certi Planetæ, non erit abſurdum ex Phyſiognomia Aſtrologica aliquas coniectationes, & diuinationes accipere; præſertim in rebus ad ipſum tantum corporis temperamentum pertinentibus. Si verò intelligant allatam doctrinam de actibus liberis, aut de alijs eiuſmodi effectibus contingentibus, quæ diximus ex aſtris minimè poſſe diuinari, eam nos quoque admittimus vltro: Cæterùm ex proportione, & comparatione partium humani corporis cum Planetis ipſis præſidentibus dicimus poſſe quędam in ipſis humanis corporibus certò diuinari, cùm verè planetæ, & corpora cæleſtia influant in hæc corpora inferiora, quæ ex receptis influxibus poſſunt taliter, & taliter affici, & etiam cum propenſione ad tales, & tales effectus iudicari abſque vlla ſuperſtitione; ea namque quæ aliquam connexionem, aut ſubordinationem habent in natura, omni dicuntur ſuperſtitione vacare; Sic ex Saturnina quadam corporis diſpoſitione, ſeù ex ſaturnino, vel liuido colore conięctare licebit hominem Saturnijs quibuſdā effectibus eſſe ſubiectum, ſcilicet moroſitati, triſtitiæ, tarditati in agendo, & ſic de cæteris; dicuntur enim quodammodo qualitates corporis, & qualitates Planetarum ita commiſceri, vt prorſus idem ſit corpus ipſum

conſi-

conſiderare, ac planetam corpori præſidentem.

116 Aduertit tamen Azorius *lib. 9. cap.* 17. vnam inueniri Phyſiognomiam Aſtrologicam, quæ tota commentitia eſt, & ipſo iure Canonico iugiter damnata, & ea eſt, qua ita putantur ſignis corporis ſigna cæleſtia reſpondere, vt illis poſitis tum in cælo, tum in corpore neceſsariò quidam ſequantur euentus, læſa ipſius hominis libertate; ea namque quæ ad hanc rem dicta ſunt de Aſtrologia iudiciaria, poſſunt etiam hic adaptari de Phyſiognomia Aſtrologica, ſi ex hac iudicia formentur de euentibus certò vel neceſsariò futuris; Vnde eadem ratione, qua admiſſa eſt diuinatio ex Aſtrologia naturali, quæ ſcilicet agriculturæ, medicinæ nauigationi, & cæteris eiuſmodi conducit, cum fieri poſſit ex conſtituto in ipſa natura ordine, ita admittenda eſt diuinatio ex Phyſiognomia naturali, & è contra eo modo quo reprobata eſt diuinatio ex Aſtrologia iudiciaria tamquam omnino ſuperſtitioſa, eodem prorſus eſt reprobanda diuinatio ex Phyſiognomia aſtrologica, quæ quodam genus Aſtrologiæ iudiciariæ dicitur.

Digitized by Google

ANIMADVERSIO XLIX.
THEOLOGICA
In Diuinationem ex Chiromantia naturali.

171 LICET nonnulli, inter quos recenſentur etiã Petr. Nauar. *lib. 2. de reſt. c. 2.* apud Sanchez 2. *Decal. c.* 38. negent abſolutè poſſe ex lineis manuum aliquid diuinari, neq. corporis tẽperiem, neq. humorum conſtitutionem, reſiqui tamen ferè omnes Theologi fatentur tum vetuſtiores, tũ recentiores non ſolum poſse conijci ex Chiromantia, quæ eſt pars Phyſiognomiæ naturalis naturalẽ noſtri corporis cõſtitutionẽ, & complexionem, ſed etiã ea omnia, quę poſſunt ex tali conſtitutione prouenire; ac præſertim lõgitudinem, & breuitatem vitæ. Adhærent Theologi in hac re doctrinæ, quã tradit Ariſt. ipſe *lib. 1. hiſt. anim. c.* 15. vbi affirmat lineas, & ſciſsuras manuũ eſse indices vitæ lõgioris, ſi ſingulæ, aut binæ ducãtur per totã manum; breuioris verò, ſi non deſignent totã longitudinẽ ipſius manus; huiuſq. doctrinæ rationẽ reddere videtur in Probl. *ſec.* 10 *q.* 48. *& ſec.* 34. *q.* 10. quia nimirũ; melior, & perfectior articulatio partiũ in corpore apertè indicat, quod materia ex qua ſunt formatę illæ partes, ſit meliùs digeſta, & quod virtus formatiua meliùs potuerit illarũ formationi dominari; atq. ex hac meliori formatione, quam ſupponit Ariſt. poſse per lineas, & ſciſsuras manuum indicari, quemadmodum indicatur etiã apud Anatomiſtas melior cordis compoſitio per quamdã perfectiorem articulationẽ rimarũ in parte ipſius cordis exteriore, optimè docet meliorem in toto corpore tẽperiem poſse diuinari atq. ex meliori temperiẽ longiorẽ vitam, & ſic de reliquis. Quare ſecũdum hanc doctrinam nihil valeret doctrina in oppoſitum Petri Nauarri, quod ſcilicet ex lineis manus nõ poſſit diuinari corporis temperamentum, neq. cõplexio, neq. aliquid alind ſequens ex cõplexione, cum eiuſmodi lineæ neq. ſint cauſa, neque effectus cõplexionis; Sic enim haberemus lineas eiuſmodi benè formatas eſſe effectus virtutis formatricis perfectæ, quæ benè materiam terminaret, digereret, atque articularet, quod nõ admittit Nauar. Verum tamen, quod nõ poteſt ità facilè rationibus euinci lineas manus, & reliqua ſigna in corpore conſtituta eſſe effectus reſultantes in ipſius corporis formatione ab ipſa natura intentos, cũ pleriq. doceant, ea omnia reſultare per accidens, quod ſuadetur maxima talium linearum diuerſitate in corporibus, & tẽperamẽtis, quæ tamẽ ſunt eiuſdẽ cõſtitutionis, arguũtq. eãdem penè vim formatiuã; hæcq. cũ non progignat in omnibus eoſdem omnino effectus, non poteſt dici cauſa

per ſe; at hæc parum referunt ad rem noſtram.

118 Quemadmodum igitur ex lineis, alijſq. ſignis Chiromanticis naturalibus poteſt optimè de corporis tẽperamento diuinari, ita poterit diuinari de conſequentibus ad temperamentum, idq. abſq. criminis nota; qua propter docet Sanchez cũ Azorio, & alijs pluribus licitũ eſſe diuinare ex lineis, & ſignis manuũ etiam inclinationes, & propẽſiones animi, indolem quoq. & ingeniũ, non tamen operationes liberas volũtatis, aut alios effectus mere fortuitos, & cõtingentes; quidquid ſit an ex inclinationibus poſſint ſaltẽ probabiliter, ſi non certò, actus liberi diuinari, ex eo quod homines in agẽdo vt plurimũ ſequatur inclinationes naturę, quod prę cæteris docet Baldel. *lib.4.diſp.* 10. licet fortaſſe probabilius ſit eiuſmodi actus liberos neq. probabiliter ex inclinationibus coniectari poſſe propter ſummã in homine agẽdi libertatem, quæ pro libito poteſt ab inclinatione naturæ diſcordare.

ANIMADVERSIO L. THEOLOGICA

In Diuinationem ex Chiromantia Aſtrologica.

119 PRÆTER Chiromantiam, ſeù diuinationem ex manibus, quæ fundamentum aliquod habet in natura, & ideò dicitur pars philoſophiæ naturalis, quædã alia ab alijs admittitur, quã ſubalternant Aſtrologię; ſi quidẽ aſſerũt ſigna, & lineas in manibus poſitas pẽdere à certis aſtris, & indicare ſpecialiter, quid aſtra vnicuiq. portẽdãt; atq. hac de cauſa diſtinguunt in vola, ſeù in palma manus quaſi pluresareolas, aut mõticulos, eoſq. ſuis limitibus circumſcriptos aſſignant ſingulos planetis ſingulis, ideſt, Marti partẽ illam, quæ eſt ſub pollice, Ioui alteram, quæ eſt ſub indice, Saturno tertiã, quæ eſt ſub medio, quartã Soli, quę eſt ſub annulari, quintã Veneri, quę eſt ſub auriculari, ſextã Lunæ, quæ eſt in fine manus, & deniq. triangulũ, quod relinquitur Mercurio in media manu, & vnũquodq. ex his planetis cõtendũt præſignificare vnicuiq. ſuos effectus, ideſt, Martẽ audaciã, robur, ignes, & cruces; Iouem, Sacerdotia, honores, & magiſtratus; Saturnum, carceres, cruciatus, quartanas, metus, luctus, profũdas cogitationes, paupertatem, & triſtia; Solem honores maiores, potẽtiam, amicitias Principum virorum; Venerem vxorem, filios, voluptates, felicitates, & id genus alia; Lunam defluuia, pituitæ, ſuffocationes in aquis, naufragia; Mercurium ingenium, eloquentiam, eruditionem, & ſimilia, vt videre eſt apud Cardanum *lib.* 15. *de variet. cap.* 79.

Contra

120 Contra hanc facultatem, quatenus aſſeritur, poſſe diuinare actus liberos, & euentus fortuitos, ea omnia repetenda ſunt, quæ ſupra diximus contra diuinationem aſtrologicam eorumdem actuum, & euentuum; neq. admittendum eſt ſingulos Planetas dominari ſpecialiter ſingulis areolis, aut monticulis manus, ſi per illud dominium intelligatur etiam dominium quoddam in actus liberos humanos, cum quibus nullam habere poſſunt connexionem. Quare huic ſuperſtitioſæ diuinationi, quæ expreſsè damnata eſt in Bulla Sixti V. & in Indice librorum prohibitorum Regula 9. & apud omnes Theologos morales, nullo modo fauere poſſunt loca Scripturæ, in quibus poni videntur ſortes cuiuſcunq. in manibus eius; ea etenim doctè exponit præter Valleſium in ſacra Philoſophia Azorius *part.* 1. *lib.* 9. *cap.* 16. de quibuſdam rebus, & euentibus, qui pendent ab operationibus hominis, quæ per manus intelliguntur. Addo ex doctrina Fagundez *lib.* 1. *in primum Decal. cap.* 39. manuum lineamenta, & figuras non ad diuinationem à natura eſſe inſtitutas, ſed ad hominis pulchritudinem, & ad referendam in filijs parentum ſimilitudinem; cum experimento compertum ſit filios ſæpè eadem parentum lineas habere, & tamen non eamdem in rebus habere fortunam, ſed omnino diuerſam. Denique quia manuum delineamenta in diuerſis hominum ætatibus immutātur, & alijs externis cauſis ſæpè alterātur, & ſic pro varia ætate varios euentus deberent præſignare, quod tamen ridiculum eſt; ſic enim contraria prorſus eidem homini poſſent diuinari, manentibus tamen iiſdem aſtrorum influxibus illis lineis reſpondentibus. Benè igitur Doctores omnes hoc diuinationis genus tamquam omnino illicitum, & ſuperſtitioſum condemnant, ſi à temperamēto, vel complexione exeat.

ANIMADVERSIO LI. THEOLOGICA

In Diuinationem ex Chiromantia Zingarorum.

121 ADEST aliud Chiromantiæ genus, quod dicitur omnino vetitum, eſtque diuinandi genus à Zingaris introductum, quos ſæpè Doctores nominant Ægyptios; hi namque nulla arte, aut ſcientia imbuti per orbem vagantes, vbique pro lubito diuinationis ſuperſtitioſæ pandunt oracula, eo dumtaxat prognoſticis ſuis collimantes, vt pecuniam à credulis, ac rerum imperitis extorqueant; nullam interim callentes artem, aut peritiam habentes diuinationis, quam profitentur; licet enim etiam ipſi velut peritiſſimi Chiromantes manuum delineationes, & figuras inſpiciant, licet ex illis futuros euentus prænuncient an ſcilicet quis religioſus futurus ſit, an pauper, an diues, an ducturus vxorem, an liberos ſuſcepturus, & id genus alia, cum tamen hæc omnia abſq. vllo fundamento doctrinæ, ſeù Chiromanticę cognitionis enuncient, vates purè nugaces, & deceptorij cenſendi ſunt. Atque hac de cauſa docent communiter Theologi, præſertim Nauar. Lopez, Sanchez, Delrius, Fagundez, & Baldell. in hac materia omnino illicitum eſſe Zingaros conſulere, aut fidem illis ex manuum inſpectione adhibere, & mortaliter peccare, qui ſeriò eos conſulunt, & certam ijſdem adhibent fidem; ſolum verò venialiter eos, qui conſulunt vates eiuſmodi ex mera curioſitate, aut ioci cauſa, vel animo ridendi, niſi fortè ratione ſcandali etiam in hoc caſu mortaliter peccent propter circumſtantiam, & conditionem perſonæ conſulentis; id notant præ cæteris Nauar. *in Man. cap.* 11. Sanchez *in Decal. lib.* 2. *cap.* 38. Fagundez *in* 1. *Decal. lib. cap. cap.* 39. & Delrius *lib.* 4. *cap.* 3. *quæſt.* 5. vbi etiam multa diſſerit de origine Zingarorum, de qua nos in noſtris diſſertationibus diximus.

Huc ſpectant illi omnes, qui non 122 ſolum Zingaros, & Ægyptios interrogant de propria ipſorum fortuna, ſed etiam alios quoſcunque ſuas diuinationes ex lineis manuum deducentes. Qui enim rogant animo firmiter credendi illorum dictis dicuntur mortaliter peccare, & ſuperſtitioſè agere; ſecùs ſi vt diximus id tantum agerent animo iocandi, aut ridendi. Ratio verò peccati in hac re inde deſumitur, ſicut in reliquis ſuperſtitioſis diuinationibus, quod effectus, aut euentus quærant ex rebus ad illos minimè proportionatis, neque ad illos à natura inſtitutis. Additur Zingaros, & alios eiuſmodi diuinatores temerè

ſemper

ſemper agere, cum agant nulla ſcientia, aut cognitione ducti; & licet etiam artem callerent Aſtrologicam, cum tamen etiam ex ipſa, vt toties dictum eſt, non poſſint ea præſciri, quæ ſpectant ad noſtram agendi libertatem, inde fit, quod non ſolum ſine ratione operentur, ſed etiam contra ipſam rationem, & ideò peccent. Neque horum diuinatorum crimini ſuffragari poſsunt quædam Scripturæ loca, in quibus habetur poſuiſse Deum agendorum, & futurorum ſigna in manibus hominum; nam eiuſmodi loca variè explicantur à commentatoribus Sacræ Scripturæ, nec vllus ea interpretatur de Chiromantica diuinatione, vt videre eſt apud Delrium *q. 5.* in hac materiâ, & apud Pinedum *in expoſitione cap. 37. Iob*, niſi velimus dicere cum Franciſco Valleſio *in Sacra Philoſoph. cap. 32.* ſignaſse Deum in manibus cuiuſcunque opera ſua, quia vnuſquiſque ſuas manus intuendo agnoſcit ſe eſse natum ad omnes artes exercendas; ſiquidem manus ſoli homini tributæ ſunt, non alijs animalibus, quia ſolus homo inter cætera animalia prudentiſſimum eſt, & poteſt quoquo modo præcognoſcere quid acturus ſit ex ſua agendi libertate: aut niſi eo ſenſu intelligantur Scripturæ, vt poſſit homo per Phyſicam, & naturalem Chiromantiam conijcere propriam conſtitutionem, & complexionem, & ex illa inclinationes, & propenſiones, & inde aduertere, quomodo poſſit ſe gerere in ſuis operationibus; quæ omnia non arguunt non fuiſse in manibus per lineas, & ſigna conſtitutam futurorum diuinationem maximè liberorum, & purè fortuitorum.

ANI-

ANIMADVERSIO LII. THEOLOGICA

In Diuinationem ex Onychomantia.

123 ONYCHOMANTIAM appellant Theologi hic cum Cardano *lib. 5. de variet. cap. 79.* & cum Azorio *lib. 9. Inſtit. Mor. cap. 16.* diuinationē illam; quæ habetur ex ſignis, aut ex maculis, quę apparent in vnguibus manus; hæc enim etiam ennumeratur inter artes, & facultates diuinatrices; & Cardanus ipſe affirmat de ſe ipſo, quod eorum, quæ ſibi eſſent euentura, ſemper in vnguibus apparerent aliqua ſigna, ideſt nigra, & liuida in medio digito, ſi euentus fuiſſent mali, alba verò, & candida, ſi euentus fuiſsent felices & proſperi; quin addit ſpecialiter, quod eiuſmodi ſigna apparebant in pollice, ſi fuiſsent circa honores; in indice verò, ſi circa diuitias; ſi circa ſtudia, & res maioris momenti, in annulari; ſi circa res minoris ponderis, in auriculari; hæcque per multos annos tum à Cardano, tum etiam ab alijs per multos annos obſeruata eſse, narrant plerique ſignis eiuſmodi fidem ſuam deuouentes; quam etiam diuinandi rationem ex vnguibus referunt in Planetas, quos ſingulos volunt dominari ſpecialiter ſingulis digitis, ſuoſque effectus in vnguibus præſertim præſignificare.

124 At ſiue hoc etiam diuinandi genus referatur in Planetas, ſiue in aliquid aliud, dicimus omnino illicitum eſse, ac ſuperſtitioſum; præſertim, ſi hæc diuinatio nō ſolum extendatur ad res naturales, & neceſsarias, quales ſunt valetudo proſpera, vel aduerſa, aptitudines, & propenſiones ex complexione, quæ ſecundum multos ex vnguium figura, vel rotunda, vel acuta, vel adunca dignoſci poſsunt; ſed etiā ſi extendatur ad euentus liberos, & merè fortuitos; Quæ doctrina vt benè notat Azorius *loco citato* ſatis ex dictis in alijs diuinationibus ſuaderi poteſt, cum ſit in omnibus ferè vna, & eadem ratio, quod etiam demonſtrat Delrius *lib. 4. diſquiſ. cap. 3. q. 5.* Et re vera ſi benè expendatur natura vnguium, & finis, propter quem tributi ſunt ab ipſa natura, clarè cōſtat, quod nihil liberum, nihil contingens, aut merè fortuitum ex illis diuinari poteſt; nam vt docet Ariſtot. *lib. 4. de partib. cap.* 10. dati ſunt vngues, vt operimenta ad tegendas, ac tuendas digitorum extremitates; ſubditque ibi materiam, quæ ſecedit in digitos ad formandos vngues eſſe eiuſdem rationis cum illa quæ in habentibus cornua, inſeruit ad cornua, & in habentibus dentibus, deſeruit ad dentes, & ſic de reliquis. Quia verò vn-

gues

gues non aliunde habent originem, niſi ex cute extremorum digitorum, quam contegunt,& tuentur,inde eſt, quod etiam ſequantur colorem cutis, & vngues ipſi ſint albi, quando cutis eſt alba, nigra, quando eſt nigra; vt etiam contingit in pilis propter eamdem rationem, quod expreſsè habetur ex Ariſt. *lib.* 3. *de hiſt. Anim. cap.* 9. *& lib. de generat. animal. cap.* 4. *& in Problem. ſect.* 11. *q.* 65. & patet ad ſenſum in Æthiopibus, qui & pilos, & vngues habent nigros iuxta colorem cutis;& in nobis ipſis, qui pro diuerſa diſpoſitione, quam patimur coloris,& frigoris, habemus vngues modo liuidos,& nigriores,& quaſi plumbeos, modo roſeos, & claros,& benè viuidos; vnde quemadmodum ex huiuſmodi coloribus vnguium, ſiue permanentibus, ſiue tranſeuntibus nihil aliud poſſumus diuinare, niſi colorem ipſius cutis,& hanc, vel illam diſpoſitionem humoris tenuioris,vel craſſioris, frigidioris, vel calidioris;ita ſi contingunt in partibus vnguium colores alij albi, vel nigri, non poſſumus aliud diuinare, quod in talibus partibus cutis ſint tales, vel tales diſpoſitione humorum, vel qualitatum ſcilicet frigoris,& caloris. Quod ſi dicatur eiuſmodi humores, ex qualitates ab aſtris & Planetis prouenire, adhuc dicimus nos non poſſe per illos aliud diuinari, quam prædictos effectus; nullo autem modo euentus liberos, vel merè fortuitos, qui non pendent ab aſtris; Vnde ſi Cardanus, aut alius quicunq. aliquid eiuſmodi diuinauit ex ſignis vnguium, vel dicendus eſt id diuinaſſe opera dæmonis, vel id omnino caſu contigiſſe.

ANI-

ANIMADVERSIO LIII. THEOLOGICA

In Diuinationem ex Pedomantia.

125 QVIDQVID ſit, an ex pedum diſpoſitione, & qualitate poſſit aliquid cõijci, ac diuinari, quemadmodum dicitur ex alijs partibus humani corporis, pro certo tamen habendum eſt apud omnes ex Pedomantia, quæ eſt diuinatio ex articulis digitorum in pedibus præſertim inſtituta, aut ex alijs ſignis in ijſdem, nihil certò præſciri, aut diuinari poſſe, quod ſpectet ad euentus liberos, ac merè fortuitos; ac propterea etiam hoc diuinandi genus eſſe omnino illicitum, & ſuperſtitioſum, cum fines egrediatur ipſius naturæ, quæ ad ſummum potuit in pedibus locare ea, quæ ad indicandas aliquas ipſius naturæ proprietates ſufficere poſſunt; qualia ſunt indicia, quæ ſumuntur ex magnitudine, vel paruitate pedum, ex rectitudine, aut curuitate, ex coniunctione, aut digitorũ ſeparatione, & ex alijs eiuſmodi; vnde Ariſt. *in Phyſiognomicis cap. 9.* docet pedes benè formatos, magnos, benè articulatos, ac neruoſos virile corpus, virilemque animum denotare, eo quod virtus formatiua fuerit potens ad benè illos formãdos, & diſtinguendos per calorem, & inde arguitur etiam bona corporis temperies, & conſtitutio, & etiam bona indoles; quemadmodum è contrario contraria quoque arguuntur, vt notant plures Phyſiognomi, qui præſertim ex paruis pedibus, ſtrictis, & inarticulatis arguunt mollitiem quãdam, atque effæminationem in animo. Sumunt verò Phyſiognomi apud Portam *lib. 2. Phyſiognom. cap. 48. & 49.* eiuſmodi diuinationes ex ſimilitudine præſertim, quam habent homines in pedibus cum ipſis belluis, & animalibus, ex quibus etiam propenſiones, & inclinationes colligunt, quos in hominibus ſatagunt diuinare.

126 Multò magis illicitum eſt, ac ſuperſtitioſum lineamenta in pedibus obſeruare ad diuinandum, ſi ea obſeruentur tantum in viris, vel pueris, vel mulieribus impollutis; quemadmodum enim docet Azorius *lib. 9. Inſtit. cap. 16.* eſſe omni iure prohibitã illam Onychomantiam, qua quis ex vngue pueri impolluti vaticinatur, ita prorſus prohibitum cenſendum eſt illud Pedomantiæ genus, quod cum eadem obſeruatione exercetur ex pedibus; non enim aliquid facit ad prædicendos euentus, quod illa ſigna ſint cum pollutione hominis coniuncta, vel diſiuncta, cum ſit valdè per accidens ad res, quæ euenturæ ſunt, quod homo ſit pollutus, vel impollutus.

Qua ratione damnãtur tamquam ſuperſtitioſi etiam diuinatores illi, qui àd diuinandum obſeruant næuos in quibuslibet partibus corporis, cum præſertim næui ipſi obſeruantur in corporibus impollutis, quaſi maiorem accipiant vaticinij vim à corporum impollutione, quæ nihil facit ad næuos, qui eodem modo ſe habent in hominibus ante, & poſt pollutionem, & idem prorſus pręſignare deberent, poſito quod eſſent euentuum futurorum ſigna. Addo diuinationem ex næuis, de qua multa ſcripſit Melampus Græcus author, & Cardanus in ſua Metopoſcopia eſſe ex ſe prohibitam, & ſuperſtitioſam, ſi ſe extendat ad actus liberos, vel purè contingentes, vt dictum eſt de alijs diuinationibus; ſiue ergo obſeruentur næui in pedibus, ſiue in manibus, ſiue in alijs partibus, eiuſmodi obſeruatio ſemper erit vana, & ſuperſtitioſa, data vel nõ data in hominibus corporis pollutione. Ad ſummum de næuis concedendum eſt, poſſe vnum ex alio diuinari, cum ex quodam naturæ inſtituto poſſit vnum in vna parte alteri in altera parte reſpondere; & illi Phyſiognomi, qui has corriſpondentias optimè nouerunt, ſpectato vno næuo in vna parte poſſunt ſtatim etiam cum certitudine de altero diuinare, idque manifeſtis euincitur experientijs, neque in hac diuinatione crimen ſuperſtitionis ignoſcitur. De hac re videri poſſunt Melampus *lib. de Neuis*, Io: Baptiſta Porta *lib.* 5. *Phyſiognom. cap.* 44. & Cardanus *in Metopoſcopia*.

ANIMADVERSIO LIV. THEOLOGICA

In Diuinationem ex Metopoſcopia.

127 ASSIGNANT Metopoſcopi ſingulas lineas frōtis Planetis ſingulis ſpectato in ipſis lineis eodē Planetarum ordine, cum ſimilitudinem faciant mundi maioris cum mundo minore, qui eſt Microcoſmus, & homo; vnde ſupremam, & proximam commiſſuræ coronali aſſignant Saturno, alteram Ioui, tertiam Marti, & ſic proportionaliter de reliquis. At hæc ſi admittantur, ſolum admittenda ſunt in ordine ad cognoſcendos, & diuinandos effectus purè naturales, ad quos ſolum licitè extenditur etiam diuinatio Aſtrologica, non autem ad cognoſcendos actus liberos, & euentus fortuitos: Quapropter etiam Ariſtot. *in Phyſiognom. cap. 9. & 1. de hiſt. animal. cap. 8.* de fronte ſolum conſiderat paruitatem, magnitudinem, rotunditatem, planitiem, contractionem, rugoſitatem, & id genus alia, quemadmodum etiam faciunt purè Phyſiognomi, qui ex illis ad ſummum coniectant aliquos effectus naturales, vt etiam de alijs diuinationibus dictum eſt; & licet ſæpè colligatur ex fronte docilitas, tarditas, ſagacitas, inſipientia, magnanimitas, iracundia, & ſimilia, hæc omnia ideò colliguntur, non quatenus includunt actus per illas facultates exercendos, ſed in quantum eiuſmodi externæ frontis diſpoſitiones referuntur ad hæc, vel illa animalia bruta, in quibus affectiones illæ, & qualitates magis apparent; & in quantum arguunt internas diſpoſitiones cerebri, ex quo maximè pendet recta, aut parua operatio imaginationis, & phantaſiæ, & per conſequens hæc, vel illa ingenij qualitas, & hæc vel illa inclinatio ad hos, vel illos mores, eo tamen modo, quo ſupra dictum eſt, dum ageremus de diuiuanda bonitate ingenij, ex externa, & apparente capitis figura.

128 Igitur diuinatio ex Metopoſcopia ſemper licita cenſenda eſt, in quantū dicitur pars naturalis Phyſiognomiæ, & in quantum ſolum verſatur circa temperamentum corporis humorum conſtitutionē, & naturales inclinationes, quæ ex illis proueniūt, illicita verò, & ſuperſtitioſa ſemper habēda eſt, cum ex externis lineis vult arcana cordiū venari, aut liberè agenda perſcrutari; ſic enim eodē iure damnatur, quo damnata eſt quæcunque alia diuinatio circa actus liberos, & merè fortuitos, quin cum hæc tantum vocetur antonomaſticè

Meto-

Metopoſcopia, hæc ſemper intelligitur vetita, ac reprobata in iure Pötificio; Quidquid dicant aliqui potuiſſe Deum talia ſigna in frontibus hominum delineare, ex quibus panderentur, quæ euentura eſsent; dato enim quod Deus potuerit id facere, non ſuadetur proinde id de facto egiſſe; etſi id egiſſet fortaſſe fuiſset contra optimum hominis regimen, quod inſtituit, ad quod ſpectat, vt agenda ab homine non reuelentur per exteriora ſigna. Peccant itaque peccato ſuperſtitionis illi omnes, qui eiuſmodi diuinarioni incumbunt, maximè, cum aſtris, & planetis innitentes, ex ijs etiam iudicia ferunt de liberè agendis, cum id pertineat ad Aſtrologiam iudiciariam toties damnatam.

ANIMADVERSIO LV.

THEOLOGICA

In Diuinationem ex motibus humani corporis.

129 EX motibus corporis humani, quicunque ſint, vanum, ac ſuperſtitioſum eſt aliquid prænunciare, præſertim de euentibus liberis, ac fortuitis, ea tamen exceptione facta, niſi motus eiuſmodi ſint cauſæ, vel effectus rerum, quæ prænuncianrur, in quo caſu tales motus verè poſsunt dici quædam indicia naturalia ordinata ab ipſa natura ad coniectandum de ſuis cauſis, vel effectibus. Cum hac exceptione, ac diſtinctione loquuntur Sanchez *tom.* 1. *Decal. lib.* 2. *cap.* 38. *num.* 4. Valentia 2. 2. *diſtinct.* 6. *quæſt.* 12. *puncto* 3. & Fagundez *in primum præceptum Decalogi lib.* 1. *cap.* 39. cum aſſerunt eſse omnino illicitum motus corporis humani ad diuinandum; quæ doctrina duplici potiſſimum ratione ſuaderi poteſt, prima, quia ſæpè eiuſmodi motus non ab impreſſione cæleſti, aut à conſtellatione ſtellarum dependent, vt ſupponunt Diuinatores, ſed à libera hominis voluntate; ſecunda, quia ex motibus corporum in alijs animalibus nulla firma de futuris euentibus coniectura capi poteſt, vt infra videbimus, ergo à fortiori neque ex motibus corporis in hominibus; Si enim cætera animalia, licet quietiorem habeant phantaſiam, ac proinde aptiora ſint ad recipiendam cæleſtium corporum impreſſionem, dicuntur inepta ad prænunciandum de futuris euentibus, multò magis id aſserendum erit de hominibus.

Quod etiam dicendum eſt de hominum vocibus, ſiue ſignificantibus, 130

ſiue non ſignificantibus; cum enim hominum voces ſint ex libero quodã placito inſtitutæ ad ſignificandum; non verò ſignificationem habeant, vel à natura, vel à ſiderum motibus, aut cæli conſtellationibus, inde fit, quod nullo modo ſigna eſſe poſſint euentus futuri; quare diuinatio per illas non poterit non eſſe valdè ſuperſtitioſa, niſi certò conſtaret Deum talibus vti vocibus ad ſignificandum aliquod futurum, quod præſertim obſeruant Valentia *loco citato*, & Azorius *tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 12. experimento namque ſæpe deprehẽſum eſt Deum vsũ eſſe humanis vocibus ad aliquid prænunciandum, quod præſertim demonſtrat D. Th. 2. 2. *q.* 95. exemplo Gedeonis viri Sãcti, & exemplo Eliezer ſerui Abraham, qui aliquam de futuris cognitionem acceperunt ex vocibus humanis auditis, quam tamẽ cognitionem à Deo precati ſunt, & expectarunt; vndè ſcitè animaduertit ad hãc rem Caiet. *ibi.* oportere priùs diuinum aliquod lumen, aut præceptum à Deo accipere ad hanc cognitionem ex vocibus humanis accipiẽdam, & non ex ſola facili credulitate, aut fiducia moueri ad aliquod coniectandum; Quare illi omnes dicuntur culpæ ſuperſtitionis obnoxij, qui apertis primo mane feneſtris, primam vocem hominis tranſeuntis expectantes, ex illa, ſi lętum aliquid pronunciauerint, ſibi omnia læta eo die prædicunt, & fauſta; vel per totum annum, ſi id obſeruent die Sacro Sancti Ioannis Baptiſtæ, vt faciunt muliercułæ: Illi etiam, qui fauſtas, vel infauſtas nuptias præſagiunt ex prima aliqua voce humana audita; Illi denique qui futurorum maritorum nomina diuinant ex eo quod prima vox, quæ auditur ſit Petri, vel Pauli, & indè virum ſibi futurum Petrum, vel Paulum certò credunt. De his, & alijs eiuſmodi pluribus videri poteſt Azorius *loco citato*. Addo denique eſse omnino vanum, & ſuperſtitioſum eſſe etiam ex alienis motibus fortuitò contingentibus fauſtum aliquid, vel infeſtum ſibi euenturum diuinare, vt ex bino occurſu eiuſdem perſonæ in eodem itinere, ex occurſu defuncti, ex fractione corrigiæ, vel ex alijs eiuſmodi rebus caſu contingentibus; hæc enim omnia cum merè fortuitò contingant, nihil boni, aut mali ex ſua natura portendere poſsunt, vnde erit mera vanitas, & ſuperſtitio illa obſeruare, quemadmodum benè tradunt Sanchez, Azorius, & Fagundez citatis locis.

ANI.

Digitized by Google

ANIMADVERSIO LVI.
THEOLOGICA
In Diuinationem ex motibus aliorum Animalium.

131 PRO motibus animalium hic intelliguntur operationes omnes, per quas dicũtur ipſa animalia quo quo modo moueri, ſiue ſit volatus, cãtus, & garritus in auibus; ſiue tripudium in piſcibus, ſiue curſus, concitationes, & agitationes in alijs animalibus; ex his enim omnibus ſolent quidã diuinationes ferre de futuris euentibus, quod tamen non ſemper eſt licitum, vt benè demonſtrat S. Th. 2. 2. *q. 95. art. 7.* & ex ipſo Leſſius, Azorius, Sanchez, & alij; quapropter tunc tantum licebit ex eiuſmodi motibus animalium diuinationes ferre de futuris, cum futura erunt effectus eiuſdẽ cauſæ extrinſecæ, cuius ſunt effectus motus ipſi illorum animalium; eadẽ namque diſpoſitio cæli, quæ diſponit ad pluuiam, poteſt v. g. diſponere etiam Corniculam ad crocitãdum, & piſces ad geſtiendum inſolitis motibus, excitando nimirum in illis phantaſmata pluuiæ, eorumq. commodorum, quæ ex pluuia illis proueniunt, & idcircò rectè poſſunt, & abſque vlla ſuperſtitione tales motus, & cantus aſſumi tãquam ſigna ad præcognoſcendã pluuiam, & ſic de reliquis; Cum enim re vera illorum ſigna eſſe poſſint, nulla erit ſuperſtitio ea coniectare; Cuius ratio à priori eſt, nam animalia, quæ nullum habent dominium ſuarum actionum, ſed inſtinctu quodam tãtum naturali mouentur, habentia tantum animam, & potentias ſenſitiuas, organicas, & corporeas dicuntur omnino ſubiacere impreſſionibus corporum cœleſtium, quorum diſpoſitionibus facilè conformantur; ac propterea cum ex talibus cæleſtium corporum diſpoſitionibus multi prænoſcantur euentus futuri, quorum illæ eædem diſpoſitiones dicuntur cauſæ, poterunt etiam ijdem euentus prænoſci ex motibus animalium illis cæleſtibus diſpoſitionibus optimè conformatis; ex qua conformatione fit, quod ſpiritus animalium facilè afficiantur ex quacumque aeris mutatione, ipſorumque cerebrum immutetur, ſicque eorũ phantaſia facilè eas mutationes percipiente, atq. per modum conuenientis, ſeu diſconuenientis apprehendente, ea omnia, quæ præſentit, exteriùs quibuſdam motibus edat, ac præſignificet; Vnde abſque ſuperſtitione poterunt ex motibus animalium diuinari futuræ pluuiæ, tempeſtates, ſerenitates, Venti, & id genus alia, quæ cauſam poſſunt cum talibus motibus habere communem, vt rectè tradunt etiam Caiet. 2. 2. *q. 95.* Valentia

Digitized by Google

ibidem diſp.6. Azor. *tom.1. lib.9.c.15.* Fagundez *lib.1. in Decal. c.39.* & Baldell.*lib.4. diſp.11.* Motus autem præcipuos, & ſingulares animalium, ex quibus licet diuinare referunt Azorius, & Baldellus, apud quos poterunt videri, cum ad rem noſtram non ſpectent.

132 Illud tamen pro re noſtra eſt animaduertendum, quod licet ex motibus, & operationibus animalium non ſit omnino illicitum aliquam coniectationem facere etiam de illis, quæ pertinent ad homines, cõſiderata ſcilicet quadam tum in brutis, tum in hominibus proportione quoad cælorum influxus vniuersè; tamen erit ſemper illicitum ita certò in hominibus illa futura coniectare ſicut in brutis; cum eiuſmodi motus, & affectus non cauſentur in hominibus eadem neceſſitate qua cauſantur in brutis; neque eodem modo exeant in ſuos actus externos homines, ſicuti bruta; poterit tamen, vt docent cum Caiet. Valentia, & Sanchez fieri aliqua tantum debilis, & incerta coniectura ex eadem cauſa communi, quæ licet ſit eadem, poteſt tamen ex varijs ſubiectorum diſpoſitionibus facilè variari, quod ſatis eſt ad impediendam in hominibus omnino certam coniectationem; poſſunt autem probabiliter, ac ſola quadam vniuerſali ratione ex ijs animaliũ motibus, aut vocibus, quæ ſunt ſigna affectus iræ in brutis ſimilis aliquis affectus coniectari in homine, atq. ex hac coniectura poteſt fieri vlteriùs coniectura de rixis, ac bellis, quæ ventura ſunt; ratio eſt, quia idem ſiderũ aſpectus poteſt eaſdem diſpoſitiones cholericas in brutis, & hominibus cauſare, cum eo tamen diſcrimine, vt in hominibus affectus illi pendeant etiam à libero arbitrio, quod non contingit in brutis, & ideo dicetur coniectura illa quoad homines remotiſſima, & parũ aut nihil probabilitatis habens, vt notant Sanchez, & Valentia. Et hinc manifeſtè colligitur eſſe ſuperſtitioſam omnino diuinationem illam, quæ extenditur ad prænunciandum ex his, pluſquam illa indicẽt, aut ſignificent; quod præſertim affirmatur de euentibus futuris liberis, & occultis; ſecus ſi ea quæ diuinantur fiant tantum cum dubio, aut cum maxima formidine, vel cum leuiſſima coniectura, vt iam diximus, & doctè animaduertunt Leſſius, & Sanchez alligati.

ANIMADVERSIO LVII. THEOLOGICA

In Diuinationem ex Deo Quæſitam.

133 LICET ſolus Deus fons totius veritatis vetam omnium futurorum præſenſionem habeat, queatque pro libito, cui voluerit, reuelare; non proinde putandum eſt, futurorum notitiam facilè hominibus communicare, cum id ſibi retineat, tamquam ſpeciale diuinitatis priuilegium, iuxta illud Iſaiæ 41. Annunciate futura, & ſciemus quia Dij eſtis. Multos tamen Deus ipſe voluit cum in veteri, tum in nouo teſtamento Prophetas, quibus ex cauſa plura alijs reuelanda reuelauit, vt medijs prophetijs eius voluntas innoteſceret, à qua pendent omnia, quæ ventura ſunt; at licet voluetit Deus multos eſse Prophetas, nō propterea licet à Deo reuelationis, ſeù diuinationis donum abſque inſtinctu & ſuaſione ipſius Dei interiùs ad hanc petitionem excitantis, expoſcere; & graue crimen eſſet abſq. cauſa à Deo ipſo Diuinandi munus petere, quod crimen reducunt Theologi aut ad crimen iniuſtitiæ, cum in petitione quæratur quod proprium ſolius Dei eſt, aut ad crimen ſuperbię, cum quæratur à Deo quoquo modo participatio diuinitatis, aut deniq. ad crimen temeritatis, cum in illa petitione quæratur, quod eſt ſupra vires noſtræ naturæ. In qua re ego dicerem ablata Dei excicitatione ad petendum tale donum, quætere à Deo diuinationem futurorum peccatum, & crimen eſse habens malitiam, & deformitatē eorum omnium, quæ dicta ſunt, cum verè volens diuinare futura iniuſtus cenſeatur, ſuperbus, & temerarius, vt patet ex dictis.

134 Neque dicendum eſt aboleti malitiam huius criminis per id, quod diuinatio quæratur ab eo, qui illam dare poteſt, nempe à Deo, à quo etiam peti ſolent abſq. peccato alia dona gratuita; nam ex morali Theologia certum eſt non licere hominibus à Deo petere, quidquid Deus dare poteſt, ſic enim liceret petere etiam rem alienam, & alienam vxorem, quæ tamen neque ex lege Dei licet deſiderare, cum omnia vota noſtra debeant eſſe iuxta legem iuſtitiæ; & licet Deus ſit omnium Dominus ſupremus, poſito tamen quod aliquorum dederit creaturæ dominium, non poteſt illud auferre vt author naturæ, & rectus vniuerſorum prouiſor; Sic qui peteret ab ipſo Deo diuinationem futurorum, quę eſt illius propria, aliquid iniuſtum peteret, & ſic peccaret. Verum tamen eſt, quod id præſertim intelligēdum eſt de dono diuinationis quæſito

à Deo

à Deo in vniuerſum; nam de aliqua re in particulari petere à Deo notitiam, antequam fiat, non videtur eſſe malum, cum id tot Sancti egerint petentes à Deo exitus bellorum, morborum, vel aliorum eiuſmodi malorum, idque eo intento, vt ad ſolamen populorum annuntiarent, quid futurum eſſet; in quibus tamen petitionibus ſemper dici poteſt interfuiſſe diuinam excitationem, Deo ipſo Sanctorum votis, & operibus ſemper ſpecialiter adſtante; atque ex hoc videtur omnis aboleri malitia in eiuſmodi petitionibus. Vbi etiam animaduertendum, quod licet plures Theologi reducant hoc crimen petendi à Deo diuinationem abſque iuſta cauſa ad tentationem Dei; quatenus ſpectare poteſt ad capiendum de Deo experimentum, quod habeat omnium rerum ſcientiam, quemadmodum dicitur tentatio Dei id omne, quod poſtulatur ad faciendum experimentum potentiæ, ſapientiæ, bonitatis, voluntatis, &c. tamen cum petitio diuinationis fieri poſſit abſque illo intento, non ſemper dicitur peccatum tentationis Dei; Sic etiam ſi talis petitio eſſet appellanda tentatio Dei, quotieſcunque tamen fieret ex aliqua iuſta cauſa, quæ ex S. Th. 2.2. *q.95.art.* 1. debet eſſe vel neceſſitas, vel vtilitas in ordine ad Dei gloriã; vel vtraque, vt vult Suarez hic *cap.3.num.*12. non eſſet dicenda Dei tentatio; plura enim habentur in ſacris literis quęſita à viris Sanctis miracula abſque eo quod notarentur hoc crimine tentationis Dei, vt quando Abraham 15. *Geneſ.* quæſiuit à Deo ſignum de poſſeſſione terræ promiſsæ, *& in lib. Iud. cap.* 6. quando Gedeon petijt ſignum de victoria reportanda, & ſic de cæteris; cenſentur enim in his caſibus illæ petitiones, vel neceſsariæ, vel vtiles ad manifeſtãdum Dei gloriam, & bonum commune procurandum, quod eſt ſatis.

ANI-

ANIMADVERSIO LVIII. THEOLOGICA

In Diuinationem quæſitam ex Angelis.

135 VTITVR Deus in pluribus ad hoc orbis regimen ſpectantibus Angelis velut adminiſtris, & ſæpe etiam vſus eſt ad ventura hominibus reuelanda, at non propterea fas eſt ipſis hominibus Angelos conſulere, aut de futuris euentibus interpellare, eam namque notitiam futurorum, quæ ab Angelis ſciri Deus voluit ex ſublimiore conditione naturæ, cui debita fuit multarum rerum naturalium notitia, voluit ſciri ab hominibus, & idcircò, qui ea præintelligere ſatagit Angelorum ope, cõtra Dei voluntatem peccat, niſi tamen id fieri, vt dixi de Deo, ex aliqua iuſta cauſa, ob quam ſæpè licitum fuit aliqua particularia ab Angelis petere, vt factum eſt à Sanctis Patribus ſæpiſſimè in Veteri teſtamento, quotieſcunque Angelos conſortes habuerunt in aliquod miniſterium miſſos; & etiam plerumque fit à Sanctis viris, & animabus pijs, quæ ab Angelo Cuſtode plura quærere ſolent in ordine ad maius obſequium præſtandum Deo in rebus agendis. Si quis verò peteret ab Angelis diuinationem euentuum liberorum, vel occultorum, quos Angeli ipſi dicuntur ignorare, non peccaret; quia ſupponeretur id fieri ex ignorantia, quatenus non ſciret is eiuſmodi rerum notitiam eſſe extra perfectionem Angelicam, cum ſit propria ſolius Dei; Si verò pertinaciter ſentiret etiam Angelos cognoſcere cogitationes hominum, & cordium arcana, tribuens etiam illorum naturæ, & perfectioni, quod proprium eſt ſolius Dei, crimine hæreſis eſſet irretitus, cum extent fidei ſtatuta in Sacris literis Concilijs, & Sacris Canonibus ſolum Deum eſse cordium ſcrutatorem, ſcilicet, arcanorum cognitorem.

136 Verum tamen eſt, quod ſine peccato poteſt etiam Angelis concedi aliqua probabilis coniectura futurorum euentuum etiam liberorum, cum ipſi tanto præſtent intelligendi acumine, vt ex inclinationibus, atque ex anteactis, & ex agendorum diſpoſitionibus poſſint multa, & multa non ſine ratione coniectare; vnde ab ipſis quærere aliquod probabile lumen ad diuinandum non eſt contra rationem naturalem; eſset autem ſemper contra rationem idem quærere à dæmonibus, cum numquam liceat cum ipſis habere commercium, neque illis in vlla re vti;

Digitized by Google

licet ipſi quoque quoad naturalia eaſdem habeant intelligendi vires, ſicuti Angeli; At de dæmonum inuocatione, & pactis cum ipſis ſatis dictum eſt. Cæterum licet non ſit contra rationem naturalem quærere ab Angelis probabiles coniecturas, vel lumina ad diuinandum; poteſt tamen eſſe aliquo modo contra rationem moralem, ex eo, quod ſemper in eiuſmodi petitionibus, & quæſitis agatur contra decretum diuinæ voluntatis, quæ voluit futura eiuſmodi homines latere; velle autem inueſtigare, quæ Deus voluit occulta manere, quocunque medio fiat, ſemper malum eſt; niſi Deus ipſe nos excitet ex aliqua iuſta cauſa ad illud medium adhibendum hæc eſt doctrina communis apud Theologos.

ANIMADVERSIO LIX. THEOLOGICA

In Diuinationem quæſitam ex hominibus.

137 QVODLIBET hic
complector hominum genus, ſiue ſint homines Prophetiæ dono à Deo inſigniti, ſiue ſint viri Sancti, ſiue homines quicunque ſtudio diuinationis dediti; & dico ſemper nefas eſſe homines conſulere ad diuinandum, cum vna, & eadem ſit pro omnibus ratio, nimirum, quod nobis nulla ratione liceat velle ſcire, quæ Deus voluit latere; idque intelligitur de illis futuris, quæ naturaliter ſciri non poſſunt; & quoad homines vulgares diuinationis tantum ſtudio detentos, hæc doctrina certiſſima eſt apud omnes, cum enim ſit vetita ipſis diuiuinandi ats, & peccent eam exercentes, hinc ſequitur nemini fas eſſe alium de re peccaminoſa poſtulare, vel ad rem vetitam concurrere. Maior difficultas eſſe videtur de viris ſanctis, & Prophetiæ dono illuſtratis, cum enim eiuſmodi viris contulerit Deus Prophetiæ donum, non erit abſurdum ab illis petere, quod Deus voluit ipſos exercere, & ſic licebit omnibus viros Sanctos, & Prophetas de futuris euentibus, qualeſcunque ſint interrogare; quæ tamen doctrina, licet ſpeciem aliquam veritatis præſeferat, falſa tamen eſt; niſi certo ſupponamus ex diuina excitatione homines Prophetas illos adire, & petere diuinationes; cum enim Deus Prophetiæ lumen non conferat hominibus ad omnia prænoſcenda, ac diuinanda, neque illud conferat tamquam aliquid permanens, ſed tamquam aliquid tranſiens, & temporarium; vt diſtinguatur tale lumen à lumine Prophetiæ, quod erat in Chriſto perpetuum, & permanens; inde fit, quod non liceat nobis Prophetam de omnibus futuris euentibus interrogare; idque agentes peccarent, vel peccato curioſitatis, vel peccato temeritatis, niſi eos excuſaret ignorantia; vel agnoſcerent ſe interiùs excitatos ad id agendum. Si autem verè nos excitaret Deus ad conſulendos Prophetas, & viros Sanctos de futuris euentibus, vt ſæpe factum eſt in veteri, atque in nouo teſtamento; tunc non ſolum peccatum non committerent conſulentes, ſed etiam opus virtutis facerent, vel obedientiæ, vel fidei, vel religionis.

Atque ex his reijcitur illorum doctrina, qui affirmare auſi ſunt, non 138
eſſe peccatum conſulere ad diuinanda futura homines quoſdam furentes,

tes, qui ſæpe multa diuinant; homines etiam fatuos, & ſtupidos, qui dicuntur magis diuinare de futuris, quam illi qui ſunt ſanæ mentis; homines quoque ſuapte natura melancholicos, qui dicuntur diuinatores; denique homines morti proximos, & moribundos, in quibus dicũtur animæ de corpore egreſſuræ futura cognoſcere quidquid enim ſit an homines eiuſmodi diuinatores ſint, quod non probat Azorius *lib. 9. Inſtit. Moral. cap.* 24. licet multi ex antiquis oppoſitum aſserant, nunquam fas eſse putandum eſt homines tales conſulere ad diuinandum, ſeù ad præſciendum futura, cum Deus nolit ea nobis reuelari; & ſi vellet, ipſi non deeſſet modus ea nobis præſignificandi; quod cum non faciat Deus, ſignum eſt, quod eiuſmodi reuelationes futurorum non probat; quod verò Deus non probat ſemper malum eſt.

ANIMADVERSIO LX. THEOLOGICA

In Diuinationem quæſitam ex Spectris.

139 CVM ſpectra varij generis in hominum oculos incurrant, quædam læta, alia triſtia, quæ vt plurimum à Dæmone immittuntur, ſolent ex ipſis homines ipſi quærere futurorum diuinationem, eorum maximè, quæ ad ſemet ipſos attinent; atque in eiuſmodi futurorum inquiſitione à ſpectris facta non minus malitiæ concluditur, quam ſi fieret à dæmonibus; nam vt dixi ſpectra ipſa ſunt quædam dæmonum præſtigia ad terrendos, vel decipiendos homines inſtituta; atq. adeo ſemper illicitum erit illa interrogare, atque illis fidem habere; nec ſatis eſt experimenta veterum adducere, qui ſpectra interrogantes, ſæpè vera coniectârunt; id enim potuit permittere Deus ad aliquem finem, at non propterea probauit Deus vmquam illas petitiones, atque interrogationes, cũ ſint de obiectis, quæ ipſe neque per Angelos, neque per dæmones vult reuelare. Si tamen conſtaret ſpectrum aliquod eſse à Deo immiſsum ad aliquid prædicendum, tunc poſset illud abſq. peccato de tali euẽtu futuro interrogari; quemadmodũ refert Paulus Diaconus *lib.* 16. de quodam ſpectro quod Antiochię viſũ eſt, illiq. fuit auſpicatiſſimũ, cum enim Antiochia terræmotu quateretur, & Litaniæ fierent à quibuſdam religioſiſſimis viris, à quodam viro ſancto interrogatum eſt ſpectrum illud, quouſque ſæuitura eſset ira Dei; & reſponſum eſt, eo vſq. donec in liminaribus ædium illius ciuitatis

uitatis ea verba inſcripta eſsent, Stet Nobiſcum Chriſtus, quo facto ſtatim ſtetit ira Dei, ac deſijt ſæuire per terræmotus.

140 In alijs caſibus non licet ſpectra de futuris contingentibus conſulere, aut interrogare, quia ſemper aliqua fit ipſi Deo iniuria, aut credendo ſpectra Deos eſse, aut ſaltem notitiam eorum habere, quam habet ſolus Deus. De diuinatione ex ſpectris multa habet Bulengerus *lib.* 5. *cap.* 2. quæ cum ſint extra noſtrum inſtitutum hîc vbi ſolum animaduerſiones doctrinæ moralis facimus, ideò relinquuntur.

ANIMADVERSIO LXI.

THEOLOGICA

In Diuinationem quæſitam ex Oraculis.

141 NON conſiderandæ veniũt huic illæ oraculorum veterum ineptiæ, quibus facultas omnis diuinandi concedebatur, eo opinionis errore, quod in ſtatuis quibuſdam, antris, ſpecubus, & arboribus omnis Deorum præſcientia adſtaret, vi cuius liceret omnia futura diuinare, imo ſibi vatidicum lumen adſciſcere; eiuſmodi enim vetuſta oracula videntur nunc temporis omnino abolita, ſaltem in regionibus noſtris, in quibus rutilat veræ ſapientiæ lumen, & Numen. At cum quædam alia nata ſint etiã apud nos ſuperſtitionis oracula, ex quibus ſolent plerique euentuum diuinationes quærere, de his aliquid dicendum eſt; atque animaduertendum non licere vllo modo cauitates aliquas in terra efficere, in quibus emiſsa per vocem rei interrogatione, quæ quæritur, atque appoſitis auribus, audiatur de quæſito euentu, vel per oraculum reſponſio; vel enim illa interrogatio ſic facta omnino futilis eſt, & nugatoria; vel ſi aliquid eſt, ad diabolum ſpectat, vnde omnino ſuperſtitioſa, & vetita cenſenda eſt; cum in illis cauitatibus, vel manibus factis, vel aliquo alio artificio non ſit facultas reſpondendi interrogatis, niſi vel Deus ipſe, vel dæmon reſpondeat; quod de Deo aſserere ſacrilegum eſt. Similiter illi omnes eodem peccato ſuperſtionis irretiuntur, qui ingreſso cubiculo obſcuro prolata ſua interrogatione euentus, reſponſum expectant in illa obſcuritate emittendum, ac ſæpe per imaginationem putantes datum eſse reſpõſum, propalant ſe oraculum de futuris euentibus accepiſse; In qua re admittenda eſt etiam excuſatio à culpa, ſi deeſset omne malitiæ genus in illis conſulendis oraculis, vt deprehenſum eſt in multis pueris eas conſul-

conſultationes de rebus puerilibus ſæpe ineuntes ſine malita; vel ſi ignorantia excuſaret, vt dictum eſt de alijs diuinationibus eiuſdem generis.

142 Id etiam aſſerendum eſt, cum aliqui putant arbores quaſdam ex aura admurmurantes votis ſuis reſpondere, vel ventorum fragores, vel alios eiuſmodi ſonitus, vel ex aquis, vel ex alijs; hæc enim omnia ſuperſtitioſa ſunt; ſed ego potiùs ſtultitias voco, quam malitias, cum nullus homo ſanæ mentis cogitari poſſit ex illo vario rerum murmure, aut ſtrepitu ſibi ad votum poſſe reſponderi, cum ea contingant ex ſuis cauſis, quibus remotis remouentur effectus. Si quis tamen malitiosè crederet ſibi ex illis poſſe ad interrogationes reſponderi futurorum, peccaret mortaliter; nam id agnoſceret poſſe fieri tantum ex dæmone, quem tamen data opera conſuleret. hæc videntus eſſe extrà Doctorum Controuerſiam, & ideò breuiter tractantur.

ANIMADVERSIO LXII.
THEOLOGICA
In Diuinationem quæſitam ex rebus inanimis.

143 RELINQVVNTVR hic diuinationes illæ, quæ quæri ſolent ex mortuorum cadaueribus per artem Necromantiam coactis ad edenda futurorum reſponſa; ſimiliter illæ, quæ peti ſolent ex Elementis variè conſideratis à Geomantibus, Pyromantibus, Æromantibus, & Hydromantibus, de his namque ſatis in præhabitis dictum eſt, & ſufficienter probatum eſt eſſe ſuperſtitionis plenas, omnino vetitas, & illicitas, ſaltem quoad aliqua prænoſcenda futura. Illæ tantum aſſumuntur hic perpendendæ diuinationes, quæ ex alijs rebus inanimatis comparantur, ex quibus tamen nihil futuri deprehendi poteſt, vt ſunt diuinationes per exta puerorum, quæ licet nunc temporis non ſint admodum in vſu, vt erant tempore Iuliani Galecij, & Heliogabali Imperatorum, apud quoſdam tamen impia conſuetudine adhuc exercentur, præſertim à Lamijs, & Strygibus, à quibus plerumque rapti euiſcerantur pueri ad coniectandos maleficiorum exitus; vt ſunt etiam diuinationes, quæ fiunt ex pelui aqua plena; vel ex vaſe vitreo rotundo itidem aqua pleno; vel ex ſpeculis in aquam demiſſis; vel ex fuligine ſimul, & oleo; vel ex ouis in ignem iniectis, vſque ad effuſionem ſudoris potiùs ex vna parte, quam ex alia; vel ex Capillis; vel ex Cereis; vel ex Lauro; vel ex Cinere; vel ex virgis; vel ex ſecuri in aquam proiecta, vel ex Thure per ignem accenſo; vel ex cribro inter digitos reuoluto; vel ex annulis; vel ex vino; vel ex hordeo, & ſimilibus, quæ omnes maximè ſuperſtitioſæ ſunt, vtpotè nullam habentes rerum connexionem in natura, quapropter qui aliquod ex his ſuperſtitionum, vel diuinationum generibus exerceret, niſi ignorantia excuſaretur, grauiter peccaret, & etiam in pluribus excomunicationis cenſuram inccurreret, aliaſque ſubiret pœnas in iure ſtatutas contra ſuperſtitioſos diuinatores.

Illi tamen, qui diuinationes eiuſmodi quærerent ex rebus inanimis 144
ſolo errore vulgi decepti, ac nullius malitiæ cognitione contaminati, potius ex animi leuitate, atque ex curioſitate, quam ex impenſa credulitate agentes, non ſolum excuſarentur à graui culpa, ſed etiam à cenſuris, & pœnis, quæ cum culpa connectuntur; deficit enim in his malitia ſufficiens ad peccandum; quod

quod tamen intelligitur, cum nulla ſubit eorum mente cogitatio, quod ſic diuinationem futurorum quærere malum ſit; tunc enim ſtante hoc dubio de malè agendo, tenerentur abſtinere, & non abſtinentes peccarent iuxta proportionem mali, quod perpetrare putarent; atque in hac præſertim mulierculæ ſunt benè à Confeſsarijs examinandæ, quæ licet plura ſuperſtitioſa agant ex vulgi errore recepto, putant tamen ſe aliquid mali patrare, vel ſaltem dubitant, qua ratione etiam illa crimina confitentur. Cæterum ad abolendos eiuſmodis impios abuſus conſultiſſimum erit grauitatem exaggerare, & etiam pœnis, ac pænitentijs ſalutaribus coercere, vt docent communiter Doctores. Hæc ſunt, quæ in tractatum de Fide Diuinationibus adhibenda potuit ingenium Philoſophicè, Aſtrologicè, & Theologicè excogitare, atque ad abolendos ſuperſtitionis errores animaduertere.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX
RERVM NOTABILIVM,
Quæ continentur in Animaduerſionibus Theologicis.

A.

ABSOLVTA potentia Dei potuiſſet aſtris omnes euentus futuros delineare, ſi voluiſſet, anim. 15. *theol. n.*42.

Actus humani liberi nullo modo diuinationibus obnoxij, animadu. 16. *theol. num.* 44.

Actus liberi neque remotiſsimè ex aſtris indicati. ibid.

Actus liberi neque vt futuri ſolum probabiliter poſſunt ſine peccato prænunciari, animaduerſio 19. *theologica, num.*53.

Aeromantia damnata tamquam ars ſuperſtitioſa. animaduerſio 35. *theolog. num.*88.

Affluentia bonorum fortunæ intelligenda pro futura, animaduerſio 21 *theolog. num.*57.

Amuletha è collo ſuſpenſa quomodo ſuperſtitioſa, animaduerſio 44. *theologica num.* 107.

Animorum arcana ſuperſtitionibus explorata, anim. 30. *theolog. n.*77.

Apparitiones ſuperſtitioſæ diuinationis quales. an. 11. *theol. n.* 30.

Angelorum conſultatio ad euentura prænoſcenda quomodo licita, & illicita, an. 58. *n.* 135.

*Angelis vetita cordis arcanorum notitia, ibid. n.*136.

*Angelis conceſſa probabilis euentuum liberorum coniectura, ib. n.*136.

Apoſtaſia ſæpe coniuncta diuinationi. an. 9. *n.* 29.

*Arbores ex aura admurmurantes quomodo vatidicæ apud veteres. anim.*61. *n* 142.

Ars Cabaliſtica ad diuinandum reprobata, an. 40. *theol. n.*99.

Ars Alphabetaria quænam. ibid.

Ars diuinatoriæ omni iure prohibitæ. an. 19. *theol. n.* 51.

Artes diuinandi ex Elementis damnatæ, an. 35. *theol. n.* 88.

*Artis notoriæ diuinatio quænam anim.*41. *num,* 101.

P *Arte*

INDEX RERVM

Artè facta ad diuinandum ſuperſtitioſa, Animaduerſio 42. *theologica, numero* 103.

Aſtra tamquam cauſæ naturales plures continentes euentus, anim. 13. *theol. num.* 35.

Aſtra partibus corporis præſidentia quænam, anim. 37. *theol. n.* 93.

Aſtra quomodo ſigna futurorum. an. 15. *theol. n.* 41.

Aſtra quid poſſint in corpora. anim. 26. *theol. n.* 68.

Aſtrologica Phyſiognomia omni iure damnata. animaduerſio 48. *theologica, num.* 115.

Aſtrologorum error circa conceptionem, & natiuitatem Chriſti. anim. 18. *theol. num.* 50.

Auguria quomodo prohibita. anim. 33. *theol. n.* 84.

Auxilium dæmonis quæſitum in diuinatione. anim. 1. *theol. n.* 3.

B.

B*Accantes & Sibyllæ quomodo diuinatrices. animaduerſio* 3. *theol. num.* 8.

Bella ex Cometis præſignificata quomodo. animaduerſio 36. *theologica, numero* 91.

Bona fides excuſat à ſuperſtitionis peccato in vanis obſeruantijs. animadu. 43. *theol. n.* 105.

Breuia, quæ geſtantur ad collum ad diuinandum ſuperſtitioſa. animadu. 43. *theol. n.* 106.

Brutorum motus diuinationi inſeruientes. animaduerſio 36. *theolog. numero* 131. 132.

Bulengeri hiſtoria de lapillo diuinatorio, animaduerſio 44. *theologica, numero* 107.

Bullæ Pontificiæ damnantes diuinationem ex aſtris, animaduerſio 16. *theolog. num.* 44.

Bullæ Pontificiæ damnantes diuinationem ex duello, animadu. 46. *theologica, num.* 111.

C.

C*Abalæ genus ad magiam reductum animaduerſio* 40. *theologica numero* 99.

Cabalæ crimina quæ … ibid.

Cauſæ, & ſigna futurorum in aſtris æquè damnata, animaduerſio 16. *theolog. num.* 45.

Cauſæ & ſigna futurorum in aſtris quomodo admiſſa, anim. 13. 14. *theolog. num.* 37. 38.

Cenſuræ latæ in diuinatores ſortilegos. an. 32. *theol. n.* 82.

Chiromantia indicans longitudinem, & breuitatem vitæ. animadu. 49. *theol. num.* 117.

Chiromantia Aſtrologica incerta. anim. 50. *theol. n.* 119.

Chriſti conceptio, & natiuitas ex aſtris nõ deprehenſa. animaduerſio 18. *theol. num.* 50.

Cingari, vide Zingari Chiromantes deridendi, animaduerſio 51. *theologica num.* 121.

Clerici ſortibus diuinatorijs vtentes quomodo ipſo facto excomunicati. anim. 32. *theol. n.* 80.

Cælum an liber totius vniuerſi, anim. 16 *theol. n.* 44.

Cælum

Digitized by Google

NOTABILIVM.

Cælum an continens domum fidei, & bonorum operum prò vita æterna. anim. 15.*n*.43.
Cælum indirectè agens in potentias animæ. anim. 16. *theol. n*.44.
Cognitio dæmonum qualis. animadu. 1. *theol.n*.3.
Cognitio futurorum per ſomnia illicita. an. 27.*theol.n*.72.
Cognitio rerum occultarum Dei propria. anim.4.*theol.n*.11.
Cometa quale præſagium. anim.36.*theol. n*.90.91.
Commotio imaginationis quantum poſſit in diuinatione. animadu. 1. *theolog. num*.31.
Complexiones vniuſcuiuſque quomodo ex aſtris indicatæ. anim. 17. *theolog.numero* 46.47.
Concilia damnantia diuinationes ſortilegas. animaduerſio 32. *aſtrologica, num* 82.
Coniectura Dæmonum de futuris certior, quam hominum. animadu.1.*theolog. num*.3.
Coniectura probabilis de futuris contingentibus quomodo licita. anim. theol. num. 53.
Coniecturæ ex ſomnijs non ſemper ſuperſtitioſæ. animaduerſio 25. *theologica num*.66.
Conſtellationes cælorum ex ſomnijs indicatæ. animaduerſio 26. *aſtrologica num*.69.
Credere ſcientiæ Dæmonis, & credere reuelationi eiuſdem Dæmonis non idem. anim.8.*theol.n*.21.
Credere ſomnijs vniuersè malum eſt: animaduerſio 28. *theologica, numero* 73.74.
Credibilitas diuinationis quomodo innoteſcat. animaduerſio 7. *theologica,numero* 19.
Credulitas diuinationis nimia quomodo damnata. animaduerſio 8. *theolog. num.* 21.
Crimina diuinationis multiplici pæna punita. animaduerſio 6.*theologica, numero* 15.
Crimen diuinationis abolitum in Medicis. animaduerſio 37. *theologica num*.92.
Cultus in diuinatione Dæmoni exhibitus, & Deo ſubtractus. animadu.4. *theol. num*.11.

D.

Dæmonis auxilium imploratum in diuinatione ſemper malum. an. 1.*theol.n*.3.
Dæmonis interrogatio ad aliquem honeſtum finem non illicita. anim.5. *theol. num*.14.
Dæmonis ignorantia quoad myſteria ſupernaturalia. animaduerſio 18. *theolog. num*.50.
Dæmones diuinant, quantum ſciunt. an. 11.*theol.n*.30.
Deorum præſcientia apud Veteres in antris, & ſpecubus conſtituta. anim.61 *theol. n*.141.
Deus potens omnia futura etiam libera per aſtra reuelare. animaduerſio 15. *theol.n*.42.
Deus cuiuſcumque bona, vel mala fortuna. animaduerſio 21. *theologica, num*.56.
Definitio diuinationis qualis apud Theologos. animaduerſio 1. *theologica,numero* 3.
Dei prouidentia quomodo diuinationi futuro-

turorum aduerſetur. anim. 16. theol. num. 44.

Deus omnis fortunæ author. animad. 21 theol. n. 56.

Deſcriptio omnium euentuum futurorum in aſtris quomodo poſſibilis. anim. 15 theol. n. 41.

Dies ſuperſtitioſi in operibus cauendi. an. 24. theol. n. 63.

Diuinantes per Duella quomodo damnati. anim. 46. theol. n. 111.

Diuinationum genera potiora duo tantum ex dæmone. animaduerſio 2. theolog. num. 4.

Diuinationis nomine non intelligenda quædam Idololatriæ ſpecies. animadu. 1. theol. n. 1.

Diuinationes omnes quomodo eiuſdem generis, & eiuſdem ſpeciei. animad. 3. theol n. 5.

Diuinationis finis non ſolum ſpectandas, ſed etiam ſpectanda media. ibidem num. 2.

Diuinationes omnes, quibus intereſt Dæmon, eiuſdem malitiæ in genere moris. anim. 2. theol. n. 6.

Diuinationes omnes ſiuè cum tacita, ſiuè cum expreſſa Dæmonis inuocatione intrinſecè malæ. animaduer. 4. theolog. num. 10.

Diuinationes ex medijs, & ex fine non illicitis factæ non malæ, neque ſuperſtitioſæ. animaduerſio 5. theolog. numero 13.

Diuinationes ſuperſtitioſæ omni iure damnatæ. animaduerſio 6. theologica numero 15.

Diuinationes credibiles ex ſui natura quænam. animaduerſio 7. theologica numero 18.

Diuinationis malitia non ſemper eadem cum malitia ſuperſtitionis. anim. 10. theolog. num. 29.

Diuinationes ex aſtris, tamquam, ex cauſis vniuersè. animaduerſio 13. numero 35.

Diuinatio per aſtra actuum liberorum nullo tempore licita contra quoſdam oppoſitum afferentes. animad. 19. theol. num. 51.

Diuinationum ſortilegarum pœna. an. 32. theol. n. 82.

Diuinationes ex prodigijs quomodo ſuperſtitioſæ. animaduerſio 34. theolog. num. 86.

Diuinationes ab Inquiſitoribus qua ratione puniendi. animadu. 6. theologica num. 16. Non ipſo facto excommunicati, qui diuinatores. ib. n. 17.

Diuinatio ex Elementis non in omnibus ſuperſtitioſa. animadu. 35. theolog. num. 88.

Diuinatio ex Meteoris quomodo licita. an. 36. theol. n. 90.

Diuinatio ex Duello quomodo prohibita. anim. 45. theol. n. 109.

Diuinatio ex næuis prohibita. anim. 53. theol. n. 126.

Diuinatio ex motibus corporis humani qualis. anim. 55. theol. n. 129.

Diuinatio ex motibus animalium quomodo ſuperſtitioſa. animadu. 56. theol. num. 132.

Diuinatio ex Onychomantia damnata. an. 53. theol.

Diuinatio ex Pedomantia itidem damnata. anim. 54. theol.

Eccle-

E.

ECcleſia nulla ratione diuinatores excuſans. animaduerſio 20.theolog. num. 55.
Effectus quidam, ſiue naturales euentus quomodo poſſint ex aſtris præuideri. animadu. 13. theol.num.35.& anim. 14. num.38.
Effectus omnes naturales in particulari pendentes ab aſtris difficili negotio diuinari poſſunt. animadu. 14. theol. num.38.
Elementa nihil in animum preualentia. Animaduerſio 35. theologica numero 88.
Elementorum obſeruatio quomodo adhibita in diuinatione. anim. 35. theol. num. 88.
Elementorum vſus quomodo ſuperſtitioſus. animaduerſio 35. theologica numero 89.
Error illorum, qui putant etiam ſupernaturalia ex aſtris præuideri. anim. 15. theol.n.43.
Euentus boni, vel mali faciunt bonam, vel malam fortunam. anim. 21. theol. num. 56.
Excomunicationes Duellantium pro diuinatione quæ. animaduerſio 46. theol. num. 111.
Excomunicatio quomodo afficiat Diuinatores. animaduerſio 6. theologica numero 17.
Excomunicatio non ipſo facto lata aduerſus ſortilegos diuinatores, ſed ferenda. anim. 32. theol. n. 82.
Exempta omnimodè ab aſtris Chriſti natiuitas, & conceptio. animadu. 18. theologica n. 50.
Exemplum celebre de impia futurorum diuinatrice. animaduerſio 7. theolog. num.20.
Exercituum victoriæ non poſſunt ex aſtris præuideri. animaduerſio 22. theolog. num.60.
Expreſſum, & tacitum pactum cum dæmone quid. animaduerſio 9. theolog. num.25.
Exta puerorum in Diuinatione adhibita tempore Heliogabali. anim. 62. theol. num. 143.

F.

FAces in Cælo coruſcantes quid portendant. animaduerſio 36. theol. num. 90. 91. Quid liceat ex ipſis diuinare. ibid.
Facultas diuinandi multiplex. animad. 3. theol. n. 7.
Fides imperfecta quomodo diuinationibus ſine peccato poſſit adhiberi. animad. 8. theol. n. 22.
Fides aſtris adhibita quomodo extra peccatum ſuperſtitionis. anim. 14. theol. num. 39.
Fides ſomnijs adhibita ſuperſtitioſa. anim. 26. theol. n. 69.
Fides adhibita Diabolo ſemper mala. an. 28. theol. n. 73.
Fides captiuans intellectum in obſequium Dæmonis, vel Idololatria, vel hæreſis, vel infidelitas. anim. 8. theolog. num. 21.
Fortuna cuiuſcunq. independens ab aſtris anim. 21. theol. n. 56.
Fortuna quibus inſit. ibid.
Fortuna nulla reſpectu Dei. ibid.

Frontis

Frontis lineamenta quomodo futurorum, & occultorum indicia. animadu. 54. *theol.n.* 127. 128.

Furentes, & Melancholici quomodo diuinatores. animaduerſio 3. *theologica num.* 9.

Furores lymphatici ad diuinandum quales. animaduerſio 3. *theologica numero* 8.

Furta, & adulteria non poſſunt ex aſtris diuinari. animaduerſio 22. *theolog. num.* 58. 59.

Futura contingentia libera nullo modo ex aſtris cognoſcibilia. anim. 19. *theol. num.* 51.

Futura caſualia, ac merè fortuita neque ab aſtris indicata. anim. 20. *theolog. num.* 54.

Futura quædam quomodo ex ſomnijs poſſint diuinari. animadu. 25. *theolog. num.* 65.

G.

Gemini ſignum cui parti corporis humani præſideat. animad. 37. *theol.n.* 93.

Genus peccati in pacto, & inuocatione dæmonis quale. animadu. 9. *theolog. num.* 26.

Genus mendacij diuinatio ex aſtris. an. 14. *theol.n.* 39.

Gentiles necromantiæ ſtudio dedit. anim. 39. *theol. n.* 97.

Geomantia damnata tamquam ars ſuperſtitioſa. animaduerſio 35. *aſtrolog. num.* 88.

Gloſſæ quid dicant de panis latis aduerſus diuinatores ſortilegos. anim. 32. *theol. num.* 82.

Graue crimen eſt capiti dormientium aliquia ſupponere ad diuinanda cordium arcana. animaduerſio 30. *theologica num.* 77. 78.

H.

Hæreſis ſæpe coniuncta diuinationi. anim. 9. *theol.n.* 26.

Hæreſis in ſortilegijs contenta. anim. 32. *theol. n.* 83.

Hebræorum Cabala quæ. anim. 40. *theol. num.* 99.

Herbæ applicatæ ad diuinandum ſuperſtitioſæ. animaduerſio 42. *theologica, num.* 103.

Herba Chariſia alliciens ad amorem vbi inueniatur. ibid.

Homines furentes conſulere ad diuinandum quale peccatum. anim. 59. *theol. num.* 138.

Homo quomodo dicatur fortunatus è cælo anim. 21. *theol.n.* 57.

Horæ ſuperſtitioſæ in operibus cauendæ. anim. 24. *n.* 63.

Horoſcopus cuiuſcumque, ſeu natiuitatis punctus cognitu difficilis. anim. 17. *theol. num.* 47.

Humani corporis motus indices futurorum. anim. 55. *theol.n.* 130.

Hydromantia damnata tamquam ars ſuperſtitioſa. animaduerſio 35. *theolog. num.* 88.

NOTABILIVM.

I.

Iacob in tabulis cæli, quomodo legerit omnia nepotibus euentura, an. 16. theol.n.41.

Idololatriæ ſpecies quænam in diuinatione, animaduerſio 1. theologica, numero 1.

Ignorantia quomodo excuſet à ſuperſtitione diuinatoria ex infuſione ſcientiæ, an. 41. theol. n. 101.

Imagines artefactæ aſtrologicæ ſuperſtitioſæ, animaduerſio 42. theologica, num. 104.

Immiſſio ſomniorum à Deo quomodo cognoſcatur, animaduerſio 27. theolog. num. 70.

Inanimata quomodo ad diuinandum adhibita, animaduerſio 62. theologica, num. 143.

Incertiſſima ſomniorum diuinatio, anim. 26. theol. n. 69.

Inclinationes ad malum, & bonum ex aſtris præuiſæ, animaduerſio 22. theol. num. 59.

Indicia ſomniorum, quæ immittuntur à Dæmone, animaduerſio 27. theolog. num. 70.

Indicia ſomniorum de rebus ſpectantibus ad animum, animaduerſio 30. theol. num. 77.

Inferiora corpora per ſuperiora reguntur ex diuina prouidentia, animadu. 13. theol. n. 35.

Influxus cælorum in ſomnia qualis, anim. 26. theol. n. 68.

Infuſio ſcientiæ ad diuinandum qualis, Animaduerſio 41. Theologica, numero 101.

Inquiſitores quomodo poſſint de ſortilegijs inquirere, anim. 32. n. 80.

Inſidiæ inimicorum per amuletha detegendæ. anim. 44. theol. n. 107.

Intentio diuinatoris non ſuperſtitioſa excuſat à peccato mortali, anim. 4. theol. num. 10.

Interpreti ſomniorum quæ obſeruanda. an. 29. theol. n. 75.

Interrogatio aſtrorum ad diuinandum an licita, anim. 22. theol. n. 58.

Interrogare Dæmonem ad aliquem honeſtum finem etiam vt ventura prænunciet non illicitum, anim. 5. theol. num. 14. & animaduerſ. 9. theologica num. 24.

Inuocatio Dæmonis, & pactum cum Dæmone non ſunt inuicem confundenda, anim. 9. theol. n. 24.

Inutilitas quarumdam reuelationum. an. 7. theol. n. 20.

Ioſeph in augurandi arte peritus, an. 33. theol. n. 85.

Iudices quomodo debeant abſtinere à diuinatione rerum occultarum, anim. 12 theol. n. 33.

Iudicium reuelatiuum futurorum duellum anim. 45. n. 109.

Iudicium ex ſignis phyſiognomicis quale, anim. 47. theol. n. 114.

Iudiciaria Aſtrologia omni iure damnata, anim. 19. theol. n. 53.

Iura diuinationes prohibentia, anim. 6. theol. n. 15.

Iura Necromantiam prohibentia. anim. 39. theol. n. 97.

Ius canonicum quomodo damnet auguria, anim. 33. theol. n. 85.

K.

KAbala, vide etiam, Cabalá, quid apud Hebræos. anim.40. theol. num. 99.
Kabalæ miracula reiecta. ibid.
Kabala quæcunque ad diuinationem futurorum inepta ib.n.100.

L.

LApides, & gemmæ ad mutationem aſtrorum mutatæ. anim.44.theol. num.107.
Lapillus diuinatorius Leonis Summi Pōtificis. ibid.
Lapidum colores varij ad ventura indicanda. ibid.
Legentes libros Incantatorum excomunicati, animaduerſio 6. theologica, numero 16.
Leges humanæ prohibentes diuinationes aſtrologicas, animaduerſio 17. theol. num.48.
Læſæ maieſtatis crimen eſt ad Dæmonem confugere vt ſciantur occulta. anim.10. theol. n.28.
Leſsij ſententia de fide ſomnijs adhibenda, animaduerſio 28. theologica numero 73.
Leuitas animi excuſat à peccato in diuinatione, animaduerſio 62. theologica, num.144.
Liber inſcriptus, Narratio Ioſeph, quid de diuinatione aſtrologica contineat. an. 16.theol.n.45.
Liber totius vniuerſitatis cælum appellatur, animaduerſio 15. theologica, numero 41.
Licitè quandoque quæſita à Dæmone futurorum notitia, animadu. 10. theol. num 28.
Lineamenta in pedibus obſeruata quomodo ſuperſtitioſa, anim. 53. theologica, num.126.
Lineæ manus indices corporis temperamenti, animaduerſio 49. theologica, num. 117.
Lineæ manus quomodo effectus per accidens in natura, ib. quid naturaliter ſignificent, an.50.theol.n.120.
Loquutiones Dei per ſomnia quales. anim. 27.n.70.

M.

MAculæ,quæ apparent in vnguibus manuum ſigna ad diuinandum inepta, animaduerſio 52. theolog.numero 123.
Magia prohibita qualis, anim.38. theol. num.95.
Magos conſulere ad diuinanda futura omni iure prohibitum. ibid.
Malitia diuinationis qualis, animaduerſio 4. theologica, num.10. vnde petenda. ibid.
Malitiæ ratio in ſortibus vnde petenda, anim.32. theol. n.81.
Malum in diuinatione non ſemper oppoſitum virtuti religionis, anim.4. theol. num. 11.
Materia diuinationum diuerſa, forma, ſeù formalitas ferè eadem, anim. 2. theol. n.5.
Medica prognoſtica morborum ex ſomnijs licita, an.29.theol. n.75.

Medica

Medica prognoſtica nullo iure prohibita. Animaduerſio 37. theologica, numero 92.

Medici mendaces morbos ex ſolis aſtris prædicentes, animaduerſio 14. theol. num. 39.

Medicæ diuinationes quomodo licitæ, an. 37. theol. n. 92.

Medium diuinationis, ſeù adhibitum in diuinatione maximè aduertendum. an. 4. theol. n. 11.

Media vana, & inutilia in diuinatione, anim. 9. theol. n. 27.

Melancholici quomodo diuinatores. an. 3. theol. n. 9.

Mentis perfectio minuit fortunam. anim. 21. theol. n. 56.

Meteora quomodo adhibita in diuinatione ſine peccato. animaduerſio 36. theol. num. 90.

Metopoſcopia quomodo prohibita. anim. 54. theol. num. 127. quomodo licita. ib. n. 128.

Miracula à Deo quærere, non ſemper eſt Deum tentare, anim. 57. theolog. num. 134.

Mittere ſortes non ſemper malum. anim. 31. theol. n. 79.

Modi, quibus fiunt præſtigioſæ dæmonum apparitiones quot ſint, an. 11. theol. num. 31.

Monomachia illicita, etiam in diuinatione. animaduerſio 45. theolog. n. 109. 110.

Monomachia iudicium reuelatiuum quomodo dicta, ibid.

Morbi quomodo à Medicis curandi ex aſtrorum inſpectione, animadu. 37. theol. n. 93.

Mors, & vita cuiuſcumque in manu ſolius Dei. animaduerſio 18. theolog. num. 49.

Motus appetitus ſenſitiui quomodo diuinationi ſubiecti. animad. 23. theolog. num. 61.

Motus primo primi non poſſunt naturaliter præuideri, ibid. n. 62.

Motus animalium quomodo indices futurorum, animaduerſio 55. theolog. num. 129.

Motus corporis humani quomodo inſeruiant diuinationi futurorum. ib.

Motus animalium diuerſimodæ interpretationi ſubiecti, animadu. 56. theol. num. 131.

N.

NÆui obſeruati in partibus corporis ſuperſtitioſi, animad. 53. theol. num. 126.

Næuorum diuinatio quomodo licitè haberi poſſit. ibid.

Nati conceptio fortiores patitur aſtrorum influxus, quam ipſa natiuitas. anim. 17. theol. n. 47.

Nati inclinationes ex aſtris deprehenſæ. ibid.

Naturalis diuinandi facultas quænam. Animaduerſio 3. Theologica, numero 7.

Neceſſitas infallibilis euentuum ex aſtris damnata, animaduerſio 19. theolog. num. 51.

Neceſſitas agendi nulla per aſtra hominibus impoſita. animaduerſio 22. theol. num. 59.

Necromantia qualis. anim. 39. theolog. num. 97.

Nemo fortunatus, aut infortunatus reſpectu Dei. animaduerſio 21. theolog. num. 56.

Nomen diuinationis quid verè importet apud Theologos· animadu.1.theolog. num.2.

Nomen diuinationis vt plurimum in malam partem accipiendum. ib.

Nomen diuinationis vnde dictum. ibidem.

Nota ſuperſtitionis non ſemper in ſomnia irrogata. animaduerſio 25. theolog. num.67.

Notitia futurorum non omnis ſolius Dei propria. animaduerſio 10. theologica, num.27.

Notitia euentuum futurorum quomodo Angelis,& hominibus conceſſa. an.58 59.theol.n.136.137.

Nugæ aſtrologicæ de ortu, & interitu hominum. animaduerſio 18. theolog. num.49.

Numerus dierum orationibus affixus quomodo ſuperſtitionem inducat. anim.8. theol.n.23.

O.

OBſequium Dæmoni exhibitum non ſemper idololatria vocanda, an. 1.theol.n.1.

Obſeruanda in pacto, & inuocatione Dæmonis, animaduerſio 10. theologica num. 27.

Obſeruationes ſomniorum,& auguriorum quomodo peccatum mortale,& quomodo veniale, an.8.theol. n.22

Obſeruationes futurorū ex aſtris non ſemper illicitæ, anim.13. theologica numero 37.

Obſeruatio temporis in rebus agendis non ſemper ſuperſtitioſa, anim.24.theol. num.64.

Obſeruatio ſomniorum ad bonam, vel malam corporis valetudinem coniectandam non ſuperſtitioſa, ſed licita, an.29. theol. n.75.

Occiſi ſanguis ſe mouens ad præſentiam occiſoris opus non naturale, ſed dæmoniacum cenſendum, anim. 12. theol. num. 34.

Omnia quæcumque quomodo damnata, Animaduerſio 33. theologica, numero 84.85.

Omina ex prodigijs quænam accipienda, Animaduerſio 34. theologica, numero 86.

Onychomantia ex vngue pueri impolluti omnino ſuperſtitioſa, anim.53.theol. num.126.

Onychomantia qualis apud Cardanum, Animaduerſio 52. theologica n.123. 124.

Operationes purè ſenſibiles nec facilè diuinari poſſunt, Animaduer.23.theolog. num.61.

Orationes adhibitæ ad diuinandum quomodo reiectæ, & quomodo admiſſæ, anim.8.theol.n.23.

Ortus,& interitus cuiuſcumque in manu ſolius Dei, animaduerſio 18. theolog. num.49.

Oſtenta vnde dicta, anim. 34. theolog. num.86.

P.

Pactum implicitum, ſeu explicitum cum Dæmone in diuinatione ſemper malum, anim.2.theol.n.5.

Paruitas materiæ an in malitia diuinationis admittatur, animadu.4. theolog. num.10.

Peccatum grauius in rebus intrinſecè prohibitis, quam in extrinſecè tantum prohibitis, anim.5.theol.n.12.

Peccatum tantum veniale eſt quibuſdam diuinationibus creſcere ex actus imperfectione, an.8.theol.n.22.

Peccata plura quomodo id vno diuinationis genere, animaduerſio 19. theolog. num.52.

Pedomantiæ diuinatio quomodo fiat. anim. 53.theol.n.125. Omnia illicita, & ſuperſtitioſa, ibid.

Phanatici diuinatores quinam apud veteres, an.3. theol.n.9.

Pharmaca cum obſeruatione temporum præbere quomodo non ſuperſtitioſum, an.24.theol.n.64.

Phyſiognomia naturalis inſtrumentum diuinationis, animaduerſio 47. theolog. num. 113.

Phyſiognomia naturalis quomodo licita, ibid.

Phyſiognomia Aſtrologica quomodo illicita, an.48.theol.n.115.

Planetæ metallis dominantes qui ſint, Animaduerſio 14 theologica, numero 40.

Pluuiæ, & ſerenitates ex motibus animalium indicatæ, animad. 56. theolog. num.131.

Pœnæ Diuinatorum quæ & quales, animaduerſio 6.theol.n.15.an.17.theol. num.48.

Prædictiones de ortu, & interitu hominum ex aſtris peccaminoſæ, anim.18. theol.n.49.

Præſcientia futurorum in Dæmone quales. animaduerſio 11. theologica, numero 30.

Præſtigioſæ apparitiones, & locutiones dæmonum ad diuinandum quomodo prohibitæ, an.11.theol.n.30.

Presbyter punitus in Eccleſia ob vſum Aſtrolabij ad diuinandum de futura, an.22.theol.n.58.

Prodigia quomodo diuinationis inſtrumēta, an.34.n.86.

Prohibitio diuinationis qualis, anim. 5. theol.n.12.

Prohibitiones plures eiuſdem rei augent malitiam in illa re contra nonnullos, ibid.

Prophetia naturalis, & ſupernaturalis, an.3.theol.n.8.

Prophetia rerum futurarum quomodo hominibus conceſſa, animadu.59.theol. num.137.

Prophetæ non ſolum viri ſancti, ſed alij quoque, ibid.

Proportio aſtrorum cum Brutis quomodo inſeruiat futurorum diuinationi, an.56 theol.n.132.

Proteſtatio in diuinationibus adhibita quā do excuſet, & quando non, anim. 9. theol.n.26.

Pſychomantia qualis, anim.39. theolog. num.97.

Puella Cordubenſis diuinatrix, anim.7. theol.n.20.

Pyromantia damnata tamquam ars ſuperſtitioſa, animaduerſio 35. theol. num. 88.89.

Pythones conſulere vetitū ex ſacris literis, anim.

anim. 1. *theol. num.* 2.
Pythoniſſa euocans animam Samuelis, an. 39. *theol. n.* 98.

Q.

QVALIS *coniectatio admiſſa ex aſtris in natiuitate cuiuſcumque, an.* 17. *theol. n.* 48.
Qualitas occulta impreſſa ab occiſore in cadauer occiſi. animad. 12. *theolog. num.* 33.
Quæſita futurorum ex rebus inanimis ſuperſtitione damnata. anim. 62. *theol. num.* 143.
Quid explicandum in confeſſione de circumſtantijs diuinationis. an. 2. *theol. num.* 6.
Quid conſiderandum in diuinationibus ex aſtris, tamquam ex cauſis, anim. 13. *theol. n.* 36.
Quid de actibus liberis poſſint prænunciare Aſtrologi in communi. anim. 19. *theol. n.* 53.
Quomodo liceat diuinatione vti ad propria mala cauenda. anim. 5. *theolog. num.* 14.

R.

RATIO *malitiæ in ſortibus diuinatorijs vnde deſumenda. anim.* 31. *theol. n.* 80. 81.
Ratio prohibitionis in diuinatione non vna, & eadem. animaduerſio 5. *theolog. num.* 12.
Regula vniuerſalis ad dignoſcendas licitas, & illicitas diuinationes ex aſtris. anim. 16. *theol. num.* 45.
Rei credibili licet à Dæmone prolatæ poteſt fides adhiberi, anim. 7. *theolog. num.* 18.
Res quomodo fiat credibilis, licet à Dæmone prolata. ib. n. 19.
Res magicæ adhibitæ ad diuinandum omnino damnatæ. anim. 38. *theolog. num.* 95.
Reſponſa futurorum ex antris, & ſpecubus. an. 3. *theol. n.* 9.
Res naturales ſuperſtitioſè adhibitæ. an. 42. *theol. n.* 103. 104.
Reſponſa expectantes à ſtatuis, ab antris, & ab oraculis de futuris ſuperſtitionis crimine irretiti. anim. 61. *theol. num.* 141.
Res agendæ per ſenſum neque per aſtra cognoſcibiles. animadu. 23. *theolog. num.* 61.
Reuelationes futurorum, licet factæ per perſonas pietate conſpicuas non facilè credendæ. animaduerſio 7. *theolog. num.* 20.
Reuelationis ex Deo certiſſimæ. anim. 57. *theol. num.* 133. *Quomodo cognoſcendæ. ibid.*
Reuelationes futurorum à Deo quæſitæ, quomodo damnandæ. ibid.
Ruſticorum, & Agricolarum obſeruationes non ſemper ſuperſtitioſæ. anim. 24. *theol. n.* 64.

Sacræ

S.

Sacræ literæ, & ſancti Patres quomodo damnet diuinationem. anim. 16.theol.n.45.

Sanguinis apparitio præſtigioſa in cadauere quanti facienda in diuinatione. anim. 12.n.33.

Scientiæ infuſio ad diuinandum quomodo vſurpata, animaduerſio 41. theolog. num. 101.

Scientia haberi non poteſt de futuris merè fortuitis, & caſualibus. animad. 20. theol. n.54.

Sciſſuræ in manibus quomodo indices vitæ, vel mortis, animadu. 49. theol. num. 117.

Scripturæ fidem facientes ſomnijs quænam. anim. 27.theol.n.71.

Secreta cordium quomodo ſine peccato diuinari poſſint, anim. 30. theologica num. 77.

Signa naturalia omnium futurorum non in aſtris ponenda. an. 15. theol.n.43. anim. 16. n.44.

Signum damnationis æternæ ſocietas cum dæmone. anim. 10.theol.n.30.

Societas quæcumque cum Dæmone inita mala ſimpliciter. animad. 9. theolog. num. 24.

Somniorũ diuinatio ſuperſtitioſa quænam. anim. 25. theol.n.65.

Somnia immiſſa à Deo vel per Angelos difficillimi cognitionis. anim. 25. theol. num. 65.

Somnia de futuris, quæ referuntur in aſtra damnata. animaduerſio 26. theolog. num. 68.

Somnia diuinitus immiſſa quænam. anim. 27. theol. num. 70.

Somnia Dæmoniaca qualia cenſenda. an. 28. n.73.

Somnia ſpectantia ad corporis temperamentum quomodo vera. animad. 29. theol. n.75.

Somnia affectiones animi indicantia quæ. anim. 30. theol. n.77.

Sortes diuinatoriæ quomodo à Deo conceſſæ. an. 31.theol.n.80.

Sortes diuinatoriæ quænam. animad. 31. theol. n.79.

Sortes conſultoriæ, & diuiſoriæ quænam. ibidem.

Sortes diuinatoriæ non ſemper prohibitæ. anim. 31. theol.n.79.

Species diuinationis quot, & quales. an. 2. theol.n.4.

Species omnes diuinationis ad duplex tantum genus reuocatum. anim. 2. theol. num. 4.

Species rerum ſenſibilium an poſſint à dæmone produci, animadu. 11. theolog. num. 32.

Spectantia ad actus liberos quomodo ex prodigijs poſſint diuinari. anim. 34. theol.n.87.

Spectrorum interrogatio ad diuinandum quale peccatum. anim. 60. theolog. num 139.

Spectrum Antiochiæ viſum à Paulo Diacono. ibid.

Statuæ reſpondentes interrogationibus de futuris, anim. 61. theol. n. 141.

Stellæ fixæ quomodo effectus Planetarum valeant impedire. anim. 14. theolog. num. 38.

Subiectio voluntaria facta dæmoni quale peccatum. an. 4. theol. n. 10.

Supernaturalis diuinandi facultas quænam, anim. 3. theol. n. 7. 8.

Superſtitioſum diuinandi genus ex prodigys,

gijs,

gijs, anim. 34. theol. n.86.
Superſtitio diuinationis ſemper imbibita in confugio ad Dæmonem vt reuelentur occulta, animaduerſio 10. theol. num. 28.
Superſtitioſum eſt certis horis, & diebus ab operibus abſtinere, an. 24. theol. num. 63.
Sybillæ quomodo ad diuinandum motæ. anim. 3. theol. n. 8.

T.

Tacita & expreſſa Dæmonis inuocatio qualis, anim. 10. theolog. num. 27. 28.
Temeritatis crimen eſt reuelationes futurorum à Deo quærere, vel expectare, anim. 57. theol. n. 133. 134.
Tempeſtates ex motibus animalium indicatæ, an. 56. theol. n. 131.
Temporis obſeruatio ad aggredienda negotia non ſemper mala. an. 24. theol. num. 64.
Temperamenta vniuſcuiuſque quomodo poſſint ex aſtris indicari, anim. 17. theol. n. 46.
Tentatio Dei fit in poſcenda futurorum reuelatione, an. 57 theol n. 134.
Theologorum doctrina de fortuna, vel infortunijs cuiuſcumque, an. 21. theol. num. 56.
Theologorum dubium circa interrogationes aſtrorum, animadu. 22. theolog. num. 60.
Theologi quomodo probent diuinationes, anim. 7. theol. n. 18.
Timor conceptus de futuris euentibus ex obſeruatione præteritorum crimini nequaquam obnoxius, anim. 8. theolog. num. 22.
Tridentinum Concilium quomodo intelligendum circa pœnas duellantium. anim. 46. theol. n. 112.

V.

Vana obſeruantiæ ad diuinandum quænam apud Theologos. anim. 42. theol. n. 105.
Vatidicum lumen ex antris apud veteres, anim. 61. theol. n. 141.
Ventura quædam quomodo poſſint ex aſtris præcognoſci, ac diuinari, anim. 13 theol. n. 37.
Vericelli ſententia de præſtigioſa ſanguinis apparitione in cadauere, anim. 12 theol. n. 33.
Veritatis fons ſolus Deus, an. 57. theol. num. 133.
Veterum diuinationes ex ſomnijs, an. 25. theol. n. 65.
Victoria in exercitibus malè ex ſideribus ominata, animaduerſio 22. theolog. num. 60.
Vires ſenſitiuæ quomodo aſtris ſubiectæ, & ab ipſis motæ, animaduerſio 17. theol. num. 47.
Virtutes cæleſtes ſingulis rerum ſpeciebus reſpondentes ex D. Th. anim. 14. theol. num. 40.
Virtus ſecreta dæmoniaca adhibita in diuinationibus, animaduerſio 5. theol. num. 12.
Vita longitudo, & breuitas quomodo ex Chiromantia deprehendatur, an. 49. theol. n. 117.
Vniuerſalia quomodo adhibita ad diuinandum de ſingularibus, animad. 41 theol. n. 101.

Voces

Voces animalium an inditia rerum futurarum. an.55.theol. n.130.
Vocum obſeruatores ſuperſtitioſi, ib.
Voluntas Dei innuens quandoque futura ex prodigijs. animadu. 34. theolog. num.87.
Vrbani VIII. Bulla circa diuinationes aſtrologicas. animaduerſio 17. theolog. num.48.
Vſus artis notoriæ ad diuinandum ex ſe malus. animaduerſio 41. theologica, num.102.

X.

XIxti V. Bulla circa diuinationes aſtrologicas. an.17.theol. n.48.

Z.

ZElus non excuſans diuinatotores etiam in diuinatione furtorum factorum Eccleſiæ. animad. 22. theol. num.58.
Zingarorum Chiromantia qualis, & quomodo damnata. animadu. 51. theol. num.121.
Zingaros conſulentes ioci cauſa non peccant.
Zodiaci ſigna quomodo dominentur partibus corporis humani. anim. 37.theol. num.93.

FINIS.

Digitized by Google

LECTORI MONITVM

Ad Operis errata facilè corrigenda.

ERrata palmaria, quæ ex Typogràphi incuria in hoc opus irrepſere, cum paſſim omnibus obuia ſint, ea præcipuè, quæ ex titulorum, ac numerorum falſitate ſe ipſis innoteſcunt, facili etiam lectoris iudicio corriguntur; Illa verò, quæ ex ſola characterum immutatione deprehenduntur, cum leuiora ſint, neque magni pendenda ſunt; eo præſertim quod nemo tam rudis Mineruæ ſit, qui ea facilè non valeat. Ex his conſuetam Erratorum cenſuram omitto; mihique à Lectore parcendum puto, qui ex officio lectionibus Patauinis addictus, Typis Venetiarum adeſſe non potui.

IVINATIONES
DAMNATÆ

EX SACRA SCRIPTVRA.
EX SACRIS CONCILIIS.
EX SACRIS CANONIBVS.
EX BVLLIS PONTFICIIS.
EX SANCTIS PATRIBVS.

Digitized by Google

Digitized by Google

DIVINATIONES DAMNATÆ EX SACRA SCRIPTVRA.

Ex Libro Leuitici.

Cap.19.n.26. *NON augurabimini, nec obſeruabitis Somnia.*
Cap.19.n.31. *Non declinetis ad Magos, nec ab Ariolis aliquid ſciſcitemini, vt polluamini per eos. Ego Dominus Deus Veſter.*
Cap.20.n.6. *Anima, quæ declinauerit ad magos, & Ariolos.... Interficiam illam de medio populi.*
Cap.20.n.27, *Vir, ſiuè Mulier, in quibus Pythonicus, vel Diuinationis fuerit Spiritus Morte moriatur.*

Ex Libro Numeri.

Cap.23.n.23. *NON eſt Augurium in Iacob, nec Diuinatio in Iſrael.*

Ex Libro Deuteronomij.

Cap.13.n.1, *SI Surrexerit in medio tui Prophetes, aut qui ſomnium vidiſſe ſe dicat, & prædixerit ſignum, aut portentum...... Non audies verba Prophetæ illius, aut ſomniatoris.*
Cap.18.n.10, *Non inueniatur in te qui Ariolos ſciſcitetur, & obſeruet ſomnia; aut auguria, nec ſit Maleficus, nec incantator, nec qui Pythones conſulat, nec Diuinos, et quærat à mortuis veritatem.*
Cap.18.n.14, *Gentes iſtæ quarum poſſidebis terram, Augures, et Diuinos habent; Tu autem à Domino Deo tuo aliter inſtitutus es.*

Ex Libro Ioſue.

Cap.13.n.22, *ET Baal Filium Beor Ariolum occiderunt Filij Iſrael.*

Ex Libris Regum.

Ex Primo.

Cap.6.n.2. *Vocauerunt Philiſtym Sacerdotes, & diuinos dicentes, &c.* *Et Saul abſtulit Magos, & Ariolos de terra, & interfecit eos, qui Pythones habebant in ventre.*

Ex Quarto.

Cap.17.n.17. *Poſt varia Iſraelitarum ſcelera enarrata Additur hoc etiam. Diuinationibus inſeruiebant, & augurijs.*

Cap.21.n.6. *De Manaſſe impijſſimo Rege Iuda habentur hæc verba. Et Ariolatus eſt, et obſeruauit Auguria, et fecit Pythones, et Aruſpices multiplicauit, vt faceret malum &c.*

Cap.23.n.24. *Sed et Pythones, et Ariolos..... Abſtulit Ioſias.*

Ex Libro Prouerbiorum.

Cap.23.n.14. *Ne comedas cum homine inuido, et ne deſideres cibos eius, quoniam in ſimilitudinem Arioli, et coniectoris æſtimat quod ignorat.*

Ex Libro Sapientiæ.

Cap.14.n.28. *Infandorum Idolorum cultura omnis mali cauſa eſt, et initium finis; aut enim dum lætantur inſaniunt, aut certè vaticinantur falſa.*

Cap.18.n.17. *Tunc continuò vſus ſomniorum malorum turbauerunt illos.*

Ex Libro Eccleſiaſtici.

Cap.34.n.1. *Vana ſpes, et mendacium viro inſenſato, & ſomnia extollunt imprudentes.*

Cap.34.n.5. *Diuinatio erroris, et auguria mendacia, et ſomnia malefacentium vanitas eſt.*

Cap.34.n.7. *Multos errare fecerunt ſomnia, et defecerunt ſperantes in illis.*

Ex Libro Eſaiæ Prophetæ.

Cap.2. n.6. *Proiecisti populum tuum Domum Iacob, quia repleti ſunt vt olim, et augures habuerunt vt Philiſtym.*

Cap.3.

Cap.3. n.2. *Dominator Dominus auferet .... fortem, et virum bellatorem, Iudicem, et Prophetam, et Ariolum &c.*

Cap.8.n.19. *Cum dixerit ad vos Quærite à Pythonibus, et à Diuinis, qui ſtrident in incantationibus ſuis. Nunquid non populus meus à Deo ſuo requiret?*

Cap.19.n.3. *Onus Ægypti .... Et interrogabunt ſimulacra ſua, et Diuinos ſuos, et Pythones, et Ariolos etc.*

Cap.29.n.4. *Væ Ariel...... De terra loqueris, et de Humo audietur eloquium tuum, et erit quaſi Pythonis de terra vox tua.*

Cap.44.n.25. *Ego Dominus ..... Irrita faciens ſigna Diuinorum, et Ariolos in furorem vertens.*

Cap.47.n.13. *Defeciſti in multitudine conſiliorum tuorum: ſtent, et ſaluent te Augures Cæli, qui contemplabantur ſydera, et ſupputabant menſes, vt ex eis annunciarent ventura.*

Cap.56.n.10. *Speculatores eius Cæci omnes: neſcierunt vniuerſi, Canes muti non volentes latrare: Videntes vana Dormientes, et amantes ſomnia.*

Cap.57.n.3. *Vos autē accedite huc filij Auguratricis ſemen Adulteræ, et fornicariæ.*

Ex Libro Ieremiæ Prophetæ.

Cap.10.n.2. A *Signis Cæli nolite timere, quæ timent gentes.*

Cap.23.n.26. *Audiui quæ dixerunt Prophetæ prophetantes in nomine meo. dicentium ſomniaui ſomniaui: Vſquequò iſtud eſt in corde Prophetarum vaticinantium mendacium.*

Cap.27.n.9. *Vos ergo nolite audire Prophetas veſtros, et diuinos, et ſomniatores, et Augures.*

Cap.29.n.8. *Non vos ſeducant Prophetæ veſtri; qui ſunt in medio veſtrum, et Domini veſtri, et ne attendatis ad ſomnia veſtra, quæ vos ſomniatis.*

Cap.50.n.36. *Gladius ad Diuinos eius, qui ſtulti erunt.*

Ex Libro Ezechielis Prophetæ.

Cap.13.n.6. V*ident vana, et Diuinant mendacium.*

Cap.13.n.7. *Nunquid non viſionem Caſſam vidiſtis, et Diuinationem mendacem locuti eſtis?*

Ex Libro Michææ Prophetæ.

Cap.3. n.6. N*Ox vobis pro viſione erit, et tenebræ vobis pro Diuinatione*

Cap.5.n.12. *Auferam maleficia de manu tua, et Diuinationes non erunt in te.*

Ex

Digitized by Google

Ex Libro Actuum Apoſtolorum.

Cap. 16. n. 16. *EVntibus Paulo, & Socijs ad orationem obuiauit Puella quædam habens ſpiritum Pythonem..... Dolens autem Paulus, & conuerſus Spiritui dixit. Præcipio tibi in nomine Ieſu Chriſti exire ab ea. Et exijt ab ea eadem hora.*

Ex Daniele.

Cap. 2. n. 27. *MYſterium, quod Rex interrogat Sapientes, Magi, & Arioli, & Aruſpices nequeunt indicare Regi, ſed eſt Deus in Cælo reuelans myſteria, quæ ventura ſunt in nouiſſimis temporibus.*

DIVI-

DIVINATIONES DAMNATÆ EX SACRIS CONCILIIS.

Ex Concilio Ancyrano.

Canone 23. *QVi Auguria, vel Auſpicia, ſiuè Somnia, vel Diuinationes quaslibet ſecundum morem Gentilium obſeruant, aut in domos ſuas huiuſmodi homines introducunt in exquirendis aliquibus arte maleſica, aut vt domos ſuas luſtrent, confeſſi quinquennio pœnitentiam agant ſecundum antiquitus conſtitutas regulas.*

Ex Concilio Elibertino.

Canone.62. *SI. Augur, aut Pantomimi credere voluerint, placuit, vt prius artibus ſuis renuncient, & tunc demum ſuſcipiantur, ita vt vlterius non reuertantur. Quod ſi facere contra interdictum tentauerint, proijciantur ab Eccleſia.*

Ex Concilio Carthaginenſi 4.

Canone 89. *AVgurijs, vel Incantationibus ſeruientem à Conuentu Eccleſiæ ſeparandum. Similiter & ſuperſtitionibus Iudaicis, vel ferijs inhærentem.*

Ex Concilio Antiſiodorenſi.

Canone 4. *NOn licet ad Sacrilegos, vel auguria reſpicere, nec ad Characteres, nec ad ſortes, quas Sanctorum vocant, vel quas de ligno, aut de pane faciunt, aſpicere, ſed quæcumque homo facere vult, omnia in nomine Domini faciat.*

Ex Concilio Conſtantinopolitano VI.

Canone 61. *QVi ſe vatibus tradiderunt, vel ijs, qui Centuriones dicuntur, aut ijs ſimilibus, vt ab illis diſcant ſi quid, ſibi reuelari velint ſecundum ea, quæ priùs à patribus ſunt ſancita, Canoni, qui eſt de Sexennio, ſubijciantur. Eidem pœnæ ſubijcere oportet qui vrſas, aut*

ſimiles

Digitized by Google

ſimilis beſtias ad luſum, & perniciem ſimpliciorum circumferunt, & eos, qui fortunam, fatum, genealogiam, aut ſimilium verborum turbam ad nugas deceptorias obloquuntur: eoſque, qui nubes fugare dicuntur, & imprecatores, & Amuletarios, & Vates. In his autem perſeuerantes, nec mutantes ſententiam, nec fugientes hæc pernicioſa, & Ethnica inſtituta omnino eijciendos ab Eccleſia Definimus, ſicut Sacri Canones dicunt. Nam quæ luci cum tenebris communio? aut quæ concordia Chriſti, & Belial?

Ex Concilio Laodiceno.

Canone 34. N*On oportet Miniſtros Altaris Magos, aut Incantatores eſſe. Hos autem, qui talibus rebus vtuntur, proijci ab Eccleſia iuſſimus.*

Ex Concilio Tridentino.

In Regulis Indicis.

Regula 9. L*ibri omnes et ſcripta Geomantiæ, Hydromantiæ, Aeromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, ſiue in quibus continentur Sortilegia, Veneficia, Auguria, Auſpicia, Incantationes artis magicæ prorſus reijciuntur.*

Epiſcopi verò diligenter prouideant, ne Aſtrologiæ iudiciariæ libri, tractatus, indices, legantur, vel habeantur, qui de futuris contingentibus, ſucceſſibus, fortuitiſuè caſibus, aut ijs actionibus, quæ ab humana voluntate pendent, certò aliquid euenturum affirmare audent.

Permittuntur autem Iudicia, et naturales obſeruationes, quæ nauigationis, Agriculturæ, ſiue medicæ artis iuuandæ gratia conſcripta ſunt.

DIVI-

Digitized by Google

DIVINATIONES
DAMNATÆ
Ex ſacris Canonibus.

In Decreto Gratiani ſecunda parte Cauſa XXVI. Quæſtio V.

Cap. I.

SI quis Ariolos, Aruſpices, vel Incantatores obſeruauerit, aut Phylacterijs vſus fuerit; anathema ſit.

Cap. II.

QVi diuinationes expetunt, & morem gentilium ſubſequuntur, vel in domos ſuas huiuſmodi homines introducunt, exquirendi aliquid arte malefica, aut expiandi cauſa; ſub regula quinquenis iaceat, ſecundum gradus pænitentiæ definitos, &c.

Cap. III.

NOn liceat Chriſtianis tenere traditiones gentilium, & obſeruare, vel colere Elementa, vel Lunæ, aut ſtellarum curſus, aut inanem ſignorum fallaciam pro domo facienda, aut propter ſegetes, vel arbores plantandas, vel coniugia ſocianda. Scriptum eſt enim (Omnia quæ facitis aut in verbo, aut in opere; omnia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti facite; gratias agens Deo.) Nec in collectionibus herbarum, quæ medicinales ſunt, aliquas obſeruationes, aut incantationes liceat attendere: niſi tantum cum ſymbolo diuino, aut oratione Dominica, vt tantum Deus creator omnium, & Dominus honoretur. Si quis autem paganorum conſuetudinem ſequens, diuinos, & ſortilegos in domum ſuam introduxerit, quaſi vt malum foras mittant, aut maleficia inueniant, vel luſtraciones paganorum faciant; quinque annis poenitentiam agant. Mulieribus quoque Chriſtianis non liceat niſi in ſuis lanificijs vanitatem obſeruare: Sed Deum inuocent adiutorem, qui eis ſapientiam texendi donauit.

Cap. IV.

NOn oportet ſacris officijs deditos, vel Clericos, Magos, aut Incantatores exiſtere, aut facere phylacteria, quæ animarum ſuarum vincula comprobantur. Eos autem, qui talibus rebus vtuntur proijci ab Eccleſia iuſſimus.

Digitized by Google

Cap. V.

SI quis Epiſcopus, aut Presbiter, ſiue Diaconus, vel quilibet ex ordine Clericorum, Magos, aut Aruſpices, aut Incantatores, aut Ariolos, aut certè augures, vel ſortilegos, vel qui profitentur artem magicam, aut aliquos eorum ſimilia exercentes conſuluiſſe fuerit deprehenſus; ab honore dignitatis ſuæ ſuſpenſus, monaſterij curam ſuſcipiat, ibique pænitentiæ perpetuæ deditus, ſcelus admiſſum ſacrilegij ſoluat.

Cap. VI.

ALiquanti Clerici, ſiue laici ſtudēt augurijs, & ſub nomine fictè religionis per eas, quas Sanctorum ſortes vocant, diuinationis ſcientiam profitentur: aut quarumcumq. ſcripturam inſpectione futura promittunt. Hæc quicumq. Clericus, aut Laicus detectus fuerit, vel conſulere, vel docere, ab Eccleſia habeatur extraneus.

Cap. VII.

SOrtes, quibus cuncta vos in veſtris diſcriminatis iudicijs (quod patres dānauerunt) nihil aliud, quā diuinationes, & maleficia eſſe decernimus. Quamobrem volumus illas omnino damnari, & inter Chriſtianos vltra nolumus nominari; & ne exerceantur ſub anathematis interdicto prohibemus.

Cap. VIII.

PEruenit ad nos, quod quoſdam incantatores, atq. ſortilegos, fueris inſecutus: & omnino nobis ſolicitudinem, zelumq. tuum gratum fuiſſe cognoſcas, & infra. Et ideo ſtudij tui ſit ſolicitè quærere, & quoſcumq. huiuſmodi Chriſti inimicos inueneris, diſtricta vltione corrigere.

Cap. IX.

SI quis Clericus, Monacus, vel Sæcularis, diuinationem, vel auguria crediderit obſeruanda, vel ſortes, quas metiuntur eſſe Sanctorum, quibuſcumque putauerint intimandas; cum his, qui eis crediderint, ab Eccleſia comunione pellantur.

Cap. X.

COntra Idolorum cultores, vel aruſpices, atque ſortilegos, Fraternitatem veſtram vehementius paſtorali hortamur, inuigilare cuſtodia, atque publicè in populo contra huius rei viros ſermonem facere, eoſque à tanti labe ſacrilegij, & diuini intentione iudicij, & præſentis vitæ periculo adhortatione ſuaſoria reuocare. Quos tamen ſi emendare ſe à talibus, atque corrigere nolle repereris feruenti comprehendere zelo te volumus: & ſi quidem ſerui ſunt verberibus, cruciatibuſque, quibus ad emendationem peruenire valeant, caſtigare: ſi vero ſunt liberi, incluſione digna, diſtrictaq. ſunt in pænitentiam redigendi; vt qui ſalubria, & à mortis periculo reuocantia audire verba, contemnunt, cruciatus ſaltem eos corporis ad deſideratam mentis valeat reducere ſanitatem.

Cap. XI.

Cap. XI.

AVgurijs, vel incantationibus ſeruientem, ſimiliter & Iudaicis ſuperſtitionibus, vel ferijs inhærentem, à Conuentu Eccleſiæ ſeparandum (præcipimus.)

Cap. XII.

EPiſcopi, eorumque miniſtris omnibus modis celebrare ſtudeant, vt pernicioſam, & à diabolo inuentam ſortilegam, et magicam artem ex parochijs ſuis penitus eradicent: et ſi aliquem virum, aut mulierem huiuſcemodi ſceleris ſectatorem inuenerint; turpiter dehoneſtatum de parochijs ſuis eijciant. Ait enim Apoſtolus (Hæreticum hominem poſt primam, et ſecundam correptionem deuita ſciens, quia ſubuerſus eſt, qui huiuſmodi eſt.) Subuerſi ſunt, et à diabolo captiui tenentur, qui relicto creatore ſuo diaboli ſuffragia quærunt: et ideo à tali peſte debet mundari ſancta Eccleſia. Illud etiam non eſt committendum, quod quædam ſceleratæ mulieres retro poſt Satanam conuerſæ dæmonum illuſionibus, et phantaſmatibus deductæ credunt, et profitentur ſe, nocturnis horis cum Diana Dea paganorum, vel cum Herodiade, et innumera multitudine mulierum equitare ſuper quaſdam beſtias, et multarum terrarum ſpatia intempeſtæ noctis ſilentio pertranſire, eiuſq. iuſſionibus velut dominæ obedire, et certis noctibus ad eius ſeruitium euocari. Sed vtinam hæ ſolæ in perfidia ſua periſſent, et non multos ſecum ad infidelitatis interitum pertraxiſſent. Nam innumera multitudo, hac falſa opinione decepta, hæc vera eſſe credunt, et credendo à recta fide deuiant, et errore paganorum inuoluuntur, cum aliquid diuinitatis, aut numinis extra vnum Deum arbitrantur. Quapropter Sacerdotes per Eccleſias ſibi cõmiſſas populo Dei omni inſtantia prædicare debent, vt nouerint hæc omnino falſa eſſe, et non à diuino, ſed à maligno ſpiritu talia phantaſmata mentibus fidelium irrogari. Siquidem ipſe Satanas, qui transfigurat ſe in Angelum lucis, cum mente cuiuſcumque muliercul æ ceperit, et hanc ſibi per infidelitatem ſubiugauerit; illico transformat ſe in diuerſarum ſpecies perſonarum, atque ſimilitudines: et mentem, quam captiuã tenet, in ſomnis deludens, modo læta, modo triſtia, modo cognitas, modo incognitas perſonas oſtendens per deuia quæq. deducit: et cum ſolus ſpiritus hoc patitur, infidelis mẽs hoc nõ in animo, ſed in corpore euenire opinatur. Quis enim nõ in ſomnijs, et nocturnis viſionibus extra ſe educitur, et multa videt dormiendo, quam numquam viderat vigilando? Quis vero tam ſtultus, et hebes ſit, qui hæc omnia, quæ in ſolo ſpiritu fiunt, etiam in corpore accidere arbitretur? cum Ezechiel Propheta viones Domini in ſpiritu, non in corpore vidit? Et Ioannes Apoſtolus Apocaliſſis Sacramentum in ſpiritu, non in corpore vidit, et audiuit, ſicut ipſe dicit? (ſtatim, inquit, fui in ſpiritu.) Et Paulus non audet dicere ſe raptum in corpore. Omnibus itaque publicè annunciandum eſt, quod qui talia, et his ſimilia credit, fidem perdit: Et qui fidem rectam in Domino non habet, hic non eſt eius, ſed illius in

quem credit, ideſt Diaboli. Nam de Domino noſtro ſcriptum eſt (omnia per ipſum facta ſunt, &c.) Quiſquis ergo aliquid credit poſſe fieri, aut aliquam creaturam in melius, aut in deterius immutari, aut transformari in aliam ſpeciem, vel ſimilitudinem, niſi ab ipſo Creatore, qui omnia fecit, & per quem omnia facta ſunt; proculdubio infidelis eſt, & pagano deterior.

Cap. XIII.

QVicumque Sacerdotum, vel miniſtrorum deinceps cauſa cuiuslibet doloris, vel amaritudinis permotus, aut altare diuinum veſtibus ſacris exuere præſumpſerit, aut qualibet alia lugubri veſte accinxerit, ſeu etiam, ſi conſueta luminariorum ſacrorum obſequia de templo Dei ſubtraxerit, & extengui præceperit; ſi eum antea veræ pœnitudinis coram Metropolitano ſatisfactio non purgauerit; ignobilitati perpetuæ mancipatus iuxta ſuperiorem ſententiam Domini, loci ſui dignitate ſe nouerit, & honore priuari: illis proculdubio perſonis ab hac vltionum ſententia ſeparatis, quæ aut contaminationem ſacrorum ordinum, vel ſubuerſione ſanctæ fidei metuentes, aut hoſtilitatem, vel obſidionem perferentes, ſeu etiam diuinorum iudiciorum ſententiam metuentes talia feciſse contigerit: in quorum facto plus humilitas, qua Deus placatur, quam interni liuoris doloſitas declaratur. Plerique etiam ſacerdotum ſauciati inimicitiæ dolo Miſſam pro requie Defunctorum promulgatam fallaci voto pro viuis ſtudent celebrare hominibus non ob aliud, niſi, vt is, pro quo ipſum offertur ſacrificium, ipſius ſacroſancti libaminis interuentu mortis incurrat periculum. Proinde noſtræ eligit vnanimitatis conuentus, vt ſi quis deinceps talia perpetraſſe fuerit detectus, à proprij deponatur ordinis gradu, & tam ipſe ſacerdos quam etiam ille, qui eum ad talia peragenda incitaſſe perpenditur, exilij perpetui ergaſtulo religentur.

Cap. XIV.

NEc mirum de Magorum præſtigijs quorum in tantum prodiere maleficiorum artes, vt etiam Moyſi ſimilis ſignis reſiſterent, vertentes virgas in dracones, & aquas in ſanguinem. Fertur etiam in gentilium libris quod quædam Maga famoſiſsima Circe ſocios Vlyſſis mutauerit in beſtias. Legitur & de ſacrificio, quod Arcades Deo ſuo Lyceo immolabant, ex quo quicunque ſumerent, in beſtiarum formas conuertebantur. Sed hæc omnia magicis præſtigijs potius fingebantur, quam rerum veritate complerentur. Vt ipſi errores ignorantibus manifeſti fiant; de eorum proprietate, atque inuentoribus iuxta tradictionem maiorum primum dicere congruum arbitramur. Magi ſunt, qui vulgo malefici ob facinorum magnitudinem nuncupantur.

Ex Synodo Quini ſexta.

Can. 61.

QVi ſe Vatibus præbent, & Centurionibus, vt ab illis diſcant, ſi quid ſibi reuelari velint, ſecundum ea, quæ à Patribus definita ſunt, ſub Canonem ſexennalis pœnitentiæ cadant. Eidem pænæ obnoxij ſint, qui vrſos trahunt, & fortunam, & fatum, & genealogiam ex veterum errore loquuntur. Eos qui nubes fugant, Magos, Æmuletarios, et Vates eodem modo caſtigamus.

Ex Concilio Toletano.

Primo.

IN regula fidei errat, ſi quis Aſtrologiæ, vel Matheſi exiſtimat eſſe credendum.

Digitized by Google

DIVINATIONES DAMNATÆ

Ex Bullis Pontificijs.

IOANNIS XXII.

BVLLA.

SVper illius ſpecula, quamuis immeriti, eius fauente clementia, qui primum hominem humani quidem generis protoplaſti, terrenis prælatum, diuinis virtutibus adornatum, conformem, & conſimilem imagini ſuæ fecit, reuocauit profugum legem dando, ac demum liberauit captiuum, reinuenit perditum, & redemit venditum, merito ſuæ paſſionis, vt contemplaremur ex illa ſuper filios hominum, qui Chriſtianæ Religionis cultu Deum intelligunt, & requirunt: dolenter aduertimus, quod etiam cum noſtrorum turbatione viſcerum cogitamus, quamplures eſſe ſolo nomine Chriſtianos, qui relicto primo veritatis lumine, tanta erroris caligine obnubilantur, quod cum morte fœdus ineunt, & pactum faciunt cum inferno: dæmonibus namque immolant: hos adorant: fabricant, ac fabricari procurant imagines: annulum vel ſpeculum, vel phialam, vel rem quamcumque aliam magice ad dæmones inibi alliganaos, ab his petunt reſponſa, ab his recipiunt, & pro implendis prauis ſuis deſiderijs auxilia poſtulant, pro re fœtidiſſima fœtidam exhibent ſeruitutem, (proh dolor) huiuſmodi morbus peſtifer, nunc per mundum ſolito amplius conualeſcens, ſucceſſiue grauius inficit CHRISTI gregem.

§. 1. *Cum igitur ex debito ſuſcepti paſtoralis officij, oues oberrantes per deuia, teneamur ad caulas CHRISTI reducere, & excludere à grege Dominico morbidas, ne alias corrumpant hoc edicto in perpetuum valituro, de conſilio fratrum noſtrorum, monemus omnes, & ſingulos renatos fonte baptiſmatis, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione anathematis, præcipientes eiſdem, quod nullus ipſorum, aliquid de peruerſis dictis dogmatibus docere, ac addiſcere audeat: vel, quod execrabilius eſt, quomodolibet alio modo, in aliquo illis vti. Et quia dignum eſt, quod hi, qui pro ſua opera peruerſa ſpernunt Altiſsimum, pœnis ſuis pro culpis debitis percellantur.*

§. 2. *Nos in omnes, & ſingulos, qui contra noſtra ſaluberrima monita, & mandata facere de prædictis quicquam præſumpſerint, excommunicationis ſententiam promulgamus, quam ipſos incurrere volumus ipſo facto. Statuentes firmiter, quod præter pœnas prædictas, contra tales, qui admoniti de prædictis, ſeu prædictorum aliquo*

infra octo dies à monitione computandos præfata à præfatis non ſe correxerint ad infligendas pœnas omnes, & ſingulas, præter bonorum confiſcationem dumtaxat, quas de iure merentur hæretici, per ſuos competentes iudices procedatur.

§. 3. *Verum cum ſit expediens, quod ad hæc tam nefanda omnis via, omniſque occaſio præcludantur, de dictorum noſtrorum fratrum conſilio, vniuerſis præcipimus, & mandamus, quod nullus eorum libellos, ſcripturas quaſcumque ex præfatis damnatis erroribus quicquam continentes, habere, aut tenere, vel in ipſis ſtudere præſumat, quin potius volumus, & in virtute ſanctæ obedientiæ cunctis præcipimus, quod quicumque de ſcripturis præfactis, vel libellis quicquam habuerit, infra octo dierum ſpatium ab huiuſmodi edicti noſtri notitia computandum, totum, & in toto, & in qualibet ſui parte abolere, & comburere teneantur: alioquin volumus, quod incurrant ſententiam excomunicationis ipſo facto, proceſſuri contra contemptores huiuſmodi (cum conſtiterit) ad pœnas alias grauiores.*

Datum Auinione, &c.

INNOCENTII VIII. BVLLA.

S*Vmmis deſiderante affectibus, prout Paſtoralis ſolicitudinis cura requirit, vt fides Catholica noſtris potiſſime temporibus vbique augeatur, & floreat, ac omnis hæretica prauitas de finibus fidelium procul pellatur, ea libenter declaramus, ac etiam de nouo concedimus perque huiuſmodi pium deſiderium noſtrum votiuum ſortiatur effectum, cunctiſque propterea per noſtræ operationis miniſterium, quaſi per prouidi operatoris ſarculum erroribus extirpatis, eiuſdem fidei zelus, & obſeruantia in ipſorum corda fidelium fortius imprimatur.*

§. 1. *Sanè nuper ad noſtrum non ſine ingenti moleſtia peruenit auditum, quod non nullis partibus Alemaniæ ſuperioris, nec non in Maguntinen. Colonien. Treueren. Saltzumburgen. & Bremen. Prouincijs, Ciuitatibus, Terris, Locis, & Diæceſibus, complures vtriuſque ſexus perſonæ, propriæ ſalutis immemores, & à fide Catholica deuiantes, cum dæmonibus incubis, & ſuccubis abuti, ac ſuis incantationibus, carminibus, & coniurationibus, alijſque nefandis, ſuperſtitioſis, & ſortilegis exceſſibus, criminibus, & delictis mulierum partus, animalium fœtus, terræ fruges, vinearum vuas, & arborum fructus, nec non homines, mulieres, pecora pecudes, & alia diuerſorum genera animalia, vineas quoque, pomeria, prata paſcua, blada, frumenta, & alia terræ legumina perire, ſuffocari, & extingui facere, & procurare; ipſoſque homines, mulieres, iumenta, pecora, pecudes, & animalia, diris tam intrinſecis, quam extrinſecis doloribus, & tormentis afficere, & excruciare, ac eoſdem homines ne gignere, & mulieres ne concipere, viroſque ne vxoribus, & mulieres ne viri actus coniugales reddere valeant, impedire: fidem præterea ipſam, quam in ſacri ſuſceptione baptiſmi ſuſceperunt ore ſacrilego abnegare; aliaque quam plurima nefanda*

Digitized by Google

ſanda exceſſus, & crimina inſtigante humani generis inimico, committere, & perpetrare non venerunt in animarum ſuarum periculum, diuinæ Maieſtatis offenſam, ac pernitioſum exemplum, ac ſcandalum plurimorum. Quodq. licet dilecti filij Henrici Inſtitoris, in prædictis partibus Alemaniæ ſuperioris in quibus etiam Prouinciæ, Ciuitates, Terræ, Dioeceſes, & alia loca huiuſmodi comprehenſa fore cenſentur, nec non Iacobus Sprenger, per certas partes lineæ Rheni, Ordinis Prædicatorum, & Theologiæ profeſſores, hæreticæ prauitatis Inquiſitores per literas Apoſtolicas deputati fuerunt, prout adhuc exiſtunt; tamen nonnulli Clerici, & Laici illarum partium, quærentes plura ſapere quam oporteat, pro eo quod in literis deputationis huiuſmodi Prouinciæ, Ciuitates, Dioeceſes, Terræ, & alia loca prædicta, illarumque perſonæ, ac exceſſus huiuſmodi nominatim, & ſpecificè expreſſa non fuerunt, illa ſub eiſdem partibus minimè contineri, & propterea præfatis Inquiſitoribus in Prouincijs, Ciuitatibus, Dioeceſibus, Terris, & locis prædictis huiuſmodi Inquiſitionis officium exequi non licere, & ad perſonarum earundem ſuperexceſſibus, & criminibus antedictis, punitionem, incarcerationem, & correctionem admitti non debere, pertinaciter aſſerere non erubeſcunt. Propter quod in Prouincijs, Ciuitatibus, Dioeceſibus, terris, & locis prædictis, exceſſus, & crimina huiuſmodi, non ſine animarum earumdem iactura euidenti, & æternæ ſalutis diſpendio remanent impunita.

§. 2. Nos igitur impedimenta quælibet, perque ipſorum Inquiſitorum officij executio, quomodolibet retardari poſſet, de medio ſubmouere, & ne labes hæreticæ prauitatis, aliorumq. exceſſuum huiuſmodi in perniciem aliorum innocentium ſua venena diffundat, opportunis remedijs prout noſtro incumbit officio, prouidere volentes, fidei zelo, ad hoc maximè nos impellente, ne propterea contingat, Prouincias, Ciuitates, Dioeceſes, terras, & loca prædicta ſub eiſdem partibus Alemaniæ ſuperioris debito Inquiſitionis officio carere, eiſdem Inquiſitoribus in illis officium Inquiſitionis huiuſmodi exequi licere, & ad perſonarum earumdem ſuper exceſsibus, & criminibus prædictis correctionem, incarcerationem, & punitionem admitti debere, perinde in omnibus, & per omnia, ac ſi in literis prædictis Prouinciæ, Ciuitates, Dioeceſes, terræ, & loca, ac perſonæ, & exceſſus eiuſmodi, nominatim, & ſpecificè expreſſa forent, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ſtatuimus. Proq. potiori cautela literas, & deputationem prædictas ad Prouincias, Ciuitates, Dioeceſes, terras, & loca, nec non perſonas, & crimina huiuſmodi extendentes, præfatis Inquiſitoribus, quod ipſi, & alter eorum accerſito ſecum dilecto filio, Ioanne Gremper Clerico Conſtant. Dioeceſis Magiſtro in artibus eorum moderno, ſeu quouis alio Notario publico, & per ipſos, & quemlibet eorum pro tempore deputando in Prouincijs, Ciuitatibus, Dioeceſibus, terris, & locis prædictis contra quaſcumque perſonas cuiuſcumque conditionis, & præeminentiæ fuerint huiuſmodi Inquiſitionis officium exequi, ipſaſque perſonas, quas in præmiſsis culpabiles reperierint iuxta earum demerita corrigere, incarcerare, punire, & mulctare.

§. 3. Nec nos in ſingulis prouinciarum huiuſmodi Parochialibus Eccleſijs, verbum Dei fideli populo quotiens expedierit, ac eis viſum fuerit, proponere, & prædicare, omniaq. alia, & ſingula in præmiſsis, & circa ea neceſſaria, & opportuna facere, & ſimiliter

ſimiliter

ſimiliter exequi liberè, & licitè valeant, plenam ac liberam eadem auctoritate de nouo concedimus facultatem.

§.4. *Et nihilominus fratri noſtro Epiſcopo Venerabili Argentinenſi, per Apoſtolica ſcripta mandamus; quatenus ipſe per ſe, vel per alium, ſeù alios præmiſſa, vbi, quando, & quotiens expedire cognouerit, fueritque pro parte Inquiſitorum huiuſmodi ſeu alterius eorum legitimè requiſitus, ſolemniter publicans, non permittat eos per quoſcumque ſuper hoc contra prædictarum, & præſentium literarum tenorem, quauis auctoritate moleſtari ſeu alias quomodolibet impediri: moleſtatores, & impedientes, & contradictores quoslibet, & rebelles cuiuſcumque dignitatis ſtatus, gradus præeminentiæ, nobilitatis, & excellentiæ, aut conditionis fuerint, & quicumque exemptionis priuilegio ſint muniti, per excomunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, ac alias etiam formidabiliores, (de quibus ſibi videbitur) ſententias, cenſuras, & pœnas, omni appellatione poſpoſita, compeſcendo, & etiam legitimis ſuper his per eum ſeruandis proceſſibus, ſententias ipſas (quotiens opus fuerit) aggrauare, & reaggrauare auctoritate noſtra procuret, inuocato ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachij ſæcularis.*

§.5. *Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, contrarijs quibuſcumque &c.*

Nulli ergo &c. Si quis &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo quadringenteſimo octuageſimo quarto, Nonas Decemb. Pont. Sui Anno primo.

LEONIS X.

PARAGRAPHVS.

§.41. *ET cum ſecundum leges ciuiles, & ſacrorum canonum cenſuras, ſortilegia per inuocationem dæmonum, incantationes, ac diuinationes, ſuperſtitioneſque prohibitæ ſint; ſtatuimus decernimus, & ordinamus, vt Clerici, qui in præmiſſis culpabiles inuenti fuerint, arbitrio Superiorum infamia notentur, ſi verò non deſtiterint, deponantur atque in Monaſterium ad tempus arbitrio Superioris præfiniendum detrudantur beneficijſque, & officijs Eccleſiaſticis priuentur. Laici vero vtriuſque ſexus, excommunicationis, & alijs pœnis iuris, tam ciuilis, quam canonici ſubiaceant.*

EIVSDEM

BVLLA.

HOneſtis petentium votis libenter annuimus, eaque fauoribus proſequimur opportuni. Alias ad petitionem dilectorum filiorum nobilium virorum Ducis, & Dominij Venetorum cum in Brixienſi, & Bergomenſi, Ciuitatibus, & Diœceſibus, quoddam hominum genus pernicioſiſſimum, & damnatiſſimum labe hæretica, perquam ſuſcepto renunciabatur Baptiſmi Sacramento, Dominum abnegabant, & Satanæ cuius conſilio ſeducebantur, corpora, & animas conferebant, & vt illi rem gratam facerent, in necandis infantibus paſsim ſtudebant, & alia maleficia, & ſortilegia, exercere non verebantur, quod ita factum eſſe videbatur, vt ad eorum errorem extirpandum, oportuna adhiberentur remedia. Volentes etiam eiuſdem generis nonnullos indicibili pœna obſtinatè vitam potius perfidè ammittere, quam errorem ſuum cognoſcere maluiſſe, & propterea de rigoroſo nimium (vt dicebatur) veſtri ordinariorum contra tales proceſſus dubitantes, Venerabilem fratrem Epiſcopum Polenſem, noſtrum, & Apoſtolicæ Sedis apud eoſdem Duces, & Dominum Nuncium vobis adiungendum duximus, cum facultate per ſe, vel alium, ſeu alios proceſſus per vos habitos, ſeu factos, examinandi, & reuidendi: & ſi vos Inquiſitores proceſſus prædictos, ritè, & rectè, ac iuxta formam iuris habitos feciſſetis, contra tale hominum damnatorum genus vna vobiſcum, procedendi, & inquirendi, ne non Procuratores, & Aduocatos, Scribas, cæteroſque ad Inquiſitionis præfatæ exercitium neceſſarios, & opportunos Officiales, & Miniſtros cum competentibus ſalarijs deputandis, & homines prædictos (quod redire ad Eccleſiæ vnitatem vellent) clementer ſuſcipiendi, eiſque pœnitentiam ſalutarem iniungendi, & eos abſoluendi, etiam in vtroque foro, & incorrigibiles condemnandi, & brachio ſæculari tradendi, cæteraque q. vos, de iure, vel conſuetudine facere poſſetis, & deberetis, faciendi, gerendi, exercendi, & exequendi prout in literis deſuper confectis continetur.

§.1. *Cum igitur commiſsionis huiuſmodi vigore præfatus Nuntius, Venerabilem Fratrem Epiſcopum Iuſtinopolitanum in partibus illis commorantem, ad præmiſſa vna vobiſcum pertractanda, & exequenda ſubdelegauerint, voſque, & ipſe ſubdelegatus in valle Comunica Brixienſis Diœceſis, vbi maxime huiuſmodi damnati generis homines vigent, & pullulant proceſſeritis, ac nonnullos culpabiles repertos, & curiæ ſæculari tradendos, nec non iam condemnatos habueritis, videtur, quod per Venetorum Collegium Prætori Brixienſi mandatum fuerit ne ſententias huiuſmodi exequeretur, & vobis, & eidem ſubdelegato; ne ad executionem*

illarum

illarum procederetis inhiberet, prout inhibitum fuit: ac expenſas, & ſalaria pro huiuſmodi inquiſitionis negotio neceſſaria ſubmoueret, & detraheret: nec non proceſſus contra culpabiles prædictos habitos, & factos eis tranſmitteret, ſeu tranſmitti faceret: &, quod deterius eſt, ſubdelegatum prædictum ad coram eis in Ciuitate Venetiarum comparendum cogeret, & compelleret prout coactus, & compulſus fuit.

§.2. *Et quia propter dictas literas, in quibus dictus Nuncius adiunctus fuit, ab aliquibus hæſitatur, an propter hoc facultas veſtra diminuta exiſtat, ita quod prout ante datas huiuſmodi literas potuiſſetis, procedere non poſſitis, indecenſque & contra iuris, & ſacrorum canonum diſpoſitionem, ac Eccleſiaſticam libertatem exiſtat, laicos de perſonis, & cauſis Eccleſiaſticis ſe intromittere, nolleque iniunctam à vobis executionem adimplere, niſi proceſſibus, ac ſententijs per eos viſis, & examinatis, ac ſi ipſi in Clericos, cauſaſque Eccleſiaſticas ſuperioritatem, & iuriſdictionem haberent, cum tamen in Clericos, cauſaſque huiuſmodi Laicis nulla facultas attributa ſit, quos obſequendi, & exequendi manet neceſsitas, non auctoritas imperandi, propter quod inter Chriſtifideles non modicum ſurgit ſcandalum. Nos igitur, ne quod ad ſalutem animarum, & dictarum cauſarum faciliorem expeditionem introductum eſt, in damnum, & perniciem conuertatur, & propterea ob diuturnitatem temporis infelices animæ huiuſmodi peccatis magis grauentur, & ad hoc circa omne dubium tollendum, vos prout ante datas dictas literas, de iure, & conſuetudine, ſeu priuilegis procedere poteratis, nec non etiam contra maleficos, & ſortilegos, ac à fide apoſtatantes, prout criminis poſtulauerit qualitas, procedere poſſe, & debere, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium decernimus, & declaramus.*

§.3. *Vobis committentes, & mandantes vt eoſdem Venetos, & illorum Ducen., ac officiales ſuos ne ipſi vlterius in huiuſmodi cauſis ſe intromittant, ſed quod iniunctas ſibi executiones, & forte iniungendas, poſtquam requiſiti fuerint, ſine aliqua proceſſuum, per dictos Eccleſiaſticos Iudices factorum, viſione vel examinatione prompte exequantur, moneatis, & hortemini, & ſi hoc facere neglexerint vel recuſauerint, vos eos per cenſuras eccleſiaſticas, & alia iuris opportuna remedia, appellatione propoſita compellatis.*

§.4. *Præmiſsis ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutiſq. & conſuetudinibus, Ciuitatum, & Dioeceſum prædictarum iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate aliqua roboratis, cæteriſque contrarijs non obſtantibus quibuſcunque.*

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris die decimoquinto Februarij, milleſimo quingenteſimo vigeſimo primo, Pont. noſtri Anno Octauo.

HADRIANI VI.

BVLLA.

§.1. DVdum, vti nobis exponi fecisti, per fel. rec. Iulium Papam II. prædeceſſorum noſtrorum, non ſine magna tunc animi ſui diſplicentia accepto, quod per quendam Georgium de Caſali, Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorē, & in Ciuitate Cræmonenſi hæreticæ prauitatis Inquiſitorem deputatum in nonnullis Lombardiæ partibus, & præſertim in locis in quibus dictus Georgius Inquiſitor deputatus erat repertæ fuerunt quamplures vtriuſque ſexus perſonæ, propriè ſalutis immemores, & à Fide Catholica deuiantes certam ſectam facientes; fidem, quam in ſacri ſuſceptione Baptiſmi ſuſceperant abnegantes, Sanctam Crucem pedibus conculcantes, & obrobria ſuper eam perpetrātes, Eccleſiaſticis, & præſertim Euchariſtiæ Sacramentis abutentes, diabolum in ſuum dominum, & patronum aſſumentes, eique obedientiam, & reuerentiam exhibentes, & ſuis incantationibus, carminibus, ſortilegijs, alijſque nefandis ſuperſtitionibus iumenta, & fructus terræ multipliciter lædentes, aliaque quamplurima nefanda, exceſſus, & crimina eodem diabolo inſtigante committentes, & perpetrantes, in animarum ſuarum periculum, Diuinæ Maieſtatis offenſam perniciosumquè exemplum, & ſcandalum plurimorum.

§.2. Contra quas cum dictus Georgius tunc, vt aſſerebat, in dictis locis ſuæ Inquiſitioni deputatis, prout ipſius Georgij incumbebat officio, ipſe Georgius proceſſiſſet; nonnulli autem tam Clerici, quam Laici illarum partium, quærentes plures ſapere quam oportet, præmiſſa delicta ad eiuſdem Georgij Inquiſitoris Officium non pertinere temere aſſerentes, præſumentes in populo errores, & ſcāndala ſeminauerunt ſicque eundem Georgium in populo odióſum reddere, & dicti Georgij officium impedire conat, fuerunt prout etiam tum impediebant, ita quod propter præmiſſa, perſonæ prædictæ delicta huiuſmodi perpetrantes remanebant impunitæ, & aliæ eorum exemplo ad ſimilia perpetranda quotidie inducebantur, in non modicum fidei obróbrium, animarum periculum, & ſcandalum plurimorum.

§.3. Dictus prædeceſſor volens (ne Inquiſitionis Officij executio quomodolibet retardaretur, & labes hæreticæ prauitatis longe venena diffunderet) prouidere, dicto Georgio per quaſdam ſuas in forma breuis literas commiſit, & mandauit quatenus in locis eiuſdem Georgij Inquiſitioni deputatis de exceſſibus huiuſmodi cognoſcere, & contra quaſcunque perſonas, cuiuſcumque conditionis, & præheminentiæ forent Inquiſitionis Officium exercere, & exequi, ipſaſque perſonas, quas in præmiſsis culpabiles reperiret, vna cum locorum Ordinariorum Vicarijs, quatenus voluiſſent intereſſe, iuxta dictarum perſonarum demerita corrigere, & punire deberet, ſecundum modum contra alios hæreticos à iure ex Sacris Canonibus ſtatutū contradictores quoſcunque per cenſuram Eccleſiaſticam, & alias iuris opportuna remedia compeſcendo. Eos vero qui in præmiſsis conſilium auxilium, vel fauorem præſtarent, præfatus præde-

Digitized by Google

prædeceſſor noſter, eiſdem indulgentijs vti, & gaudere decreuit, quibus Cruceſignati contra hæreticos alios, & indulto Apoſtolico eis conceſſo, tunc gaudebant, & vtebantur, prout in dictis literis plenius contineri dicitur.

§.4. Et ſicut eadem expoſitio ſubiungebat, non ſolum delicta, & crimina huiuſmodi contra Fidem Catholicam, & Chriſtianam religionem, ſub iuriſdictione Inquiſitionis Cremonenſis committuntur, & perpetrantur, ſed omnibus alijs locis, & Diœceſibus, ſub Iuriſdictione aliorum Inquiſitorum, dicti Ordinis Congregationis Lombardiæ, in dies perpetrantur, & committuntur. Et cum eadem ſint delicta, eadem profecto prouiſione, & caſtigatione eis è earundem literarum tenore prouidendum. Quare tu, ſicut aſſeris, in Ciuitate Comenſi vbi dictæ prauitatis Inquiſitor exiſtis, tam tuo, quam omnium aliorum dictorum Ordinis, & Congregationis hæreticè prauitatis Inquiſitórum vbilibet conſiſtentium, & deputatorum, nominibus feciſti nobis humiliter ſupplicari, & literas prædictas ad vos extendere, & ampliare, aliaſque deſuper opportunè dignaremur prouidere.

§.5. Nos igitur huiuſmodi ſupplicationi inclinati, literas prædictas cum omnibus in eis contentis clauſulis, in omnibus, & per omnia prout in eiſdem literis continetur, ad te, & ad alios, Ordinis, & Congregationis huiuſmodi Inquiſitores, tam in præſentiarum deputatos, tam in futurum perpetuis futuris temporibus deputandos, ac ſi tibi, & cuilibet Inquiſitorum prædictorum dirigerentur, & directæ fuiſſent, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium extendimus. ipſaſque literas tibi, & illis, vt præmittitur, eiſdem auctoritate, & tenore concedimus.

§.6. Non obſtantibus illis quæ idem Iulius prædeceſſor voluit non obſtare cæteriſque contrarijs quibuſcumque.

§.7. Et quià difficile foret, præſentes literas, ad ſingula loca in quibus de eis fides forſan fuerit facienda deferre volumus, & Apoſtolica auctoritate decreuimus, quod ipſarum tranſumptis, manu cuiuſcunque Notarij publici ſubſcriptis, & Sigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, in iudicio, & alibi vbi opus fuerit, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhibetur eiſdem præſentibus ſi forent exibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub Annulo Piſcatoris die 20. Iulij, 1522. Pont. Noſtrì Anno primo.

SIXTI V.

SIXTI V.

BVLLA.

COEli, & terræ Creator Deus, quem vnum Omnipotentem corde credimus ad iu-
ſtitiam,& ore confitemur ad ſalutem, & ſi homini, qaem ad imaginem, & ſi-
militudinem ſuam creauit, mentem dederit, quæ non ſolum diuino fidei lumine illu-
ſtrata, myſteria illa cognoſceret, quæ humanam intelligentiam ſuperant, ſed etiam
naturæ ſuæ vi, magno licet cum labore, præclara multa inueſtigaret, atque intellige-
ret, tamen vt ſuperbum animal homo non altum ſaperet, ſed timeret, & immenſam
Conditoris ſui maieſtatem humi ſtratus veneraret, ſibi ſoli eorumque euentura ſunt;
ſcientiam, & futurarum rerum cognitionem reſeruauit. Solus enim ipſe, cuius ocu-
lis omnia nuda, & aperta ſunt, & ad intimas hominum cogitationes penetrat, &
conſequentes eorum actiones intuetur, ſolus ipſe, qui vocat ea quæ non ſunt,
tamquam ea quæ ſunt, omnia præſentia, & ante oculos habet poſita, ſolus de-
nique omnia, & ſingula quæcumque totius temporis decurſu, & ſæculorum æta-
tibus futura ſunt, ab omni æternitate nouit, & admirabili prouidentia diſpoſuit quæ
non modo humanæ mentis imbecillitas ignorat, ſed nec dæmones ipſi præſentire poſ-
ſunt. Quare idolorum in futuris annunciandis falſitatem, & imbecillitatem, &
eorum, qui eis cultum adhibebant, vanitatem irridet Spiritus ſanctus apud Iſaiam
illis verbis. Annunciate, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dij eſtis
vos; & in nouo teſtamento Chriſtus Dominus diſcipulorum ſuorum de futuris euen-
tibus paulò cupidius inquirentium, interrogationem graui illa reſponſione retudit, qua
etiam omnium fidelium ſuorum curioſitatem coercuit. Non è veſtrum ſcire tempo-
rum vel momenta, quæ pater poſuit in ſua poteſtate. Nec vero ad futuros euentus,
& fortuitos caſus prænoſcendos (futuris euentibus ex naturalibus cauſis neceſſario,
vel frequenter prouenientibus, quæ ad diuinationem non pertinent dumtaxat exce-
ptis) vllæ ſunt veræ artes aut diſciplinæ, ſed fallaces, & vanæ improborum homi-
num aſtutia, & dæmonum fraudibus introductæ, ex quorum operatione, conſilio, vel
auxilio omnis diuinatio dimanat, ſiue quod expreſsè, ad futura manifeſtanda inuo-
centur, ſiue quod ipſi prauitate ſua, & odio in genus humanum, occultè etiam, præ-
ter hominis intentionem ſe ingerant, & intrudant vanis inquiſitionibus futurorum,
vt mentes hominum pernicioſis vanitatibus, & fallaci contigentium prænunciatio-
ne implicentur, & omni impietatis genere deprauentur. Quæ quidem ipſis cognita
ſunt, non diuinitate aliqua, nec vera futurarum rerum ſcientia, ſed naturæ ſubtilio-
ris acumine, et alijs quibuſdam modis, quos hominum obtuſior intelligentia ignorat.
Quamobrem dubitandum non eſt, in huiuſmodi futurorum, contingentium, et fortui-
torum euentuum inquiſitione, et præcognitione diaboli operationem ſe fallaciter im-
miſcere, vt ſua fraude, ac dolis, miſeros homines à via ſalutis auertat, et laqueo
damnationis inuoluat. Quæ cum ita ſint, nonnulli hæc fideliter, et religioſè, vt de-
bent,

bent, non attendentes, ſed curioſa ſectantes, grauiter Deum offendunt, errantes ipſi, & alios in errorem mittentes; tales imprimis ſunt Aſtrologi olim Mathematici, Genethliaci, & Planetarij vocati, qui vanam falſamque ſyderum, & aſtrorum ſcientiam profitentes, diuinæque diſpoſitionis ordinationem, ſuo tempore reuelandam præuenire audaciſsimè ſatagentes, hominum natiuitates ſeu genituras, ex motu ſyderum, & aſtrorum curſu metiuntur, ac iudicant futura, ſiue etiam præſentia, & præterita oculta, atque ex puerorum ortu, & natali die, ſiue quauis alia temporum, & momentorum, vaniſsima obſeruatione, & notatione, de vniuſcuiuſque hominis ſtatu, conditione, vitæ curſu, honoribus, diuitijs, ſobole, ſalute, morte, itineribus, certaminibus, inimicitijs, carceribus, cædibus, varijs diſcriminibus, alijſque proſperis, & aduerſis caſibus, & euentibus præcognoſcere indicare, & affirmare temmere præſſumunt, non ſine magno periculo erroris, & infidelitatis; cum S. Auguſtinus præcipuum Eccleſiæ lumen, eum, qui hæc obſeruat, qui attendit, qui in domum recipit, qui interrogat, Chriſtianam fidem, & baptiſmum præuaricaſſe affirmet, vt illos meritò Apoſtolus arguat, atque increpet illis verbis: Dies obſeruatis, & menſes, & tempora, & annos, timeo vos ne forte ſine cauſa laborauerim in vobis. Hi igitur leuiſsimi, & temerarij homines, in miſerandam animarum ſuarum ruinam; graue fidelium ſcandalum, et Chriſtianæ Fidei detrimentum, futuros rerum euentus, et quæcumque proſpere vel aduersè obuentura ſunt, ac actus humanos; ea denique quæ ex libera hominum voluntate proficiſcuntur aſtris ſyderibuſque aſcribunt, eiſque eam facultatem, vim ſeu virtutem, et efficaciam tribuunt ſignificandi futura; et ad præcognita ita inclinandi, vt ſic omnino nec aliter euentura ſint, atque ob eam cauſam de eis rebus omnibus iudicia facere, prognoſtica, prædictiones, & præcognitiones ſibi aſſumere, & palam venditare non dubitant; quibus pauci rudes, & imperiti; alijque nimis creduli, et imprudentes tantam fidem præſtant, vt ex huiuſmodi iudiciorum, et prædictionum præſcripto aliquid certo eſſe credant aut ſperent; quorum ſanè, et mendacium magiſtrorum temeritas, et infidelium diſcipulorum credulitas magnopere deploranda eſt, qui vel diuinis literis admoniti non intelligunt, hominis præſtantiam cui Coeli, & Stellæ, et clariſſima Coeli ſydera, Sol, et Luna, Deo ita diſponente, non imperant, ſed inſeruiunt, ſic enim Moyſes populum Dei, vt hunc erronem cauerent præmonebat. Ne forte eleuatis oculis ad Coelum, videas Solem, et Lunam, et omnia aſtra Coeli, et errore deceptus adores ea, et coles, quæ creauit Dominus Deus tuus in miniſterium cunctis gentibus, quæ ſub Coelo ſunt. Sed quid ſydera mirandum eſt homini ſeruire? nonne nobiliſsimæ intelligentiæ Angeli ipſi, omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis? nam rationales oues ita diligit Deus, vt non ſolum Epiſcopos quemadmodum à S. Ambroſio ſcriptum eſt, ad tuendum gregem ordinauerit; ſed etiam Angelos deſtinauerit. Præclare etiam S. Hieronymus: magnam dignitas animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis in cuſtodiam ſui Angelum delegatum Quod ſi Angeli homines cuſtodiunt, quid aduerſus Angelorum cuſtodiam, et tutelam aſtra moliri, aut efficere poterunt, quæ cum ipſis Angelis nullo modo ſint comparanda? Nec ſanè hoc loco prætereunda eſt eximij

Digitized by Google

eſt eximij Eccleſiæ Doctoris, & Beatiſſimi Pontificis Magni Gregorij ſententia, qui Priſcillianiſtas hæreticos vnumquemque hominem ſub conſtitutionibus ſtellarum naſci putantes, magno rerum, & verborum pondere confutat. Abſit, inquit, à fidelium cordibus, vt aliquid eſſe Fatum dicant, vitam quippe hominum ſolus hanc conditor, qui creauit adminiſtrat, neque enim propter ſtellas homo, ſed ſtellæ propter homines factæ ſunt, & ſi ſtella fatum hominis eſſe dicitur ipſis ſuis miniſterijs ſubeſſe homo perhibetur. Vtinam inſani homines hæc ſaperent, & intelligerent, ac Dei monitis obtemperarent in Leuitico dicentis. Non declinetis ad Magos, nec ab Ariolis aliquid ſciſcitemini, vt polluamini per eos. Neque enim quæ Chriſtiana, & vera pietas repellit, ac damnat tanto ſtudio inueſtigarent, ijſdemque miſere ſe decipi, atque irretiri paterentur. Sunt etiam inanes quidam homines, & curioſi, vel impij, & irreligioſi, qui futurarum, & occultarum illarum rerum notitiam adeo anxiè habere ſtudent, vt ob eadem prænoſcenda, & inueſtiganda in diuinæ legis offenſionem multipliciter incurrant. Alij enim, Geomantiæ, Hydromantiæ, Aeromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, alijſque Sortilegijs, & ſuperſtitionibus, non ſine Dæmonum ſaltem occulta ſocietate, aut tacita pactione operam dare, ſeu illis ac ſortibus illicitis taxillorum, granorum triticeorum, vel fabarum iactu vti non verentur. Alij verò aliqua priſtinæ, & antiquæ, ac per Crucis victoriam proſtratæ, Idolatriæ reliquia retinentes quibuſdam augurijs, auſpicijs, ſimilibuſue ſignis, & vanis obſeruationibus ad futurorum diuinationem intendunt. Alij autem ſunt, qui cum Morte fædus ineunt, & pactum faciunt cum inferno, qui ſimiliter ad occultorum diuinationem, ad inueniendos theſauros, vel ad alia facinora perpetranda, etiam expreſſa cum Diabolo pactione facta, in manifeſta ſuarum perniciem animarum nefarias Magicæ artis incantationes, inſtrumenta, & veneficia adhibent, circulos, & diabolicos characteres deſcribunt, Dæmones inuocant, aut conſulunt, ab eis reſponſa petunt, aut accipiunt, ei præces, & thuris aut aliarum rerum ſuffimenta, ſeu fumigationes, aliaue ſacrificia offerunt, candelas accendunt, aut rebus Sacris, vel Sacramentis, aut Sacramentalibus ſacrilege abutuntur, adorationis, genuflexionis, aut quæuis alia impietatis obſequia præſtant, cultum venerationemue tribuunt, aut annulum, vel ſpeculum, aut paruas phyalas ſibi fabricant, aut fabricari curant ad Dæmones in eis alligandos, ſeu includendos, vt putant ad reſponſa ab ipſis inde petenda, aut habenda. Alij quoque præſtigatores frequentius vero mulierculæ quædam ſuperſtitionibus deditæ, in phyalis ſeu vaſculis vitreis aqua plenis, vel in ſpeculo accenſis candelis, etiam benedictis ſub nomine Angeli Sancti, & Albi, Diabolum omnium malorum ſatorem ſuplices adorant, vel in vnguibus, aut palma manus, quandoque etiam oleo perunctis eumdem omnium fallaciarum Architectum orant, vt ſimiliter futura vel occulta quæuis per ſpectra, & apparentes imagines, ſeu phantaſticas viſiones ſibi oſtendat, aut ab eodem patre mendacij Diabolo alijs incantationibus, aut varijs ſuperſtitioſis obſeruationibus futurorum, & occultorum huiuſmodi veritatem quærunt, & hominibus prædicere contendunt. Quorum omnium, quos ſupra enumerauimus, conſimilis impietas, parem exitum habet, nimirum, quod Dæmonis præſtigijs, ac dolis, tum qui diui-

Digitized by Google

tum qui diuinant, tum qui diuinationem expetunt illuſi, ac deluſi miſerrimè reperiuntur. Itaque cum futuros euentus in ſe ipſis conſiderare antequam fiant, ſit Dei proprium, illud neceſſariò conſequitur, vt Aſtrologi, & alij prædicti qui huiuſmodi futura prænunciare, aut prænoſcere quocumque modo, niſi Deo reuelante audent, iniuſtè, atque impudenter, quod Dei eſt ſibi aſſumant, & vſurpent. Sic fit, vt dum ab eis, quod ſolius eſt Creatoris perperam creaturis tribuitur, diuina maieſtas grauiter lædatur, fidei integritas violetur, & animabus prætioſo Chriſti ſanguine redemptis peſtis, atque exitium importetur.

§.2. Et licet iam pridem regulis Indicis librorum prohibitorum ex decreto ſacri generalis Trid. Conc. confecti, illud inter cætera conſtitutum fuerit, vt Epiſcopi diligenter prouiderent ne huiuſmodi Aſtrologiæ iudiciariæ libri, tractatus, & indices legerentur, vel haberentur, qui de futuris contingentibus ſucceſſibus, fortuitiſue caſibus, aut ijs actionibus, quæ ab humana voluntate pendent certo aliquid euenturum affirmare audent, permiſſis tamen iudicijs, & naturalibus obſeruationibus, quæ nauigationis, agriculturæ, ſiue medicæ artis iuuandæ gratia conſcripta fuiſſent. Libros vero omnes & ſcripta, Geomātiæ, Hydromātiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, ſiue in quibus cōtinentur ſortilegia, veneficia, auguria, auſpicia, incātationes, artis magicæ, prorſus reijci, & aboleri curarent. Non tamen errorum, corruptelarum, delictorum, & abuſum prædictorum extirpationi vſq. adeò prouiſum eſt, quin etiam adhuc in nonnullis locis, & apud plurimos curioſius vigeant, cū valde frequenter, detectis diaboli inſidijs diuinationum, ſortilegiorum, & variarum ſuperſtitionum omnia plena eſſe in dies detegantur.

§.3. Nos igitur, qui pro noſtro paſtoralis officij munere fidei integritatem inuiolatam conſeruare debemus, & animarum ſaluti proſpicere, quantum diuina gratia adiutrice poſſumus ex paternæ caritatis viſceribus optamus, damnantes, & reprobantes omne genus diuinationum, quæ diabolo auctore ad fidelium deceptionem à prædictis curioſis, vel prædictis hominibus fieri ſolent. Cupientes præterea ſanctam illam Chriſtianæ Religionis ſimplicitatem, præſertim vbi agitur de ſumma Creatoris Dei poteſtate, ſapientia, & prouidentia, ab omnis erroris labe, integram atque incorruptam, vt par eſt retineri. Volentes quoque prædictæ falſæ credulitati, ac huiuſmodi illicitarum diuinationum, & ſuperſtitionum, deteſtabili ſtudio, & execrandis flagitijs, atque impuritatibus occurrere, vt de Chriſtiano populo merito dici poſsit, quod de antiquo Dei populo ſcriptum eſt. Non eſt augurium in Iacob, neque diuinatio in Iſrael; hac perpetuò valitura Conſtitutione Apoſt. auctoritate ſtatuimus, & mandamus, vt tam contra Aſtrologos, Mathematicos, & alios quoſcumq. dictæ iudiciariæ Aſtrologiæ arte, præterquam circa Agriculturam, nauigationē, & rem magicam in poſterum exercentes, aut facientes iudicia, & natiuitates hominum, quibus de futuris contingētibus ſucceſsibus, fortuitiſq. caſibus aut actionibus, ex humana voluntate pendentibus, aliquid euenturum affirmare audent, etiamſi id ſe non certò affirmare aſſerant, aut proteſtentur, quam contra alios vtriuſque ſexus, qui ſupradictas damnatas, vanas, fallaces, & pernicioſas diuinandi artes, ſiue ſcientias exercent, profitentur, & docent, aut diſcunt, quiue huiuſmodi illicitas

diuinationes ſortilegia, ſuperſtitiones, veneficia, incantationes, ac præmiſſa deteſtanda ſcelera, & delicta, vt præfertur, faciant, aut in eis ſe quomodolibet intromittit cuiuſcumque dignitatis gradus, & conditionis exiſtant, tam Epiſcopi, & Prælati, Superiores, ac alij Ordinarij locorum, quam Inquiſitores hæreticæ prauitatis vbique gentium deputati, etiamſi in pleriſque ex his caſibus antea non procedebant, aut procedere non volebant, diligentius inquirant, & procedant, atque in eos ſeuerius Canonicis pœnis, & alijs eorum arbitrio animaduertant.

§. 4. *Prohibentes omnes, & ſingulos libros, opera, & tractatus huiuſmodi iudiciariæ Aſtrologiæ, Geomantiæ, Hydromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, Artis Magicæ, aut in quibus ſortilegia, veneficia, auguria, auſpicia, execrabiles incantationes, aut ſuperſtitiones continentur, ac vt ſupra in memorato Indice interdictos ſub cenſuris, & poenis in eo contentis à quibuſcumque Chriſtifidelibus legi, aut quomodolibet retineri, ſed illos Epiſcopis, & Ordinarijs locorum, vel Inquiſitoribus prædictis præſentari, & conſignari debere. Et nihilominus eadem auctoritate ſtatuimus, & mandamus, vt contra ſcienter legentes, aut retinentes libros, & ſcripta huiuſmodi, ſeu in quibus talia continentur, ſimiliter ijdem Inquiſitores liberè, & licitè procedant, ac procedere & poenis condignis punire, & coercere poſſint.*

§. 5. *Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis; cæteriſque contrarijs quibuſcumque.*

§. 6. *Vt autem præſentes noſtræ literæ ad communem omnium notitiam facilius deducantur, iubemus, illas in valuis baſilicarum S. Io. Lateranen. & Principis Apoſtolorum de Vrbe, ac in acie Campi Floræ affigi, ſeu appendi, eiſque detractis ipſarum exempla etiam impreſſa eiſdem in locis affixa relinqui.*

§. 7. *Et inſuper vniuerſis, & ſingulis venerabilibus fratribus noſtris Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, locorum Ordinarijs, & Prælatis, necnon Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis vbilibet conſtitutis, per hæc committimus, & in virtute ſanctæ Obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus, vt per ſe, vel alium, ſeu alios eaſdem præſentes literas, poſtquam eas receperint, ſeu earum notitiam habuerint in ſuis ſingulis Parochialibus Eccleſijs, dum in eis populi multitudo ad diuina conuenerit, deinde vero ſemel in anno, & quoties eis expedire videbitur, vulgari ſermone publicent, aut publicari faciant.*

§. 8. *Quia verò difficilè foret præſentes literas, ad ſingula quæque loca in quibus de eis fides facienda erit deferri, volumus, vt earum tranſumptis etiam impreſſis manu Notaris publici ſubſcriptis, ac paruo ſigillo Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & vniuerſalis Inquiſitionis, aut alicuius Prælati, vel Curiæ Eccleſiaſticæ munitis, eadem prorſus fides in iudicio, & extra vbique locorum adhibeatur, quæ eiſdem originalibus literis adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo &c.*

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quingenteſimo octuageſimoquinto, Nonis Ianuarij, Pontificatus noſtri anno 1.

GRE-

Digitized by Google

GREGORII XV.

BVLLA.

OMnipotentis Dei Saluatoris noſtri, qui, vt hominem à laqueis Diaboli liberaret, Crucem ſubire dignatus eſt, vices, quamquam immeriti, gerentes in terris, in id ſummo ſtudio, iuxta creditum Nobis deſuper Apoſtolicæ ſeruitutis officium, incumbimus, vt gregem Dominicum, inæſtimabili pretio redemptum, aduerſus Satanæ fraudes defendamus, eiuſdem officij partes deſuper interponendo, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

§.1. *Sanè nonnulli ſuæ conditionis obliti, & ſolemnis ſponſionis ab ijs factæ, cũ in Chriſti gregem, per ſacrum, regenerationis lauacrum adſciti fuerunt, Sathanæ, cui renunciarunt artibus, maleficijs, ſuperſtitionibus, ac nefarijs inuentis operam dare non verentur, quinimo magiſtrum imitantes, qui capitali odio, quo humanum genus proſequitur, hominibus inſidiare numquam ceſſat, proximum varijs modis lædere, animas vero ſuas perdere non timent.*

§.2. *Quapropter vt tam exitioſa ſcelera à Chriſti fidelibus arceantur, grauioribus pœnis vindicanda duximus. Motu itaque proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, tenore præſentium decernimus, præcipimus, & mandamus, vt conſtito, quod aliquis pactum cum Diabolo fecerit, & à fide apoſtatando, maleficijs ſiue ſortilegijs vnam ſeu plures perſonas, ita læſerit, vt ex maleficio, vel ſortilegio mors ſecuta ſit, etiam primo lapſu, Curiæ ſæculari tradatur, debitis pœnis puniendus; qui vero ſimiliter apoſtatando, pactum cum Diabolo, vt præfertur fecerit, & maleficium, ſeu ſortilegium commiſerit licet mors ſecuta non ſit, infirmitas tamen, diuortia, impotentia generandi, ſiue animalibus, frugibus, vel alys fructibus damnum notabile prouenerit, muro claudi, ſiue perpetuis carceribus in ſancto Inquiſitionis Officio, vbi ille exiſtit, fabricandis, mancipari debeat.*

§.3. *Qui vero ſimilium delinquentium notitiam habuerit, eos Epiſcopo, ſiue Inquiſitori denunciare teneantur.*

§.4. *Non obſtantibus conſtitutionib. & ordinationib. Apoſt. cæteriſq. cõtrarijs quibuſcũq.*

§.5. *Volumus autem quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitui munitis, eadem prorſus fides vbique adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.*

§.6. *Quodque eædem præſentes, poſtquam in valuis Baſilicarum S. Ioannis Lateranenſis, ac Principis Apoſtolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apoſtolicæ, nec non in acie Campi Floræ affixæ fuerint, omnes, & ſingulos, ad quos ſpectat, arctent, & afficiant perinde ac ſi perſonaliter vnicuique intimatæ fuiſſent.*

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub Annulo Piſcatoris die 20. Martij 1623. Pontificatus noſtri Anno Tertio.

VRBANI VIII.

BVLLA.

INſcrutabilis Iudiciorum Dei altitudo non patitur, vt humanus intellectus tenebroſo carcere corporis conſtrictus, ſuper aſtra ſe extollens, arcana in ſinu diuino recondita, & ipſis beatiſſimis ſpiritibus ignota, nefaria curioſitate, non ſolum explorare, ſed etiam tamquam explorata in Dei contemptum, Reipublicæ perturbationem, & Principum periculum arroganti, & pernicioſo exemplo venditare præſumat.

§.1. *Hinc eſt, vt quamuis ciuilibus, canoniciſque ſanctionibus, ac nouiſſimè fel. recor. Sixti Papæ V. prædeceſſoris noſtri Conſtitutione deſuper edita Aſtrologorum, Mathematicorum, Vaticinatorum, & aliorum qui euentura diuinare, ſeu prædicere audent, quoſque vti homicidas, & maleficos antiquitas æſtimauit, illorum potiſſimum, qui de ſumma Reipublicæ, vel Principis ſalute iudicia ferre præſumerent, ars, profeſsio, ſiue exercitium grauibus pœnis inhibita eſſe noſcantur. Aetamen ſicut accepimus, nonnulli iniquitatis filij propriæ puſillitatis obliti, ac lenitate forſam, vel conniuentia audentiores facti, vanamque fatidicorum æſtimationem aucupantes in deplorandam animarum ſuarum perditionem, graueq. Chriſtifidelium ſcandalum, etiam de Reipublicæ, & Principum incolumitate, illis ſolicitudinem, hominibus verò inquietis rerum nouandarum occaſionem ea ratione inferre ſatagentes, prognoſtica & prædictiones verbo, vel etiam ſcripto edere non erubeſcunt.*

§.2. *Nos itaque pernicioſi huiuſmodi auſibus quantum nobis ex alto conceditur obuiam ire, ac quos Dei reſpectus in officio non continet, pœnarum grauitate, & ſeuerioris diſciplinæ fræno coercere volentes motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine Conſtitutionem per præfatum Sixtum prædeceſſorem deſuper, vt præfertur, editam Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuo approbamus, confirmamus, & innouamus.*

§.3. *Et inſuper omnibus, & quibuſcumque Laicis cuiuſcumque ſexus, conditionis, ſtatus, gradus, qualitatis, & dignitatis, etiam Marchionalis, vel Ducalis exiſtentibus, qui de ſtatu Reipublicæ Chriſtianæ, vel Sedis Apoſtolicæ, ſiue de vita, aut morte Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, eiuſque vſque ad tertium gradum incluſiuè conſanguineorum Mathematicos, Ariolos, Vaticinatoreſue nuncupatos, vel alios Aſtrologiam iudiciariam exercentes, ſeu alias quomodolibet profitentes de cætero conſuluerint, ſiue deſuper eorum iudicia, prognoſtica prædictiones, ſeu præcognitiones etiam ſibi oblatas receperint, illiſue quomodolibet vſi fuerint, nec non iiſdem, Mathematicis, Ariolis, Aruſpicibus, Vaticinatoribus, ſiue alijs Aſtrologiam Iudiciariam, ſeu quamlibet artem diuinatoriam quomodolibet profitentibus, qui Iudicia, Prognoſtica, ſeu præcognitiones, & prædictiones ſuper præmiſsis etiamſi id non certo ſe affirmare proteſtentur fecerint ſiue à ſe, vel ab alijs iam facta, ſeu factas in poſterum penes ſe ſimiliter retinuerint, vel alicui dederint, ſeu oſtenderint, aut*

de eis

Digitized by Google

de eis quouis modo etiam in probando ſcripto, vel verbis tractauerint, nedum excomunicationis maioris latæ ſententiæ, ſed etiam vti leſæ Maieſtatis reis, vltimi ſuplicij, ac confiſcationis omnium bonorum ſuorum etiam Romanæ Curiæ officiorum, ac deuolutionis quarumcumque Ciuitatum, Caſtrorum, & locorum iuriſdictionalium, & feudalium.

§.4. *Clericis quoque & Presbyteris, alijſque perſonis Eccleſiaſticis, tam ſæcularibus, quam cuiuſuis Ordinis, Congregationis, Societatis, ſeu Inſtituti, vel Militiarum quarumcumque, etiam Hoſpitalis Sancti Ioan. Hieroſolymitani, alijſque quomodolibet exemptis, ac Nobis, & Apoſtolicæ Sedi immediatè ſubiectis, Regularibus vtriuſque ſexus vltra prædictas, etiam priuationis beneficiorum, & dignitatum, ac officiorum Eccleſiaſticorum etiam Monaſteriorum, Prioratuum, & præceptoriarum, ac aliorum quoruncumque, & inhabilitatis perpetuæ ad illa impoſterum obtinenda, ita quod perſonæ Eccleſiaſticæ præuia illaru..ꝫ degradatione Curiæ ſæculari tradantur puniendæ, n Epiſcopali vero, Archiepiſcopali, Metropolitana, Primatiali, Patriarchali, aut quacumque alia etiam ſuperiori Eccleſiaſtica, vel mundana quantumuis ſublimi, excellente, & ſpeciali nota digna, etiam ſuprema conſtitutis dignitate, eaſdem excommunicationis, ac priuationis etiam regiminis, & adminiſtrationis Eccleſiarum, & aliorum quorumcumque beneficiorum, & dignitatum quantumuis ampliſſimarum, & Patriarchali maiorum, & officiorum ſuorum, & inhabilitatis pœnas ipſo facto incurrent Apoſtolica auctoritate tenore præſentium infligimus, & imponimus.*

§.5. *Cognitionem autem cauſarum huiuſmodi quoad perſonas Eccleſiaſticas, tam ſæculares, quam regulares in Vrbe noſtra, & illius diſtrictu ad dilectos filios noſtrum in eis Vicarium in ſpiritualibus generalem, nec non eiuſdem Vrbis Gubernatorem, ac cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ Auditorem generalem, & eorum quemlibet inſolidum, extra verò vrbem, & diſtrictum prædictum in Prouincijs Nobis & Apoſtolicæ Sedi ſubiectis ad S. R. E. Cardinales in eiſdem Prouincijs de latere Legatos, & Prolegatos, ac Præſides in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutos pro tempore exiſtentes, in alijs vero omnibus, & ſingulis Prouincijs, Regnis, Ciuitatibus, Oppidis, Caſtris, & locis, tam ſubnoſtra, & dictæ Sedis, quam cuiuſuis alterius Principis dictione comprehenſis, priuatiuè quoad omnes etiam Superiores Religioſorum, ipſiſque Superioribus penitus excluſis, ad Ordinarios locorum, vbilibet vero locorum etiam ad hæreticæ prauitatis Inquiſitores ſpectare volumus.*

§.6. *Mandantes dilectis filijs noſtris, & dictæ Sedis de latere Legatis, & eorum Vicelegatis, & Præſidibus prædictis nunc, & pro tempore exiſtentibus, nec non venerabilibus, Patriarchis Archiepiſcopis, & Epiſcopis ſingulis, videlicet, in ſuis Ciuitate, & Dioeceſi, & quoad loca intra fines alicuius Dioeceſis, non tamen de Dioeceſi exiſtentia ipſarum Dioeceſum, intra quarum fines eadem loca extiterint, quo vero ad ea, Quæ extra fines alicuius Dioeceſis conſiſtunt, vicinioribus eorundem locorum Ordinarijs, ac etiam Inquiſitoribus prædictis, quatenus ad inſtantiam cuiuſuis Fiſci, vel denunciatoris, ac etiam ex eorum officio cauſarum huiuſmodi cognitiones ſuſcipientes, præuia etiam auocatione à quibuſuis alijs ſupra non expreſ-*

ſis, nec

Digitized by Google

ſis, nec à nobis ſpecialiter delegatis in cauſis ipſis modo præmiſſo procedant omnibus iuris, & facti remedijs opportunis, inuocato etiam auxilio brachij ſæcularis.

§.7. Inhibentes Inſuper Decanis, & Capitulis Eccleſiarum Cathedralium Metropolitanarum, & Patriarchalium, nec non quorumuis Ordinum, & locorum Regularium, Societatum, & Inſtitutorum, ac etiam Hoſpitalis prædictorum Superioribus Conuentibus, & Fratribus quantumuis exemptis, ne ſub priuationis beneficiorum, & officiorum quorumcumque per eos reſpectiue obtentorum, ac ſimiliter inhabilitatis ad alia in futurum obtinenda, vociſque actiuæ, & paſſiuæ nec non excommunicationis latæ ſententiæ eo ipſo incurrendis poenis, Ordinarios locorum, nec non Legatos, ſeu Vicelegatos, alioſque prædictos in cauſis huiuſmodi procedentes quoquo modo impedire, moleſtare, ſeu perturbare audeant, vel præſumant, ac etiam mandantes, vt quoties ad id fuerint requiſiti Religioſos ipſos, etiamſi alicuius loci regularis Superiores actu fuerint Ordinarijs, Legatis, ſeu Vicelegatis, aut alijs prædictis, ſeu quibus ijdem mandauerint, conſignent cum ſcripturis, & actis ſique facta fuiſſe reperiantur.

§.8. Sicque & non aliter in præmiſsis per quoſcumque Iudices Ordinarios, Delegatos, & Commiſſarios, ac etiam Cameræ Apoſtolicæ Clericos, Præſidentes necnon cauſarum Palatij Apoſtolici, & Curiæ eiuſdem Cameræ Generalem Auditores, ac S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales etiam de Latere Legatos, necnon Vicecamerarium, ſublata eis, & eorum cuilibet quamuis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate vbique iudicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

§.9. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non noſtra in numero ſeptuageſima, & alijs Cancellariæ Apoſtolicæ Regulis, ac Prouinciarum, Regnorum, Ciuitatum, Terrarum, Oppidorum, Locorum, Eccleſiarum, Monaſteriorum, Militiarum, Hoſpitalium, etiam Sancti Ioannis prædictorum, aliorumque Religioſorum, & piorum locorum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem Prouincijs, Regnis, Ciuitatibus, Terris, Oppidis, Locis, Eccleſijs; Monaſterijs, Hoſpitalibus, & militijs prædictis, & alijs pijs locis, ac illorum Vniuerſitatibus, Capitulis, Superioribus, & perſonis in contrarium forſan quomodolibet conceſsis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem pro clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, eorum omnium tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro expreſsis habentes illis, alias in ſuo robore permanſuris hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè harum ſerie derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.

§.10. Volumus autem, quod præſentes literæ in valuis Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, ac Cancellariæ Apoſtolicæ, nec non in acie Campi Floræ

pi Floræ

Digitized by Google

pi Floræ publicentur, & affigantur, quæ poſtquam ſic affixæ, & publicatæ fuerint, quoſcumque tam in ſtatu noſtro temporali, quam extra eum, vbique locorum perinde arctent, & afficiant, ac ſi vnicuique nominatim, & perſonaliter intimatæ fuiſſent.

§. 11. *Quodque earum exemplis, etiam impreſſis, manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis etiam prorſus fides in Iudicio, & extra vbique adhibeatur, quæ præſentibus adhiberentur ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.*

§. 12. *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, confirmationis, innouationis, inflictionis, impoſitionis, inhibitionis, decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contra ire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſum.*

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo primo, Pridie Kal. Aprilis, Pont. noſtri anno octauo.

DIVI

DIVINATIONES
DAMNATÆ
Ex Iure Ciuili.

Ex Codice Lib. 9. Tit. 18.

Imper. Diocletian. & Maxim. A. A. &c.
TIBERIO.

ARtem Geometriæ diſcere, atque exercere publicè intereſt. Ars autem Mathematica damnabilis eſt, & interdicta omnino. S. 13. Kalend. Septemb. Sirmij CC. Coſs.

DE AVSPICIIS, ET SACERDOTIBVS
Imper. Conſtantius A. ad Maximum.

NVllus Aruſpex, nullus Sacerdos, nullus eorum, qui huic ritui adſolens miniſtrare ad limen alterius accedat, nec ob alteram cauſam, ſed huiuſmodi hominum amicitia (quamuis vetus) repellatur: concremando illo Aruſpice, qui ad domum alienam acceſſerit: & illo in inſulam deportando poſt ademptionem bonorum, qui aduocauerit ſuaſionibus, vel premijs. Accuſatorem autem huiuſmodi criminis, non delatorem eſſe, ſed dignum magis præmio arbitramur. PP. Kal. Febr. Romæ Conſtantius A. V. & Licinio Conſ. 312.

DE MAGIA.
Idem Aug. & C. ad Baſsum Præfectum Vrbi.

EOrum eſt ſcientia punienda, & ſeueriſſimis meritò legibus vindicanda, qui magicis accincti artibus, aut contra ſalutem hominum moliti, aut pudicos animos ad libidinem deflexiſſe detegentur. Nullis verò criminationibus implicanda ſunt remedia humanis quæſita corporibus, aut in agreſtibus locis innocenter adhibita ſuffragia, nè maturis vindemijs metuerentur imbres, aut ventis, grandiniſque lapidatione quaterentur, quibus non cuiuſquam ſalus, aut æſtimatio lederetur, ſed quorum proficerent actus, ne diuina munera, & labores hominum ſternerentur.

Datum Kal. Iun. Aquileiæ Criſpo, & Conſtantio Caſ. Conſ. 321.

DE

DE EADEM.

Imp. Conſt. Aug. & Iulianus Cæſar ad populum.

MVlti Magicis artibus vſi elementa turbare, & vitam inſontium labefactare non dubitant, & manibus auitis audent ventilare, vt quiſque ſuos conficiat malis artibus inimicos: hoc, quoniam naturæ peregrini ſunt, feralis peſtis abſumat.
Dat. prid. Non. Decemb. Med. Conſtantio A. IX. & Iuliano II. Conſ. 357.

DE DIVINATORIBVS.

Imp. Conſtantius A. & Iulianus Cæſar ad populum.

NEmo Aruſpicem conſulat, aut Mathematicum, nemo Ariolum. Augurum, & Vatum praua confeſſio conticeſcat. Chaldæi, ac Magi, & cæteri, quos maleficos ob facinorum magnitudinem vulgus appellat, nec ad hanc partem aliquid moliantur. Sileat omnibus perpetuò diuinandi curioſitas. Etenim ſupplicio capitis ferietur gladio vltore proſtratus quicunque iuſſis noſtris obſequium denegauerit.
Dat. 8. Kal. Febr. Mediolani Conſtantio A. VIII. & Iuliano Cæſ. Conſ. 357.

DIVINATIONES DAMNATÆ EX SANCTIS PATRIBVS.

Ex Diuo Gregorio Magno in Homil. Epiphaniæ.

SEd ad hæc ſolent Mathematici reſpondere, quia virtus conſtellationis in ictu pungentis eſt, quibus è diuerſo dicimus, quia magna eſt mora natiuitatis, ſi igitur in ictu puncti conſtellatio permutatur, neceſſe iam erit vt tot dicant fata, quot ſunt membra naſcentium.

Ex Diuo Auguſtino init. lib. 5. de Ciuitate Dei.

HOc figmentum (nimirum de rota figuli) fragilius eſt quam vaſa, quæ illa rotatione finguntur. Nam ſi tam multum in cælo intereſt, quod conſtellationibus comprehendi non poteſt, vt alteri Geminorum hæreditas obueniat, alteri non obueniat, cur audent cæteris, qui Gemini non ſunt, cum inſpexerint eorum conſtellationes talia pronuntiare, quæ ad illud ſecretum pertinent, quod nemo poteſt comprehendere, & momentis annotare naſcentium.

Deinde quæro ſi tanta diſtantia eſt temporis in natiuitate geminorum, vt per hanc oporteat eis conſtellationes fieri diuerſas, propter diuerſum Horoſcopum: & per hoc diuerſos omnes cardines, vbi tanta vis ponitur, vt hinc etiam diuerſa ſint fata, vnde hoc accidere potuit, cum eorum conceptus diuerſum tempus habere non poſſit; aut ſi duorum vno momento temporis conceptorum potuerunt eſſe ad naſcendum fata diſparia, cur non & duorum vno momento temporis natorum, poſſint eſſe ad viuendum, atque moriendum fata diſparia? Nam ſi vnum momentum, quo ambo concepti ſunt, non impediuit vt alter prior, alter poſterior naſceretur, cur vno momento, ſi duo naſcuntur impediat aliquid vt alter prior, alter poſterior moriatur? Si conceptio momenti vnius diuerſos caſus Geminos habere permittit, cur natiuitas momenti vnius non etiam quoslibet duos in terra diuerſos caſus habere permittat? Ac vt omnia huius artis, vel potius vanitatis commenta

tollantur,

Digitized by Google

tollantur, quid eſt hoc quod vno tempore, vno momento, ſub vna, eademque cæli poſitione concepti diuerſa habeant fata, quæ illos perducant ad diuerſarum horarum natiuitatem? & vno momento temporis ſub vna, eademque cæli poſitione, de duabus matribus duo pariter nati, diuerſa fatá habere non póſſunt, quæ illos perducant ad diuerſum viuendi, vel moriendi neceſſitatem? An concepti nondum habent fata, quæ niſi naſcantur habere non potuerunt? quid eſt ergo, quod dicunt, ſi hora conceptionalis inueniatur, multa ab iſtis dici poſſe diuinitus?

Ex D. Auguſtino lib. 2. de Doctrina Chriſtiana. cap. 23.

Hoc autem genus fornicationis animæ ſalubriter Diuina auctoritas non tacuit, neque ab ea ſic deterruit animam, vt propterea talia negarent eſſe ſectanda, quia falſa dicuntur à profeſſoribus eorum: ſed etiam ſi dixerint nobis, inquit, & ita euenerit, ne credatis eis, non enim quia imago Samuelis mortui Sauli vera pronuntiauit propterea talia ſacrilegia, quibus illa imago præſentata eſt minus execranda ſunt, aut quia ex actibus Apoſtolorum fæmina ventriloqua verum teſtimonium perhibuit Apoſtolis Domini, ideo Paulus Apoſtolus pepercit illi ſpiritui, ac non potius fæminam illius Dæmonis correptione, atque excluſione mundauit, omnes igitur artes huiuſmodi, vel nugatoriæ, vel noxiæ ſuperſtitionis, quadam peſtifera ſocietate hominum, & Dæmonum, quaſi pacta infidelis, & doloſæ amicitiæ conſtituta, penitus ſunt repudiandæ, & fugiendæ Chriſtiano.

Ex D. Auguſtino lib. 5. de Ciuit. Dei. cap. 7.

Non immerito creditur, cum Aſtrologi multa vera reſpondent; occulto inſtinctu fieri ſpirituum non bonorum, quorum cura eſt has falſas opiniones de aſtralibus fatis inſerere humanis mentibus, atque firmare.

Ex D. Auguſtino lib. de diuinatione Dæmonum. cap. 3.

Aliquando, & hominum diſpoſitiones, non ſolum voce prolatas, verum etiam cogitatione conceptas, cum ſigna quædam ex animo exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiſcunt. Atque hinc etiam multá futura prænuntiant, alijs videlicet mira, qui iſta depoſita non nouerunt.

Ex D. Ambroſio lib. 4. Examerõ cap. 4. aduerſus Genethliacos.

NOnnulli natiuitatum tentauerunt exprimere qualitates, qualis futurus ſit vnuſquiſque, qui natus ſit, cum hoc non ſolum vanum, ſed etiam inutile ſit quærentibus. Quid enim tam inutile, vt vnuſquiſq. ſibi perſuadeat, ſibi hoc eſſe quod natus eſt? nemo ergo debet vitam ſuam, ſtatum, moreſque mutare, nec eniti quo melior fiat, ſed in ea perſuaſione neque probum potes laudare, nec condemnare improbum, qui neceſſitati natiuitatis ſuæ reſpondere videatur, & quo modo Dominus præmia propoſuit bonis, aut improbis pœnas, ſi facit neceſſitas diſciplinam, & conuerſationem ſtellarum curſus informat, & quid eſt aliud quam hominem de homine exuere, ſi nihil moribus, nihil inſtitutioni, nihil ſtudijs derelinquitur &c.

Nam vt de eorum aliquid diſputatione ſumamus redarguendi gratia, non probandi, magnam vim dicunt eſſe natiuitati[illegible], [illegible] minutis quibuſdam. & certis colligi opportere momentis, ac niſi verius colligatur, ſummam eſſe diſtantiam: breui enim atomo, exiguoque momento diſtare natiuitatem inopis, & potentis; egentis, & diuitis; innocentis, & noxij; & plerumque eadem hora generari longæuitati debitum, & prima ætate pueritiæ moriturum, ſi reliqua diſparia ſunt, & puncto aliquo diſcreta. Hoc quemadmodum poſſint colligere, reſpondeant. Conſtitue partum fœminæ, obſtetrix vtique cum primum cognoſcit, explorat vagitum; quo natiuitas colligitur: attendit vtrum maſculus ſit an fœmina; quot vis inter has moras præterire momenta. pone Mathematicum præparatum, Nunquid poteſt vir intereſſe puerperio; dum mandat obſtetrix, audit Chaldæus, ponit Horoſcopum in alterius ſortem; iam nati fata migrarunt, de altero quæritur, & alterius genitura proponitur; pone veram eſſe eorum opinionem, de natiuitatum neceſſitatibus non poteſt vera eſſe collectio; puncta tranſeunt, fugit tempus irreparabile; Non eſt dubium quod tempus in atomo, & in momento, & in ictu oculi ſit; adducor vt credam, quando omnes in atomo, in momento, & in ictu oculi ſuſcitamur, vt Apoſtolus proteſtatur, inter effuſionem, & ſuſceptionem, depoſitionemque pignoris, inter fletum eius, & nuntium quot atomi tranſierunt? & hoc, vt ſimpliciter iſta texuerim, Nam & ipſi vitalem illum ſignorum duodecim circuitum in duodecim partes diuidunt, & quia triginta diebus Sol duodecimam partem eius ſphæræ eius, quæ inenarrabilis habetur, regreditur, quo gyrus Solis anni circuitu compleatur in triginta portiunculas, quas Græci μερίδας vocant, vnamquamque duodecim illarum diſtribuunt portionem; ipſam quoque portiunculam in 60. vices conferunt. Rurſus vnumquodque de illis ſexaginta ſexagies ſecant. Quam incomprehenſibile eſt in quo ſexageſimo tot ſexageſimæ portiunculæ natiuitatis momenta conſtituant? & qui ſingulorum ſignorum ſit, aut motus, aut ſpecies in natiuitate naſcentis? Vnde cum impoſſibile ſit tam ſubtiles minutias temporis comprehendere, exigua autem minutia inue-

Digitized by Google

tia inuehat vniuerſitatis errorem, totum negotium plenum eſt vanitatis; diſputatores eorum quæ ſua ſunt neſciunt, quomodo aliena nouerunt? quid ſibi immineat ignorant, quomodo poſſunt alijs quæ futura ſunt denuntiare? Ridiculum eſt credere, quia ſi poſſent ſibi potius prouiderent.

Iam illud quam ineptum, vt ſi quis ſigno Arietis ortum ſe dicat, ex vſu pecudis æſtimetur præſtantiſsimus conſilio. quod in grege huiuſmodi emineat pecus; aut locupletior eo quod veſtitum habeat Aries naturalem, & quotannis lucrum capiat indumenti; eoque viro illi tam familiaria videantur quæſtuum eſſe compendia: ſimiliter & de Tauri, & Piſcium ſignis argumentantur, vt ex natura vilium animantium Cœli motus, & ſignorum interpretandas exiſtiment poteſtates. Cibus ergo noſter viuendi nobis decreta conſtituit, & alimenta noſtra nobis, ideſt Aries, Taurus, & Piſces morum imprimunt diſciplinam, &c. Aiunt autem plurimum referre vtrum ortum generati benefica ſigna videant, an malefica, & noxia, & in eo natiuitatis eſſe diſtantiam, quod benefici ſigni aſpectus plurimum conferat, malefici, & noxij plurimum noceat, ſic enim eadem ſigna qui venerantur appellare conſueuerunt, neceſſe enim habeo eorum vti nominibus, quorum vtor aſſertionibus, ne ignorata magis, quam vacuefacta, atque deſtructa ſua argumenta commemorent. Itaque cum illum vagum celeremque motum non queant comprehendere, ſæpè fit vt per illam puncti, & momenti incomprehenſibilem ſubtilitatem ponant benefici ſigni aſpectum, vbi grauis, atque nocitura incurrat offenſio, & quid mirum, ſi vbi luduntur homines, vbi ſigna innoxia blaſphemantur, quæ ſi natura noxia eſſe creduntur, Deus ergo ſummus arguitur, ſi facit quod malum eſt, & fuit improbitatis operator, &c.

Etenim quis prudentium credat, quod ſignorum motus, qui ad diem ſæpè mutantur, & multipliciter in ſe recurrunt, inſignia deferant poteſtatum; Nam ſi ita eſſet, quantæ ad diem regalium natiuitatum exprimerentur figuræ, quotidie ergo Reges naſcerentur, nec regalis in filios tranſmitteretur ſucceſsio, ſed ſemper ex diuerſo ſtatu, qui ius imperialis acquirerent poteſtatis orirentur; quis igitur Regum Genituram filij ſui colligit, ſi ei debeatur imperium, & non proprio ſucceſsionem regni in ſuos tranſcribit arbitrio.

Ex D. Auguſtino: Confeſs. cap. 7.

I*AM Mathematicorum fallaces diuinationes impia deliramenta deieceram.*

Ex

Ex eodem lib.83. quæſt. quæſt.45.

CVm autem multa vera eos prædixiſſe dicatur. Ideo fit, quia non tenent homines memoria falſitates, erroreſque: Sed non intenti, niſi in ea, quæ illorum reſponſis prouenerunt, obliuiſcuntur; & ea commemorat, quæ non arte illa, quæ nulla eſt, ſed quadam obſcura rerum ſorte contingunt, quod ſi peritiæ illorum volunt tribuere, dicant artificioſè diuinare etiam mortuas membranas ſcriptas quaslibet, de quibus plerumque pro voluntate ſors exit.

Ex D. Aug. 2. lib. Gen. ad lit. ait.

FAtendum eſt quando ab iſtis ſcilicet mathematicis vera dicuntur inſtinctu quodam occultiſſimo diaboli fieri, quem neſcientes humanæ mentes patiuntur: quod cum ad decipiendos homines ſit, ſpirituum immundorum, & ſeductorum operatio eſt.

Ex eod. 4. lib. Confeſs.

ILlos planetarios, quos Mathematicos vocant conſulere non deſiſtebam, quaſi nullum eſſet ſacrificium, & nullæ præces ad aliquem ſpiritum ob diuinationem dirigerentur: Quod tamen chriſtiana, & vera pietas expellit, & damnat.

Ex Diuo Gregorio Niſſeno epiſt. de Pythoniſſa.

QVoniam homines voluptarij, corporiſque plus æquo amantes in hac vita ſtudiores futuras ſciendi tenentur, quia cognitione vel mala ſe euitaturos ſperant, vel id quod deſiderant aſſecuturos: Idcirco ne à Deo pendeant homines, prænotiones rerum futurarum varia genera fallax Dæmonum natura commenta eſt, auguria, diuinationes per ſymbola, Oracula Haruſpicia, mortuorum euocationes, furoris afflatus, numinis inſtinctus, inſpirationes, aliaque plurima id genus: Tum quæcumque prænotionis ſpecies, ex aliqua fallacia, vera cuipiam videatur, illa continuo à fallaci Dæmone monſtratur; vt hoc tamquam patrocinio eius, qui in fraudem illectus eſt, fallax opinio iuſta comprobetur.

Digitized by Google

Ex Diuo Ioanne Chryſoſtomo Homil. 29. ad Corinth. 1.

CVm ſceleratus ſit Diabolus inducit pſeudoprophetas, tanquam qui ipſi quoque futura prædicant, deinde quoniam interim de his, quæ dicebantur non poterat reddi ratio, cum res nondum eueniſſent, de quibus prædicebatur; facilè etiam decipiebat. Nam eum qui falſum, & eum qui verum dicebat, arguebat finis.

Ex eodem.

IN ſimulacris ſi quando quis arreptus eſſet à ſpiritu immundo, & diuinaret, ſeù vaticinaretur, tamquam qui abduceretur, ſic trahebatur vinctus à ſpiritu, nihil ſciens eorum, quæ dicebat. Hoc eſt enim proprium vatis, ſeù diuinatoris, emota eſſe mentis, vim pati, ac neceſſitatem, [illegible] tamquam furentem.

Ex D. Thoma 2.2. q.95. art. 1. in corpore.

TVnc ſolum dicitur diuinare, quando ſibi indebito modo vſurpat prænuntiationem futurorum euentuum. Hoc autem conſtat eſſe peccatum: Vndè diuinatio ſemper eſt peccatum. Et propter hoc Hieronymus dicit ſuper Micheam, quod diuinatio ſemper in malam partem accipitur.

Ex S. Iſidoro in libro Etym. lib. 8. cap. 9. de diuinatoribus ſic ait.

DIuini dicti quaſi Deo pleni. Diuinitate enim ſe plenòs ſimulant, & aſtutia quadam fraudolentiæ hominibus futura coniectant.

Ex D. Auguſtino lib. 7. Confeſs.

EOrum, qui gemini naſcuntur, plerique ita poſt inuicem funduntur ex vtero, vt paruum ipſum temporis interuallum quantamlibet vim in rerum natura habere contendant; colligi tamen humana obſeruatione non poſsit, literiſque ſignari omninò non valeat, quas Mathematicus inſpecturus eſt, vt vera pronuntiet, & non erunt vera: quia eaſdem literas inſpiciens eadem debuit dicere de Eſau, & Iacob: ſed non eadem vtrique acciderunt.

Ex

Ex eodem lib. 1. contra Academicos.

ILli verò, qui poſitionem ſtellarum quodammodo decernentium, qualis quiſque putant habere hanc poteſtatem traditam ſibi à ſumma illius poteſtate, vt volentes iſta decernant, magnam cælo faciunt iniuriam, in cuius velut clariſſimo Senatu, ac ſplendidiſsima curia opinantur ſcelera facienda decerni. Quod ſi dicuntur ſtellæ ſignificare potiùs iſta, quàm facere, vt quaſi loquutio quædam ſit illa poſitio prædicens futura, non agens, de geminis dicant per exiguum temporis interuallum in naſcendo ſeparatis, in conceptu autem per vnum concubitum vno etiam momento ſeminatis.

Ex eodem lib. 2. de Doctrina chriſtiana.

cap. 20.

GEnethliaci propter natalium dierum conſiderationes dicti, vulgò Mathematici vocantur, qui quamuis veram ſtellarum poſitionem, cum quiſque naſcitur, conſectentur, & aliquando etiam perueſtigent; tamen quod indè conantur, vel actiones noſtras, vel actionum euenta prædicere, vendunt imperitis hominibus miſeram ſeruitutem. Nam quiſque liber, cum ad huiuſmodi Mathematicam ingreſſus fuerit dat pecuniam, vt ſeruus indè exeat, aut Martis, aut Veneris, aut potius omnium ſiderum, ex quorum notatione velle naſcentium mores, actus, euenta prædicere magna dementia eſt.

Ex S. Cyrillo. Catecheſ. 2. & 4.

NVnc autem tibi omnia genituræ ſubiecta eſſe oſtendo. Si omnia geneſi ſubiacere tibi perſuaſum eſt, tibi ipſi contrarius es, & fruſtrà conſulis. Si enim præter genituram, ne ſapere quidem quis poteſt, quid in caſſum nobis conſulis quod fieri non poteſt. Si enim genitura vim habet, ne mihi perſuadere conare, vt non colam aſtrorum Dominum, qui ſi velit aliquid non eſſe, omninò non erit. Semper enim inferius ſuperiori paret. Si omnia hominum peccata, impietates, libidines ab aſtris ſunt, Deuſque eam vim illis addidit, vt omnia mala efficerent, cauſa mali ad Deum auctorem referenda eſt. Non ſubditus es temporibus, ſed ipſe es vitæ tuæ diſpenſator. Non enim per genituram, & ſiderum habitum, vt quidam mentiuntur res eueniunt. Non per genituram libidinaris, aut fortuito peccas; neque vt quidam nugantur, implexa inter ſe aſtra fatum efficiunt. Ne dede te Aſtrologiæ, neque augurali diſciplinæ, neque ominibus, neque vaticiniorum Græcorum fabulis, veneficia, magicas artes, necyomantiam, quæ res legibus vetitæ ſunt, reſpuito.

Ex

Ex S. Baſilio Hom. de Natiuitate.

NE quis trahat Aſtrologiæ fraudes ad aſtrorum exortum. Qui enim genituram inducunt, ex aſtris, quæ ſunt, talem habitum, & ſtatum cæli cauſam eſſe aiunt caſuum qui in vita occurrunt. Hic autem cum Magi Stella Duce Chriſtum quæſierunt, nullum ſydus regiam Chriſti natiuitatem indicauit.

Ex eodem Hom. 6. Examer.

REpertores genituram cùm didiciſſent multos ſyderum poſitus in tanto temporum curſu ſibi ignotos eſſe, temporis modum in anguſtum coegerunt, vt in momento multum geneſis à geneſi differat; & eum aiunt, qui tali puncto natus ſit, Tyrannum fore vrbium, & Principem populorum, diuitem, dominantem; eum vero qui in altero momento genitus ſit, mendicum fore, & circulatorem. [illegible] igitur eorum, qui [illegible] [illegible], [illegible] an aliquis certò punctum illud accuratè attingere poſſit.

Ex S. Petro Chryſologo ſerm. 18. in fine.

MOda eſt fratres, nè nos infidelitas ad eorum (nempe dæmonum) reuocet ſeruitutem: Non laqueamur augurijs, non diuinatione fallamur; non ſeducamur mortibus; non pellibus anhelantibus Patri; captiuemur: Sed nos, noſtroſque actus commendemus Domino comittamus Patri; credamus Deo, quia tempus hominum ſicut Deus agit? & ideo ſicut Pater actus dirigit filiorum: & vt dominus curam familiæ non relinquit.

Ex eodem Sermo 156. in principio.

PVtaſne Chaldæos ſyderum ſcrutatores, errantes per aſtra magos; Cæli negotia in tenebris noctium perquirentes naſcendi, moriendiq. cauſas ſtellarum curſibus aſcribentes, bona, malaue hominum de arbitrio luminarium firmantes, hodie Euangeliſta ortum Chriſti abſconditum ſæculis ſtella duce docuit inueniſſe? Abſit. Sic ſentit mundus, ſic gentiles intelligunt; ſic fallit ſpecies lectionis: Cæterum ſermo Euangelicus non humana loquitur, ſed diuina, non vſitata, ſed noua, non arte fallentia, ſed veritate ſubnixa, non oculis alludentia, ſed cordibus infixa; non coniecturis nutantia, ſed auctoritate firmata; à Deo venientia, non à Fato; non collecta numeris, ſed virtutibus acquiſita.

Ex D. Thoma à Villanoua Conc. 1. in Adu. Domini circa medium.

NOli humanos tranſcendere limites: Noli ſapere pluſquam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem. Non enim homo propter aſtra creatus eſt, ſed aſtra propter hominem. Non eſt homo in agendis aſtris ſubditus, ſed aſtrorum Dominus; liberum te creauit Altiſsimus, & tu aſtrorum te fateris mancipium? non eſt hæc ſcientia, ſed ſtultitia ab aſtris perquirere quid agendum: ex aſtris agnoſcere quid futurum? Mirantur idiotæ, & rudes aſtrologorum peritiam, ſed ſapientes eorum ſtultitiam execrantur. Quod ſi aliquando de futuris vera prædicunt, non ideo dicunt quia ſapiunt, ſed quia dæmonis, aut oraculo, aut inſtinctu loquuntur vt iuſto Dei iudicio decipiantur, qui huiuſmodi ſtultitijs fidem exhibent, & in talibus vanitatibus ſuam fiduciam locauerunt.

Ex D. Cirillo Alexandrino lib. 6. de adoratione in Spiritu, & veritate. pag. mihi 183.

ASrorum præſtigioſæ obſeruationes, & omina, & falſæ diuinationes, & dæmoniaca deceptiones illis ſolis, vt opinor, conueniunt, quibus abſurdiſsimè placet ignobilem, atque execrabilem idolorum cultum in animum admittere, & poſt pauca ſic habet. Neque ſequemur portentorum coniectores, & necromantiæ operam dantes: Iam vero neque volatus auium tamquàm verum aliquid polliceantur, accipiemus, quàmuis dextrorſum ferantur, aut ſiniſtrorſum, aut ad occaſum, vel ad ortum ſolis: ſunt enim hæc extremæ dementiæ. Poſt aliqua idem ſic habet. Eſt igitur omnino periculoſum impoſturis diuinatorum addictum eſſe. Id quidem à Deo morte mulctatur, & inter peſsima crimina recenſetur, ſic enim ait in Leuitico &c.

Ex D. Hieronymo ſuper caput 44. Iſaiæ.

CVm præfiniti myſterij tempus aduenerit omnia vaticinia diuinorum, & pythonum, & Ariolorum ſigna, atque portenta, quibus humanum deceperunt genus deſtruet, atque ſubuertet.

Ex eodem ſuper cap. 10. Hieremiæ in princ.

AVdite verbum, quod locutus eſt Dominus à ſignis Cæli nolite metuere &c. Ad hæc verba S. Doctor hæc habet; propriè aduerſus eos loquitur qui venerantur cæleſtia, & quæ in ſigna ſunt poſita annorum, temporum, menſium, & dierum, ab his æſtimant regi humanum genus, & ex cauſis cæleſtium terrena moderari.

Digitized by Google

Ex D. Cypriano de ſingularitate Clericorum poſt medium loquens contra illos, qui martyrio ſibi ignoſci peccata, dicentes plurimis vitijs implicari minimè metuebant ſic ait.

HVic martyrio ſpem tradant, quos mathematici docuerunt habere de craſtino præſcientiam; & has coronas expectent, qui ſuper Angelos, & Chriſtum per Aſtrologos didicerunt ſcire tempora, quæ pater in ſua poſuit poteſtate; vt vel tunc recordentur, ante martyrij tempus bene agere debuiſſe.

Ex D. Anſelmo ſuper c. 2. ad Coll. poſt initium.

HOmnis ratio ſcientiæ ſupernæ, vel terrenæ creaturæ in eo eſt, qui eſt caput omnium &c. Quod infideles non putant, quia non legunt in Euangelijs, & Prophetis aſtrologiam, & huiuſmodi alia, quæ Deo deſpecta ſunt: quia nihil proficiunt ad ſalutem, ſed nutriunt in errorem: & dum his ſtudent curam animæ non habent.

Ex D. Cyrillo Hieroſolymitano Cathecheſi 4. de ſtatu hominis.

CVr tua ipſius mala confiteri detrectas, cur innocuis aſtris culpam adſcribis? Non ergo deinceps attendas Aſtrologis, de his enim ſacra dicit ſcriptura: ſtent, & ſaluent te Aſtrologi Cæli, & terræ. Ecce omnes ſicut ſtipulas igne comburentur, & non liberabunt animam ipſorum de flamma.

Ex D. Gregorio Niſſeno lib. de Fato.

QVi contemplatus eſt cæleſtium corporum motum, zodiacum, circulum, eiuſq. duodecim, quæ in eo conſpiciuntur, ſegmenta, æquabiliter inter ſe diſsita, necnon ſingulorum aſtrorum facultatem, ac vires, quas per ſe quodq. in hortu ſuo habet: quid eorum efficiat congreſſus proprij s ſingulorum virtutibus inter ſe temperatis, ſiue ea cõmiſceantur, vt cùm aſtrum alterũ appropinquat alteri, ſiue ſecernantur, vt cùm alterũ altero recedit: quid item inferioris receſſus, quid ſuperioris in tranſitu defectio, quid eiuſdem reſtitutio: quid varia congredientium, & digredientium forma, ſiuè trianguli, ſiuè ſcaleni, aut ſi quam aliam geometricam figuram referunt: qui hæc, inquit, & huiuſcemodi alia perſpexit, ſciet fati nomine id ſignificari, quod ſerie quadam immutabili, pro certa ſtellarum coniunctione neceſſario efficitur. Cùm id quoque mihi inauditum, & nouum accidiſſet, inquit Niſſenus (non enim quidquam eorum,

quæ diceret, intelligebam, quippe ea diſciplina non eruditus) rogaui, vt eo modo mihi vim verbi declararet, quo Fati notionem aſſequi poſſem. Nam cæleſtes circulos alium in alio eſſe, & motu contrario conuerſioni firmamenti, in quo ſtellæ non errantes affixæ ſunt, interius cieri, eoſq. omnes in Zodiaco circumuolui: hæc, inquam, etiam ab alijs audiui; ac proindè luminarium ſplendorem quo conuerſione cuique cælo propria, tum accedere, tum recedere, atque inferiore aſtro ſubeunte tolli è conſpectu noſtro ſuperius, ſiquidem inferiori directè opponatur: & quæcumq. hinc aptè colligerentur, ſiue formam aliquam efficerent, vt cum circulus ſpatium, quod in ſe continet ita motu ſuo ambit, vt ſydus in tranſitu, aut rectà obijciatur ſuperiori, aut declinet; ſiue breui temporis interuallo, ſiue longiori cuiuſque circuitus abſolueretur, quandoquidem pro ſingulorum magnitudine neceſſariò vel celerior, vel tardior eſſet conuerſio. His omnibus ſilentio præteritis orabam, vt tantum Fati vim perſpicuè mihi explicaret, Deuſne aliquis Fati nomine intelligeretur, huius vniuerſi Imperator, ſumma poteſtate præditus, quique omnia haberet in manu ſua, & pro arbitratu gubernaret: an vero Fati virtutem alterius alicuius ſuperioris virtutis miniſtram ſtatueret, vt & ipſa quodammodo alteri Fato ſubiecta ſit, præcellentioris cauſæ in adminiſtratione ſocia. Nam ſi eam in res omnes imperium obtinere credendum eſſet, ratione non induci, vt nihil illam ſupereminere cenſeamus. Sin eam aſtrorum motum ſequi, ac ita demum violenta quadam neceſſitate in res omnes dominari aſſeueraret, ſatius fuiſſe præcedenti, quàm ſequenti omnipotentem illam vim attribuere; ac vel ſydera rerum iſtarum cauſas eſſe dicere, vel conuerſionem firmamenti, vel circulos, qui in ea concipiuntur; vel certè circulum, qui cælo obliquè inſcribitur. Si quis enim concederet, aſtra neque per ſe moueri, neque perpetua conuerſione inter ſe aut coniungi, aut diſiungi; ſed eamdem ſemper referre figuram, Fatum non exiſteret. Quare ſi ex ſyderum motione Fatum oritur, fruſtra profectò id dominari in cætera putatur, quod ſuperiori cauſæ ſeruit, neque omnino eſſet, niſi motus eſſet. At non eò inquit Philoſophus, noſtra ſpectat ratio, quaſi ipſum Fatum per ſe eſſet aliqua natura; ſed cùm ſit quædam rerum mutua conuenientia, & coniunctio, atque vniuerſum omni ex parte cohereat; quemadmodum etiam in vno aliquo corpore quædam omnium membrorum inter ſe conſentientium cernitur concordia; cumq. ſuperior mundi portio ſit præſtantior, idcirco inferiora ſimul cum primaria portione reguntur, ad eiuſque velut nutum cæleſti motu ſeſe fingunt, & accomodant; quandoquidem neceſſario, ac multifariam, vt dictum eſt, vi cuiuſque ſyderis vnà mouentur. Vt in medicamento ſpecierum qualitates artificioſa quadam ratione commiſtæ communi illo temperamēto quippiam efficiunt aliud, neq. tale, qualis vnaquæq. ante mixturam fuerat, ſic cæleſtium virtutum diuerſae ſunt proprietates, quarum varia ex aſtrorum vel acceſſu, vel receſſu profecta coniunctio, varias, ac diuerſas vitae reddit actiones, tamquam influxus quidam inde ad nos ſine interruptione deriuetur. Quae etiam cauſa eſt, quamobrem ij qui haec diligentius inueſtigant, futura minimè falsò praedicant. Quemadmodū enim peritus Medicus, ſi medicamentum calidum, aut eiuſmodi, quod diſſolutionem, ſtuporem, torporemue conciliet, cum aliquo alio commiſceatur, proprietatem ex illa diuerſarū rerum mixtura oriundam praedicit: quid item efficiat, & quamdiù vim retineat,

cui

cui pernicioſum, cui ſalutare ſit: ita is etiam, qui ad res cæleſtes animum ſedulò applicauit, & cuiuſque naturam perſpexit: ſciet coniunctionis earũ quæ ſit vis, & efficacitas. Porro iſte confluxus ne ad breue quidem temporis ſpaciũ ſibi ſimilis eſt: ſed quia congredientium ſyderum nunquam ſtabilis eſt motus, influxus quoq. vnà cum illa motus diuerſitate varietur ſemper, ad eamq. efficientiam ſuã accommodet neceſſe eſt. Cuius influxus portionem naſcens quiſquis in eo temporis momento ſortitur, & quaſi ſpiritu attrahit, ac talis euadit, qualem eum portionis illius proprietas, & præſignificauit, & effecit. Prorſus enim neceſſe eſt, vt quomodo effigies ſigno inſculpta ceræ imprimitur, ſic hominis quoq. vita, in quam partem influentis ex aſtrorum motu virtutis incidit, ad illius proprietatem conformetur, ac talis fiat, qualem in ſe continebat illa influxus portio, quam quiſq. initio vitæ veluti ſpiritu attraxiſſet; & qua virtute ſemel velut inſignitus eſſet, cum ea neceſſariò deinceps cõuenire ijs rebus tum gerendis, tum ferendis, quarum principia, cauſaſue ſydereus ille, & fortuitus influxus contuliſſet. Quæ cùm ille diceret: Non deſines, inquam nugas, & ineptias mihi cõmemorare, & confirmare indiuiduam illam portionem momentanei influxus, quo in nos, vt ais, cauſæ omnes è cælis influant, cum tamen neq. dicas animantiumne ſit, ac voluntatis, arbitrijque particeps, nec qua ratione res animatas regat id, quod neq. per ſe ſubſiſtit, neque anima, neque vllo naturæ inſtinctu præditum poſſis oſtendere; ſed omnibus conſilijs, cogitationibus, prouidentiæ, inſtitutioni, curæ, ſtudio virtutis, quas quendam tyrannum, aut dominum præficias in animum quiddam, arbitrij expers, inſtabile, fluxum, inſecabile, nec per ſe ſubſiſtens: ad cuius potentiam rerum, & conſtitutionem, & gubernationem oratione tua refers? An non vides, quàm hoc auribus animiſq. hominum ſit abſurdum? Si enim tantam vim habet fortuitus ille influxus, vt non ſequendo, ſed præcedendo rerum conſtitutionem moderetur: certè præcedet naſcentem, ac non iam nati caſibus ſeruiet. Incertum enim hic eſt, quid quo ſit prius, cũ ad punctum temporis, & æqualiter inter ſe, ac ſimul moueantur. Nam & homo necdum in lucem editus motu quodam cietur, decrementi videlicet, & incrementi naturalis, quæ quidem ſpecies motus ſunt: & ſtella mouetur, neque quieſcit, prius etiam, quàm homo ſpiritum ducat. Et quoniam æqualiter, ac ſimul mouentur, certo iudicare non poſſumus, vter præcedat, cùm & ille circulorum conuerſione, & hic naturæ motione feratur. Quod ſi in vna parte temporis conueniunt ambo, quod in eis diſcrimen eſt, vt alterum ab altero pendere credamus? Si enim aſtra hominem gignerent, ortus rerum eſſet continuus, neque vel ad momentum temporis hominum procreatio intermitteretur. Iam vero cum inter naſcentes certa interſint interualla, perſpicuum ſit hominum ortum non ſequi motum ſyderum. Hic enim perpetuus eſt, ille interrumpitur; ac ſuo quodam peculiari nexu, atque ordine, tam homines, quàm aſtra per ſe mouentur, cum nulla neceſsitas inter ſe copulet ea, quæ natura disiunxit. At ſi id veſtra vult oratio, vt in illa temporis particula ſitam eſſe credamus cauſam omnium, quæ in hominum vita committuntur, vide quot Myriadas Dominorum, ac Tyrannorum in dies ſingulos in ſingulas item noctes per minutas illas, & indiuiduas temporis ſectiones exiſtant, die, ac nocte in 24. vt dicitis, horas diuiſo, quamuis horas in ſexaginta minuta, quouis minuto in ſexaginta ſecunda, quouis ſecundo, vt

 aſſerunt

aſſerunt ex vobis ij, qui hæc ſubtilius pertractanda ſuſceperunt, retento eodem ſexagenario numero, in ſexaginta tertia. Ex quibus in vnum collecti momentanei illi Dij, ſiue Tyranni, ſiue neſcio quibus alijs nominibus afficiendi, amplius vnam, & viginti myriadas conficiunt. Iam ſi vna hora tot nobis partium myriadas ſuppetat, viginti quatuor proportione vnius omninò multiplicatæ, infinitas Fatorum myriadas proferent. At enim quod vis ex illis ineuitabili potentia præditum eſſe confirmatis, ex quo efficitur nullum eorum eſſe, quod non agat. Neque enim potentiæ proprium eſſe dixeris, vt non agat, quandoquidem potentia omnis in actione perſpicitur. Æqualia ſunt igitur etiam potentiæ effecta: quare quot ſunt ſegmenta temporis, totidem quoque homines horis ſingulis naſcantur neceſſe eſt. Porro ſi cuiuis Fato æqualis potentia aſſignanda eſt, erunt omnes ex æquo Reges, longæui, potentes, fortunati, fælices, & quidquid prętereà in bonis numeratur, acquirent. Nam ſi quis eorum defectus eſt, aliquod certè imbecillius, & imperfectius iudicandum eſt. Neque enim æqualem potentiam tribueris tam ei, qui magna, quam qui parua præſtiterit. Exempli cauſa alius centeſimum ſuperauit annum, ſenex, opulentus, fælix, omnibus in rebus ſecundam expertum fortunam, nepotibus ſtipatus, pronepotum aſpectu lætus, ſanus incolumis, honoratus, doloris expers, opibus affluens; & ſi quid aliud in hac vita prætioſum eſt, rebus omnibus beatus. Alius ſimulatque ex materno vtero prodijt, ſuffocatur. Multi quippe ex meretricibus, aut adulterio naſcuntur infantes; quos vtpotè notos ſuis ipſæ manibus matres obtruncant, cædeq. flagitium ſupprimunt. Quæ Fati potentia in his enitet? An iſtis æquè ac illi diuturnam vitam dare non poteſt? Si aſſeritis poſſe, omnibus in rebus ex equo vis eius elucebit. Neque enim aliud poterit, aliud non poterit, ſi reuerà potentia valet: at potentia ex effectis cognoſcitur. Nulla ergo exiſtet vitæ diſſimilitudo, ſed ſummam ſibi felicitatem pariter omnes pollicebuntur, eo quod ex veſtra ſententia omnes Fato ſunt ſubiecti, ipſumque Fatum ſemper omnia poſſit. Si ergo & omnia, & ſemper poteſt Fatum iſtud, omnia in omnibus poterit. Atqui multa inter homines, & varia viuendi ſunt genera, cum dignitate, & opibus, tum temporum, corporumq. temperatura, omnibuſque alijs rebus, quibus beatus quiſpiam, aut miſer habetur. Itaque commentitium illud veſtrum Fatum non omnia poſſe, effectorum diuerſitas liquidò declarat. Etenim ſi vitam longam à potentia proficiſci exiſtimamus, breuem profectò ab impotentia promanare doceri oportet. Ita Fatum aliud infirmum, aliud potens ſtatuendum erit. Quia enim vitæ longitudo eiuſdem breuitati contraria eſt, principia vtique inter ſe contraria ſibi vindicabunt. Siquidem nemo ad eandem cauſam retulerit & beatitudinem, & miſeriam: ſed ſi illa per potentiam potiamur, hæc omninò propter defectum potentiæ non erit. Miſeria quippe in eo vel maximè conſiſtit, quòd beatitudinem quis conſequi non poſſit. Enimuero, plures vitam degunt miſeram: Fati ergo infirmitas, quàm potentia, eſt maior, & efficacior. Vbi nunc eſt inuicta illa, & omnipotens, atque ineluctabilis neceſsitas, vt in ea omnium rerum humanarum poteſtatem eſſe poſitam putemus, quam maiori ex parte infirmam eſſe comprobauimus? Sed dices, hoc ipſum aliud in alio velle, in vtroque tamen id valere, quod velit. Quæ vero eius voluntatum diuerſitatis eſt cauſa? Faciamus eſſe duos homines, qui nihil inter ſe differant,

neuter

neuter ſiue bonum, ſiue malũ vltro ſit amplexus; ſed hìc paulo antè ex materno vtero prodierit, ſi caſu ſic eum natura effuderit; ille vel continuò, vel paulo poſt. Non eadem ambobus vita ſorte obtingit: ſed alter fælix, aut omninò Rex, fortaſsis auro, & purpura natus, mox inuoluitur; alter pauperis alicuius, aut etiam ſerui filius, nec laceris quidem pannis à parentibus integitur. Quid ergo deliquit, quòd paulò citiùs, vel tardiùs altero ſit progenitus; idque non ſuo conſilio, ſed naturæ motu, vt idcirco vitam ſortiretur inhonoratam? Quam vos hìc defenſionem pro veſtra illa domina afferetis? Vbi iuſtitia, vbi pietas, vbi numen? Num dices Fatum nihil horum curare, neque virtutis rationem habere, neque bono cuiquam prouidere? Si non iſtis, vtique contrarijs ſtudijs vacabit: quia conſtat, quod à bono abhorret, id cum malo eſſe coniunctum. Neque hoc, inquies, neque illud ei curæ eſt. Inanimum ergo; neq. voluntario iudicio, neque boni maliue cognitione præditum eſſe affirmas; ſi anima ratione, & voluntate caret, neque per ſe ſubſiſtit. Et adhuc tantam ei largimini poteſtatem, vt animantes arbitrij capaces moderetur; & regat ea, quæ ſubſiſtunt, id quod minimè ſubſiſtit; expers vitæ, participes vitæ; res animatas inanimum; exors conſilij, & virtutis, res conſilij conſortes: denique omnia non ens. Nam quo rerum genere continetur iſtud, cuius nomen tantopere iactatis, Fatum? Animal non eſt, in Zodiaco non cernitur, Deus non habetur, qui enim Deus eſſet, qui neque virtutis, neque æquitatis ducat rationem? Quod vero nihil ex his rebus eſt. quid tandem eſt? Sed videtur à vobis Fatum dici quoduis temporis momentum, ſiquidem tempus ſeſe ad omnem motum ſiue fluminum, ſiue ſtellarum, ſiue hominum extendit. Neq. refert, ſiue fluuij motu deſignes inſecabilia cuiuslibet inſtantis temporis ſegmenta, ſiue nauis vi ventorum agitatæ, ſiue hominum iter facientium, ſiue aſtrorum, quæ moueantur. Vnus enim eſt omnium, quæ loco mouentur, terminus, vt migrent ex eo, in quo ſunt, vel in id, in quo non ſunt. Quod ſi neq. fluminum, neq. nauigiorum motus, neq. hominum ambulatio interualla temporis deſignantium efficiunt Fatum: cur temporis punctis ex motione ſtellarum ortis Fatum fieri fingitis? Cur dicitis, motus cæteros eſſe vel tempora, vel indicia temporis: at verò ex motu ſiderum Fatum exiſtere obſeruatum eſſe? Cur non ſingulis momentis ſinguli homines naſcuntur? Repetam enim ſuperiorem orationem. Quoniam eadem cauſa eſt, vt homo ſit beatus, vel miſer, & vt omnino ſit. Si aſtra ſunt cauſa euentuum, qui hominis ortum ſequuntur, prorſus & ipſius etiam ortus cauſa ſunt: ſin huius cauſæ non ſunt, neq. illorum vtiq. ſunt. At vero aſtra non eſſe cauſas ortus, vel ex eo liquet quod tempori continenter fluenti nequaquam continens hominum ortus reſpondeat; ſed interrunpatur: illa autem Fata ex fluenti tempore, ac ſempiterna ſyderum motione ſine vllo naſcuntur interuallo, quod vel ſenſus, vel intelligentia percipi queat. Quodnam igitur eſt iſtud Fatum? Quod vnumnè ſit generale, an plura ſectionibus temporis minutè conciſa, nondum natione colligere potui. Moueri aſtra dicitis, nos quoq. viciſsim fluminum motum proferimus: at illa ſemper, hæc itidem perpetuo: at illa in tempore, neq. hæc extra tempus: at in illis motus initium inuenire non poſſumus, neq. in his. Par itaque eſt illorum, & horum eademq. ratio: Nec vero contrarium motum quiſpiam his aſsignauerit, cum aqua naturaliter ſemper è ſuperiore loco in inferiorem defluat.

Quæ

Quæ cum ita ſint, aut fluminum quoque motũ Fata quædam edere concedite, aut neq. nos eam vim aſtrorum motui concedemus. At ea vis eſt, inquit ille Arietis, Tauri, & cuiuſuis Planetæ, vt ſi quis ſub aliquo ex ijs naſcatur, ſiue aliquod erraticum ſydus ſolùm, ſiue cum alijs in orbe circumferatur, vita illius, qui in eam inciderit horam, intercedente virtutum coniunctione cum ortu conſentiat. O vaniloquentiam! inquam ego, Taurum adeò ſeruilem ſortè præterea dicitis, quia id animal iugo dometur; arietẽ contra beneficum, quod lanam ferat; ac ſi quis ſub iſtorum altero natus, aut alius viciſsim è medio ſublatus fuerit, commiſtis proprietatibus certam quandam ſortem naſcentibus obuenire. Quid ergo? Dic mihi ſpontène, aut Taurus ſub iugo eſt, aut Aries gaudet, cum tondetur? Damni item, ac corporis afferendi facultas eſt ei, qui obit ſupremum cælum, vel caliditas Marti, vel cuiuis alij ſtellæ volenti ſua vis ineſt, an inuitæ? Siquidem volentes in malis ſunt, ac voluntaria nocendi vi præditæ, quiſquis id fatetur palam infælices pronuntiat; quòd meliorem ſortem in ſua poteſtate cùm teneant, deterior ipſis voluptati ſit. Sin haud ſua ſponte tales ſunt, quales exiſtimãtur, ſed neceſſariò tales quales factæ ſunt: aliquod ergo ſuperius Fatum his quoq. naturam, ac virtutum proprietates deſtinauit. Quæ ſit, vt alia ſydera his ſuperiora quærenda ſint vnà cum motu, quem ſibi vendicent, quorum certa coniunctio fatali quadam neceſſitate, aut Taurum ſeruilem, aut Arietem damnoſum, aut Cancrum capite mutilum effecerit, aut ſi quid aliud de ſingulis aſtris ſophiſtæ nugantur. At ſi ea quæ nobis apparent, neceſſitate cuiuſdam Fati ſunt eiuſmodi, certè etiam ſuperioris illius neceſſitatis inſuper alia tibi cauſa neceſſaria excogitãda erit eiuſmodi cõſtitutionis, & huius alia, iterumq. alius, alia infinitè, atq ità Fatũ Fati, ſors ſortis, neceſsitatis neceſsitas alia ſemper configenda. His à me ita diſputatis, Philoſophus qui cum diſputabã, huiuſmodi rationibus in eas anguſtias redactus orationis longiùs prouectæ filum in medio incidit. Et quid, inquit, pugnas cum vi? Cur nõ ſequeris eos, qui rerum veritatem per numeros indagauerunt, ac tempore accuratè cognito totam deinceps naſcentis vitam prædicunt, ætatem, ingenium, mores, pericula, caſus, coniugia, procreationes liberorum, honores; aut contra liberorum orbitatem, morbos, ignominias, vitæ breuitatem, incommoda paupertatis? Quæ cum accuratè præſignificentur, euentuſq. ſit teſtis veritatis, quæ tibi reliqua eſt ratio, quamobrem Fati neceſsitatem eſſe non credas? Tum ego eiuſmodi prædictionum cauſas me paulò poſt allaturum pollicitus, rogaui num huiuſcemodi euentuum cauſa fortuita eſſet, neque cum certa ratione coniuncta; an verò ſimul etiam rationem aliquam inueniſſent, vt conſentaneum eſſet fieri, quæ fierent? Imò verò, inquit, ratione nituntur quæ fiunt; quia cum ex certo ſyderearum qualitatum concurſu certam conſtitutionem naſcentis corpus ſibi vendicet, qui accuratã cæleſtium rerum cognitionem habet naſcentis conſtitutionem prænoſcit; necnon quandiù viuere poſsit, diutius quidem ſi firmior ſit corporis conſtitutio; non item ſi infirmior. His dictis arriſi. Et neſciebam, inquam, Fata tibi Galeni, & Hippocratis, ac ſimiliũ parentum pignora videri: quoniam illi quoq. miſſa ſyderum motione, quantum facta ex propoſito corpore coniectura conſequi poterant, futura prænuntiabant: vt cum ſunt oculi caui, tempora contracta, frons indurata, & vix pelli adhæreſcens, mortem prædicunt. At multis tamen ægris, ac mortem iamiam iminentem præſtolantibus ars,

medica

medica huiuſce Fati ſila quaſi retexuit, ac retractauit: quemadmodum Plato de Pedotriba Herodico ſcriptum reliquit, numquam illum quidem gymnaſtico exercitio integrã ſanitatem recuperare potuiſſe, quòd morbus eſſet lethalis: ſemper tamen præſentem mortem ſolertia ſua protraxiſſe, neq. profeciſſe vt ſecurè viueret, ſed vt tardiùs moreretur, ac lẽtè morte vſq. ad ſenectutem perduraret illo remedio ſapienter inuento. Quod argumento eſt, non indiſſolubile eſſe Fati vinculum, ſiquidem arte quadam diſſoluitur. At hoc argumentum, inquit ille prædictiones fatales non confutat: quia fieri poteſt, vt id quoque prænuntient ij, qui cæleſtem motum accuratè contemplati ſunt, atq. alij certam, alij dubiã mortem prædicant. Hic ego: Non eſt, inquam, ita id, quod ex ipſa ratione neceſſitatis conſtat: alia quippe eſt contingentium ratio, alia immutabilium, quæ minimè conuenit in contingentia, quorum alterutrum omninò fieri neceſſe eſt, ita tamen, vt in vtramq. euentus partem opinione claudicemus: quod à neceſſitatis ratione longiſsimè abeſt. Veruntamen quæſiui ex eo quo fundamento nitèretur futurorum euentuum prædictio? Quod inquit ille, ſæpius iam ex me audiſti, de eo etiamnum percontaris? Sunt virtutes quædam ſyderũ propriæ, quæ pro infinitis diuerſis coniunctionibus a perpetua motione prouenientibus infimis, cuiſq. diuerſas prouidentiæ facultates. Qualis igitur eſt per id tempus aſtrorum conformatio, ac vis horæ, in quam cuiuſq. ortus fortuitò inciderit, talem eius vitam fore neceſſe eſt, neq. aliter ſe res habet. Quid, inquam, calamitates bellicæ, terræmotùs, vrbium ruinæ, maximarum naufragia onerariorum, inundationes deflagrationes, hiatus terræ, aliaq. huiuſcemodi exitij genera? Quì iſta cum prædictione conſentient? quàm multa noſtra, quàm patrum memoria contigerunt, vt diluuium ætate Noe, exuſtio Sodomorum, ſuffocatio Ægyptij exercitus in mari rubro conſequuta, alienigenarum iugulatio, & cædes, naturalis mors Iſraelitici populi in infinita illa multitudine confecti; clades, qua centum octogintaquinquemillia Aſſyriorum momento temporis perierunt, calamitates, & mala, quæ Medis, Iudæis, & Græcis acciderunt, atrocibus terrã, mariq. commiſſis prælijs, & quæcumq. id genus alia memoriæ prædita ſunt? Quin etiam ſi hæc omnia prætereantur, ſatis multa huius rei teſtimonia nobis ſuppeditant, quæ noſtro ſæculo contigerunt. Quis enim neſcit magnam Bithyniæ metropolim, vnam ex præſtantiſsimarum vrbium numero? Quis latam, ac ſpacioſam ignorat Thraciam? Illam terræmotu, ac igne; hanc bello repentè funditus eſſe euerſam? Quot ibi pueri, quot infantes, iuuenes, ſenes, liberi, & ſerui, victores, & victi, diuites, pauperes, valẽtes, ægroti; deniq. puncto temporis interierunt, omnes ex æquo abſumpſit ignis, domus loco ſepulcrorum fuere omnibus. Vbi ſunt ſyderum coniunctiones, quæ diuerſas vitæ formas hominibus præfiniunt? Num omnes illi eadem aſtrorum conſtitutione nati fuerunt? Num omnium natalitium ſydus fuit Cancer, omnibuſq. eam ſortem deſtinauit? Atqui diuerſitas, penè dicam infinita, ætatum, & honorum teſtis eſt, non omnes vno tempore fuiſſe progenitos. quocirca ſi diuerſo quiſq. tempore natus, in pacem nihilominus calamitatem incurrit, nonne vel hæc euenta prædictionem leuitatis, & inconſtantiæ conuincant? Sed eſt inquit, & nauis, & vrbis, gentis, & cuiuſuis rei Fatum, quod ex optimo aſtrorum ſitu totum deindè ſtatum conſequenter conſtituit, & cauſam continentem, ac ſuperiorem in gubernandis rebus contentis ac inferioribus neceſſariò iuuat. Quis ergo, inquam, & nauium ortus? Quis Ciuitatis? vnde originem trahit quælibet gens? Cædit materiarius materiam, eam venalem habet

nego-

negociator lignorum, nauium opifex pecunia redimit, partitur opificium in operarios: alius enim ſerra lignum ſecat in aſſeres, alius carinam fabricatur, alius erigendis tabulatis dat operam, hic proram, ille puppim extruit, huic malus, illi antenna curæ eſt, quidam ex lino rudentes texunt, clauum gubernator curat, quidam foros, & velum conficiunt, quidã nauem etiam picturis exornant, nonnulli pice iuncturas perungunt, & in medio ſentinam conſtruunt. Neq. omnes ſimul ſuum faciunt opus, ſed alius iam, alius paulo poſt, ille cæptum iam ad finem perduxit, iſte etiamnum laborat. In quo igitur tempore Fatum nauis ſapientes collocabunt? Num in eo, quo lignum emitur, cæditur, aut tractatur; an quo ferrum aduehitur, an quo clauis aſſeres compinguntur? Nam cùm multa, & diuerſa diuerſo tempore ſtudia, conatuſq. aduerſus naufragium adhibeantur: quodnam tempus naui fatale aſſignabis, vt inſtante interitus neceſſitate vectores vnà ſecum perdat? Quid iam dices de ciuitatibus? An tum in eas dominari Fatum putant, cùm ij, qui eam in rem incumbunt, de condendis conſilium capiunt; an cùm naturã loci conſiderant, an cùm exemplar efformant; aut fabris ferrum aduehunt, aut lapides reponunt, aut materiam comportant? Quidnam ex his eſt principium conſtituendæ ciuitatis? Quid porrò dices de gente bellicis calamitatibus attrita? Quæ [illegible] interimit, alios captiuos in ſeruitutem redigit? Quì Fatũ eſt, vt Annibal, aut Cæſar, aut Alexander Macedo Fata æquarent omnium quibuſcum bellum gerebant, vſq. eò neceſſitate illa valentiores, vt ijſdem planè, & æqualibus hoſtium malis omnia diriperent? Sed enim minimè veriſimile eſſe, eadem Ciuitatum Fata, eoſdemq. Stellarum ſitus, efficere, vt terremotibus quaſſatæ ruina opprimãtur, ex eo perſpicere quiuis poterit, quòd nemo neſciat huiuſcemodi terræ affectiones non ſolum in locis habitatis, ſed etiam in inhabitabilibus exiſtere. Si quis Sangæorum montem in Bithyniæ finibus ſitum vel ipſe vidit, vel alijs referentibus audiuit, quod dicam, verum eſſe comperiet, totum iugum in viam ſubſediſſe, ac terribile prætereuntibus præbere ſpectaculum. Eiuſmodi quoq. ſunt Paphlagoniæ affectiones: vbi etiam habitationes hominum his modis vnà ſæpè conuulſæ ſunt: atq. ideo cum tales motus oriuntur, locus ille ab incolis deſeritur. Quid ſigillatim dicere opus eſt Cyprios, Piſidas, & Achiuos, apud quos harum rerum multa ſunt indicia? Verum cuius gratia mentionem earum fecimus id dicam, omnes eiuſmodi motus terræ eſſe affectiones. Si ergo ita acidat, & etiam hominum habitatio eo in loco inueniatur, ipſi quoq. infortunium illud loci neceſſario participant: ſeù is ab incolis ſit vacuus, infortunium loci hominibus damni dat nihil. Quæ igitur eſt Fati neceſſitas, cum ex æquo loca habitata, & inhabitabilia huiuſmodi affectionibus ſint obnoxia? Nam ſi poſſent demonſtrare terrã particulatim, ac non vniuerſam ſimul conditam eſſe, vaniloquentia iſta ſpeciem fortaſsis aliquam præſeferret, certa ſyderum coniunctione certæ parti terræ connexa, hoc aut illud neceſſario fieri. Quoniam vero omnia ſe mutuò complectuntur, cælum, terra, mare, atq. vt Moyſes ait, terra etiam prius cõdita eſt, quam aſtra cum motu ſuo: cur eorũ quæ in terris, & terræ partibus eueniunt, cauſam ad ſyderũ referunt motionem? Quapropter, cum terra ſit aſtris æqueua, neq. vllam inde vel concidendi, vel perdurandi cauſam capiat, cũq. in cæteris partibus eiuſmodi exiſtãt affectiones: non vtiq. Fati neceſsitas, ſed alia quædã ijs in locis iſtorum caſuum propria cauſa eſt. Quando igitur tale quippiam terræ accidit, atq. eiuſmodi aliquæ calamitates inde oriuntur etiã incolis ruina obrutis: quid dicunt qui

Fatum

Fatum adorant, & aſtrorum motum rebus præeſſe opinantur? Qui fit vt occidat infans, adoleſcens, vir, pater, ſenex, nobilis, patricius, mercenarius, vinctus? Cur neq. tempus naſcendi, neq. diſcrimen dignitatis vllũ prohibet, quò minus pari calamitate inuoluantur? Ad hæc quis ignorat extremum malum eſſe, corpus cum filia commiſcere, violare matrẽ? Quod ſi quadam ſortis neceſſitate fieret, vtinã apud nos quoq. fieret: nunc autẽ apud ſolos Perſas, & qui illorũ edocti ſunt inſtituta, flagitiũ hoc perpetratur, ex quo planũ fit ſortẽ, ac Fatũ eſſe cuiuſq. voluntatẽ pro arbitrio quodlibet amplectentẽ. Præterea, ne quid tale poſſint dicere, in certis locis proprias quaſdã aſtrorum motiones reperiri, atq. ideo alios matres ducere in matrimoniũ, alios occidere hoſpites, & humanas vorare carnes, quòd certus quidã aſtrorũ ſitus vim ſuã in illos priuatim exerceat: tametſi hæc prorſus indoctorum hominũ ſit oratio, neq. rerum contẽplatione deditorum, ſed exiſtimantiũ certa terræ ſpacia certis portionibus ſuperis circumſcribi (ſic autẽ terreſtria forent potiora cæleſtibus, ſiquidẽ horũ cõſtitutio ex illorũ cõditione pẽderet) tamen hoc quoq. argumentũ adijciã, quo magis illorũ falſa refutetur opinio, omnes propemodũ terræ partes a gẽte Iudeorũ fuiſſe habitatas, orientales, auſtrales, mediterraneas, occidentales, ſeptentrionales gentes deniq. fermè omnes promiſcuè cũ Iudæis habitaſſe. Quid ergo cauſæ erat cur nulla ſyderũ neceſſitas in vllo eorũ valuerit, vt quẽpiam gentilẽ præſtaret indemnẽ, ſed quãuis ſint infinitæ coniũctiones aſtrorũ diuerſæ, qualis quiſq. ſorte, fortuna natus eſt; talis ſẽper eſſet, ac præfinitis diebus dãnum natura eius faceret? Hoc loco ille. Nondũ iſta quidẽ, inquit, apud nos explorata ſunt, qua ratione res apud multas gẽtes legibus cõſtitutæ imminẽs ex aſtris Fatũ euitẽt: futurorũ tamen prædictio magno argumento fuerit. Fatum cuiuſq. eſſe ineuitabile. Quomodo enim quiſpiã nõ falsò præuideret, quot annos hic, aut ille ſit victurus, quæq. ei ſint euentura, niſi aliqua neceſſitas illi hæc ita futura decreuiſſet, vt nõ poſſint nõ fieri, & prænuntianti per certã numerorũ obſeruationẽ palã feciſſet? Ego vero ſatius eſſe aiebã, me rerũ huiuſmodi ignarũ videri, quã noſtrorũ dogmatum rudioribus anſã præbere riſus. Veruntamen neglectis, quæ ridiculè nobis obijcerẽtur, quã poſsẽ paucillimis omnẽ earum rerum cauſã cõplexurum. Eſt, inquã, hominum generi natura hoſtis, vis quædã bonæ naturæ aduerſaria. Cuius rei ſexcenta, eaq. euidentia afferri poſſunt argumẽta: ſed nõ arbitror neceſſarium eſſe in præſenti perſequi ordine omnia, quibus fidẽ facere queã. Cum ergo diuinæ naturæ quoduis bonum ſiue cogitatum, ſiue nominatum cõueniat, à qua proficiſcitur vita, lux, veritas, iuſtitia, ſapiẽtia, immortalitas, & quidquid boni beneuolus animus poteſt cõcipere; cùm, inquã, talis ſit diuina natura, ac talia largiatur aduerſariã quandã vim cuiuis bono oppoſitã eſſe omni ex genere colligimus. Quæ proinde loco vitæ mortẽ, loco veritatis fraudẽ, loco cuiuslibet boni oppoſitũ malum hominibus irrogat: quippe cui id gratum ſit, quod naturæ humanæ exitioſum. Sed quemadmodum qui veneficia exercent, lethale pharmacum melle reddunt dulce, non eo animo vt comedentis guſtum oblectent, ſed ne lethale eſſe ſentiatur: ſic mortifera illa natura, cùm in animo habeat, hominẽ inducere, vt à bona natura deſciſcat, bonarum rerum formas induit, ac fraudes tegit: vt miſeri mortales ad id intẽti, idq. bonum eſſe rati, illius, quod natura bonum eſt, deſiderio ne teneãtur. Quomodo autẽ accidit, vt quis per fraudẽ aliquã ſe futuri quippiã profiteatur prædicturum? Sic & fraudulẽti dæmones faciunt in iecoris contemplatione, in augurijs, in ominibus in manium euocatione, in vaticinijs ex natali petitis: cum quodlibet horum nõ eodem, ſed

diuerſo

diuerſo modo futurum præſignificent. Itaq. vt qui ex inſpecto iecore, aut ex omine quopiã coniectat, aut ex aſpectu volãtis auis, aut per Fati neceſſitatẽ ea ſe pollicetur prædicere: ita cũ huiuſce vaticinationis ſit vnica cauſa, fraus videlicet, & opera dæmonũ, quoniam aliquid prænuntiatũ aliquando perfectũ eſt (ſi tamen omninò perfectũ eſt) nõ cõtinuo fati vis demõſtratur, quia omne vaticinationis genus habere vim ſuã ex Fato iure diceretur. Sic vnũ Fatum eſſe sõnium, aliud expalpatione, aliud ex augurijs, vel omnibus, vel quibuſdã ſymbolis cõſtaret. Quod ſi in his nihil prohibet, quominus vaticinatio ſit ſine fato: neq. ſi qui fortuiti euẽtus cum prædictione cõſentiãt, ſatis id fuerit, vt probetur nõ facilè talia cõtingere. Quamquã neq. certæ, & indubitatæ diuinationes ſunt eorum, qui eã artẽ profitẽtur; ſed multa ſibi effugia prouidẽt vt ſi cõtrarius euẽtus vanitatis eos coarguat poſſint euadere prolatis rationibus, quas præmeditãtur. Ex quo efficitur neq. ſcieutiã eorũ vllã eſſe, niſi vt in eum quò in hora iudicãda errauerit culpã cõferãt erroris, ſicq. prædictionos ambiguè & in vtrãq. partẽ paratas inſtituãt, vt quidquid euenerit, id prædictũ eſſe videatur? Sæpè enim eximium quid, & ſupra alios euenturũ alicui prædixit is, qui horã natiuitatis conſiderauit: deindè autẽ cum ille in extrema mala, & calamitatis non vulgares inciderit, nõ ſe aberraſſe à prædictione affirmauit Vates. Nam id quod inſigne futurũ erat, & ſupra alios, in aduerſã, ac malã partẽ euẽtum fuiſſe ſortitum: idq. res noſtra memoria geſtæ teſtãtur. Valente enim Romanorum Imperatore fraus, & impoſtura quendã ad Imperiũ affectandum permouit. Animos illi quidem faciebat, audacioremque reddebat Genethliacorum prædictio; ſed exitus conatuum eiuſmodi fuit; vt ipſe ſummis magiſtratibus geſtis clarus, fieret magnitudine calamitatis inſignior: idq. patrocinium Genethlialogiæ pleriſq. viſum eſt, quod res proſperæ viri aduerſas exequaſſet. Verum ergo falſis iſtorum prædictionibus ad Fatũ refellẽdum non nitor, ſed illa potius ratione, quod fallaces, ac ſubdoli dæmones multis etiã alijs modis vaticinationes fraudulẽter cõminiſcũtur. Nam diuinatoria quædã aqua epota in mentis errorẽ, & inſaniã inducit, & ſpiritus ſupernè per quoddã oſtium permeans, intraq. fæminea viſcera receptus, & vtero tumorẽ, & menti furorem, ac delirium conciliat. Quæ omnia diuina, & vaticinia vidẽtur errore deceptis. Quin etiã omnes illi, qui ex iecore, aut ſignis quibuſdam ignis, aut ex auiũ volatu futura coniectant, vim vaticinij non ad Fatũ, ſed ad afflatum quendã dæmonum referunt. Quare exiſtimo aut nõ eſſe omnino vera vaticinia, quòd multis euentibus cõtrarijs conuelluntur; aut ſi quis oſtendat Fatũ præſignificare aliquẽ futurum euentũ, quod in alijs omnibus, ita vt prænũtiata fuerant, eueniẽtibus reperimus, id in huiuſmodi quoq. vaticinationis genere neceſſariò reperiri cenſemus. Par enim in his omnibus eſt ratio, vt fatidici, vbi in pleriſq. errauerint, in quibuſdam certè futurorũ euentuum veritatẽ vaticinatione videantur aſſecuti. Atq. inſtar fraudulentorum dæmonum in eam rẽ omnes cogitationes cõferunt, & curas, vt hominẽ eò redigant, ne oculos ad Deũ conuertat, ab eoq. omnia bona obtineat: atq. adeò conſilium, quo homines ſimplices, & fallacijs obnoxij à diuina voluntate amplectenda reuocantur ad eiuſmodi aſtrorum coniunctionẽ, ac vim inde defluentẽ, maximè ad malignorũ dæmonũ ſpectat ſcopũ. Itaq. ſi iucundũ eſt dæmonibus, animos hominũ ab amicitia Dei euertere, ſicq. auertit iſtarũ rerum fallacia: perſpicuum ſit, id dæmonum quoddam eſſe opus, cõparatum ad decipiendos eos, qui omnẽ illam vim hiſce rebus contineri opinantur, neq. oculos ad Dei ſummam cõuertunt poteſtatem.

FINIS.

[illegible] by Google